



2.8

A.B.D.2.
1806.

J. Mouilleron
art. peintre verrier
élève du maréchal de Metz
1891

Coll Cosfield



2.

S.

CRV

LAI

A

NOV

R.P.P

Seren

SACRVM
SANCTVARIVM
CRVCIS
ET
PATIENTIAE
CRVCIFIXORVM ET CRVCIFERORVM,
EMBLEMATICIS IMAGINIBVS
LABORANTIVM ET ÆGROTANTIVM
ORNATVM:
ARTIFICES GLORIOSI
NOVÆ ARTIS BENE VIVENDI ET MORIENDI:

AVCTORE
R.P. PETRO BIVERO Matritensi Soc. IESV Theologo,
Serenissimorum Belgij Principum Concionatore.



SACRVM SANCTVARIVM CRVCIS ET PATIENTIÆ CRVCIFIXORVM ET CRVCIFERORVM,

EMBLEMATICIS IMAGINIBVS LABORANTIVM ET ÆGROTANTIVM ORNATVM:

ARTIFICES GLORIOSI NOVÆ ARTIS BENE VIVENDI ET MORIENDI SECVNDVM RATIONEM REGVLÆ ET CIRCINI:

Auctore R.P. PETRO BIVERO *Matritensi Soc.* IESV *Theologo, Serenissimorum Belgij Principum Concionatore.*

ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI. M.DC.XXXIV.
CVM PRIVILEGIIS CAESAREO ET REGIO.

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO S. R. E. CARDINALI HISPANIARVM INFANTI.

IN SACRO ORATORIO Immaculatæ MARIÆ, & animæ creatæ, & innouatæ arte & artificio Baptiſmatis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, Sereniſſimis Belgarum & Burgundionum Principibus, auunculis & prædeceſſoribus veſtris, FERDINANDE PRINCEPS, pro mei famulatus debito, & humilitatis meæ officio, ſolemniter parentaui. Sub æterna & glorioſa Archiducum tantorum memo-

ria SACRVM ORATORIVM patuit: & in eo variæ effigies & imagines apparuerunt, ſacra Emblemata nouæ Artis benè viuendi & moriendi; cuius ope & operâ deformata anima reformabatur & recudebatur. Verùm enimuerò cùm omnis ingenua ars nobiles & illuſtres artifices amet & habeat; ars inclyta benè viuendi & moriendi glorioſos profeſſores planè eſt aſſecuta. Hanc artem aggredienti occurrit Sa-
Eccli. 2, 1. piens, & ſuggerit: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* occurrit,
2. Tim. 3, 12. & præuenit omnes Paulus: *Omnes qui piè viuere volunt in* CHRISTO IESV, *perſecutionem patientur.* Ergo cultores omnes ſummæ artis benè viuendi & moriendi, in regula Crucis, & in circino Laboris atque Conſtantiæ abſoluent & perficient opus ſuum, ſimiles glorioſo Regi, qui inſtrumento Crucis vſus, primus ac primarius Artifex ſecundùm rationem circini

viuens

viuens & moriens, myſterium redemptionis peregit; & cùm opus ſuum concluderet, aſſeruit: *Conſummatum eſt.* Ioan. 19, 30.

Conſummatus in ligno, & per lignum, ſummus Artifex Crucifixus, Crucifixos ſibi ſimiles in formâ vitæ ac mortis ſuæ ſecum pariter euexit, & in cælum inuexit: quos profert & offert SACRVM SANCTVARIVM *Crucis & Patientiæ Crucifixorum & Cruciferorum, Emblematicis imaginibus laborantium & ægrotantium ornatum.* Glorioſi Artifices omnes, & omnes coronati & laureati, porrectis in cælum manibus optatum veſtrum aduentum, SERENISSIME FERDINANDE, precantes, pro læto introitu omnia felicia & fauſta optant ac pollicentur. Conuolant omnes Crucifixi expanſis brachiis in regales veſtros amplexus, & auium inſtar expandentium alas ſuas in aëre ſublimes pendent, ſe oſtentant & præſentant; vt, bonis auibus, in Belgium, à Belgis obſequio veſtro ſacra-

tis

tis expectatus & expetitus, feliciter ingrediaris. Omnes & singuli Crucifixi, quorum icones in hoc SACRO SANCTVARIO ostenduntur, non tam vocibus quàm Crucibus attestantur, & monent: *In hoc signo vinces.*

Vinces, FERDINANDE, vinces tanto monitus oraculo, quod olim Constantino Magno gloriosissimas victorias praenuntiauit, & quas ipse virtute sanctae Crucis comparauit. Nec quidem sine labore victoria: quae causa fuit, vt Constantinus Imperiale Crucis vexillum, acceptum diuino oraculo, *Labarum* esse & vocari in castris decreuerit; sanxeritque, vt hoc ipsum à militantibus omnibus instar SACRI SANCTVARII haberetur & coleretur. Hoc ipsum in castris Regiis & *Labarum* sit & SANCTVARIVM CRVCIS, ET PATIENTIÆ; quae virtus, sicut & Crux, aulica est, & militaris.

Vixit in aula, & obiit secundùm laudabilem

bilem artem vitæ & mortis, dum Catholici Reges auus & pater V. CELSITVDINIS dominarentur, MARCHIONISSA DE CAMARASSA, Comitis Ducis amita, inſignis Heroïna; quam *magnum Heroëm* Hiſpanus Salomon, veſter auus, appellabat. Hæc inclyta matrona, cùm eſſent in Regia Curia plurima pia & magnifica ſatis templa, optabat vt nouum conderetur SANCTVARIVM quod DIVINÆ PATIENTIÆ conſecraretur. Laudabile votum; & pro voto SACRVM VIRTVTI PATIENTIÆ hoc SANCTVARIVM eſto, quod ſub Regio nomine, protectione ac patrocinio REGIÆ V. CELSITVDINIS, conditur & editur.

Nec ſolùm aulica, ſed etiam militaris Patientia eſt; cuius nuda ſpecies, vacua & inanis vmbra, de hoſtibus triumphare nouit. & quidem Romæ triumphauit, quemadmodum lib. 1. Machab. cap. 8. commemoratur: *Et audiuit Iudas nomen Romano-*

rum, quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis: & quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, & quia sunt potentes viribus. Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub tributum: & quanta fecerunt in regione Hispaniæ, & quòd in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo & patientia. Quòd si figurata & adumbrata Patientia bellica magnanimos Romanos fecit, & constituit in Hispania triumphatores; faxit Deus, vt vera Patientia Christiana, quæ hactenus pro Hispania, focis & aris Belgicis, contra hostes pænè innumeros militauit, sub Regio nomine vestro, CATHOLICE FERDINANDE, bella, Deo adiutore, conficiat, victrix

Iac. 1, 4. & triumphatrix perficiat. *Patientia autem opus perfectum habet.* Habuit olim perfectum opus in castris & præliis contra Mauros

ros patientia ſancti FERDINANDI veſtri progenitoris glorioſi, cui ſolemne ſymbolum fuit, *Dominus mihi adiutor:* eodem quoque adiutore nuper in caſtris & armis ad Nortlingam in Germania victricibus, more maiorum, qui *poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientia,* habuiſti & poſſediſti: ac deuictis copiis hoſtilibus, victor & triumphator in Belgium tuum ingrederis. Quòd ſi, moribus antiquis, nouæ portæ victoribus aperiebantur, patefactæ ſunt V. CELSITVDINI in Germania, & etiam in Belgio: vbi cæleſti tractus præſagio, & diuino afflatu tactus magnanimus Heros Marchio Aytonæ, qui rem hactenus reſtituit, feliciter per clauſum omnino Moſam glorioſos aditus patefecit, dum inſulam ſancti Stephani, Caſtrum Luthenſe, & Argentauum ad Nauaiam oppugnauit & expugnauit. Magna pro meritis oppugnatoris & expugnatoris gloria, glorioſo triumphatori fores obſeratas reſeraſſe.

Per nouas igitur portas solemnem agens triumphum ingredere FERDINANDE PRINCEPS, æmulus GLORIOSI REGIS CRVCIFIXORVM & CRVCIFERORVM, qui *exiuit vincens vt vinceret.* (Apoc.6,2) victor ex Germania egredere, & tuum ingredere Belgium, nouarum theatrum maximum victoriarum: *intende, prosperè procede, & regna.* (Ps.44,5.)



LV-



Angele Dei
Custodi, Illumina, et Rege.

LVMEN
SACRI SANCTVARII.

S*Acra vox* SANCTVARII, *quæ ſatis frequens in Oraculis diuinis, in vſu etiam eſt Scriptoribus Latinis, atque in primis Plinio lib.*23.*Hiſt. cap.*8. In Sanctuariis, *inquit*, Mithridatis maximi Regis deuicti Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti. *Quod nunc datur* CRVCIS ET PATIENTIAE SANCTVARIVM, *non deuicti, ſed victoris eſt Regis.*

Tripartitum hoc SANCTVARIVM *eſt, cuius prima*

pars Regem gloriosum Crucifixum, & Crucifixos Principes, Apostolos, Episcopos, & Abbates in effigie repræsentat. Pars secunda alios inferioris gradus affixos Cruci demonstrat. Pars tertia Crucifixas ostendit feminas, quas omnes Regina gloriosa præit.

Quales Crucifixi, tales & Cruciferi laborantes & ægrotantes: quorum lectus doloris omnimodam sympathiam cum Dominica Cruce habet; quam seruant cum ipso Domino Crucifixo martyres Cruci affixi.

Crux tam Crucifixorum, quàm Cruciferorum, instrumentum est artis benè viuendi & moriendi, quæ in sacro descripta fuit ORATORIO. *Hoc instrumentum innatam sibi virtutem deriuatam à Patientia habet, eleuatam verò à sacrosancta Eucharistia. Hoc instrumento artifices cælestes vtuntur, vt sibi coronam parent; & parant dum laborant & ægrotant. Honor quippe alit artem benè viuendi & moriendi: & hic honor singulis laborantibus & ægrotantibus proponitur in* SANCTVARIO. *& ad singulas imagines extrema morientium Sanctorum verba citantur, vt illa tamquam oracula in lecto doloris colant, ac meditentur: præsertim septem vltima* CHRISTI *verba, quæ laureata & coronata Patientia ad regulam certam reducet*
Iacob. 1, 4: *in fine & Appendice* SANCTVARII; *in quo* Patientia opus perfectum habet.

Hoc munus Angelo Custodi incumbit, vt non solùm ad ORATORIVM *Baptismi, Pœnitentiæ & Eucharistiæ animas*

mas fideles ducat, ſed etiam deducat ad SANCTVARIVM. *Angelus enim ille, ſub cuius cuſtodia & cura populus Hebræorum erat, & à quo ductus eſt per Rubrum mare, & deſertum, ſua præſentia & lumine illuſtrabat* SANCTVARIVM, *quod filij Iſraëlis intrabant, & in eodem ſummum Deum adorabant. Eapropter idem ipſe cuſtos Angelus, qui fuit in* ORATORIO *ductor, dux quoque nunc eſt in* SANCTVARIO; *cuius tres partes tripartito ſuo lumine oſtendit, & declarat ingredienti, occurritque iam dicenti:* Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, cuſtodi, illumina, rege & guberna. Amen.


Angelus Cuſtos phoſphorus eſt SANCTVARII, *in cuius ſacrato limine præmittenda eſt noſtra confeſſio, eadem omnino cum illa quam Tertullianus in exordio ſui libri de Patientia in verba ſequentia præmiſit:*

Confiteor ad Dominum Deum, ſatis temerè me, ſi non etiam impudenter, de patientia componere auſum, cui præſtandæ idoneus omnino non ſim, vt homo nullius boni; quando oporteat, demonſtrationem & commendationem alicuius rei adortos, ipſos priùs in adminiſtratione eius deprehendi, & conſtantiam commonendi propriæ conuerſationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcant. Atque vtinam erubeſcere iſtud remedium ferat, vti pudor non exhibendi, quod aliis ſug-

ſuggeſtum imus, exhibendi fiat magiſterium: niſi quòd bonorum quorumdam, ſicuti & malorum, intolerabilis magnitudo eſt, vt ad capienda & præſtanda ea, ſola gratia diuinæ inſpirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum; nec alius id, quàm qui poſſidet, diſpenſat, vt cuique dignatur. Itaque velut ſolatium erit diſputare ſuper eo quod frui non datur, vice languentium, qui cùm vacent à ſanitate, de bonis eius tacere non norunt. Ita miſerrimus ego, ſemper æger caloribus impatientiæ, quam non obtineo patientiæ ſanitatem, & ſuſpirem, & inuocem, & perorem neceſſe eſt, cùm recordor, & in meæ imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, & Dominicæ diſciplinæ ſanitatem, non facilè cuiquam, niſi patientia aſſideat, prouenire.

Poſt hæc pinxit Tertullianus Patientiam, quam nos typis excudimus, & exprimimus per varias Crucifixorum imagines in gratiam laborantium & ægrotantium: & quidem ſectantes exemplum ſimul & documentum S. CAROLI BORROMAEI, *qui ſacris propoſitis imaginibus laborantes eſſe iuuandos cenſuit: & ipſe ægros his iuuabat; monebatque Sacerdotes, vt oſtenſis ſanctis iconibus languentes & morientes excitarent. Hæc* SACRI SANCTVARII *praxis, hic piarum eius imaginum vſus, & cultus eſto.*

SYM-



Lectus doloris et mortis iuſtorum, ſecundùm menſuram Crucis.

SYMPATHIA
CRVCIS ET LECTVLI
PASSIONIS ET ÆGRITVDINIS.

C*Vm ſacræ Crucifixorum imagines, quæ in* SACRO *hoc* SANCTVARIO *proferuntur, Emblematicæ omnes ſint, indices ſtatus laborantium & ægrotantium, qui lecto doloris affixi variis morbis diuexantur & afflictantur, præmonendi ſunt infirmi, quanta ſit inter Crucem & lectulum materiæ, formæ, & finis paritas & ſimilitudo.*

Eadem materia Crucis & lecti.

Ex eadem ligni materia Crux & lectus fabrefiunt. Contempserant hanc materiam, in quos grauiter inuehitur Amos cap.6. Væ qui opulenti eſtis in Sion, *&c.* Qui ſeparati eſtis in diem malum: & appropinquatis ſolio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. *Præſtat in lecto ligneo iacere: vt, quoties in eo iaces, memineris primi lapſus, quem in primo ligno feciſti; & ſimul Crucis Dominicæ, per quam in ligno redemptionem inueniſti.*

Eadem forma.

Crux & lectulus in eadem forma conueniunt. Crux ita conſtruitur & componitur, vt, quiſquis inhæret Cruci, caput erigat, corpus deprimat, extendat manus & brachia, pedes colligat. Quotuſquiſque in lecto cubat, ad hanc formam ſe componit; eleuat in altum caput, dimittit corpus, explicat manus & brachia, pedes coniungit & copulat. Cùm S. Patriarcha Iacob in lecto ſuo moreretur, ſcriptum de eo legimus Geneſ.49. Collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit: appoſituſque eſt ad populum ſuum. *Hic idem ipſe eſt, qui Geneſ.47. vicinus iam morti, mortis & vitæ Dominum veneratus in lecto eſt:* Adorauit Iſraël Deum, conuerſus ad lectuli caput. *Qualis hæc adoratio fuerit, ſcribit & deſcribit Apoſtolus cap.11. ad Hebræos.* Fide Iacob, moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius. *Adorauit Crucifixum lecto affixus, ad formam eius compoſitus dum extremè laboraret; & inſtar cæleſtis auis quæ pedes contrabit,*

bit, vt ſe ſuſtollat in altum, collegit pedes ſuos ſuper lectulum,& obiit, appoſituſq; eſt ad populum ſuum.

Crux & lectus in eumdem finem, in eumdem ſcopum collimant. Hic lectuli finis eſt, vt cubantem in ſe hominem, ſomno ac quiete fruentem, admittat & excipiat. Hic idem ſcopus ſacratiſſimæ Crucis eſt. Rogat Eccleſia CHRISTVM: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. *Tunc temporis* CHRISTVS *cubitum in Crucem iuit; & in Crucis lecto dormiuit.* Ego, *inquit*, dormiui, & ſoporatus ſum. *Somnum cepit & quietem, cùm dixerit adhuc ipſe:* In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

Idem finis. Cant.1,6. Pſal.3,6. Pſal.4,9.

Quòd ſi Crux & re & nomine cruciatum & tormentum ſecum præfert; ne hoc ipſum deſit lecto, poſitus in eo æger affligitur & torquetur. Huc pertinet quod aſſerit ægrotus Iobus: Si dixero: Conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtrato meo; terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. *Adde commentarium Ambroſij cap.2. de Interpellatione Iob.* Quid ærumnoſius, cùm ipſe lectus communem ad quietem datus, graue vulnus infligat? Tunc enim ſolemus, quod fecimus, recordari, & factorum ſtimulis compungitur interior conſcientia. vnde & Scriptura ait: Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Remedium quidem dedit, ſed tamen conſcientiam vulnerauit.

Eadem pœna. Iob 7,13. Pſal.4,5.

Conſti-

Constitutus in lectulo suo Dauid vulneratum se sentie-
Psal.6,7. *bat & gemebat*: Laboraui, *inquit*, in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Considerandum hunc lectum laboranti & ægrotanti proponit Chrysostomus Orat.*1. *de Lazaro*: En ostendo tibi lectum beati Dauid. Qualis igitur erat ille? Non argento & auro, sed vndique lacrymis & confusione exornatus. Hæc ipse fatetur de se loquens: Lauabo per singulas noctes lectum meum.

En ostendo tibi, noue Dauid, lectum doloris, & simul honoris, secundùm mensuram Crucis; vt cognoscas quanta sit paritas & æqualitas inter Crucem passionis & lectulum ægritudinum, quæ spinarum instar pungunt. dicitque pro-
Psal.31,4. *pterea Rex*: Conuersus sum in ærumna mea, dum
Idem præmium. configitur spina. *Ex acutissimis spinis fabrefacta est* CHRISTI *corona, & ex acutissimis morbis fabrica-*
2.Tim.2,5. *tur gloriosum diadema infirmorum.* Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit. *Certa in Cruce, certa in lecto, cum Crucifixo & Crucifixis; quorum Emblematicæ imagines conditionis status tui & simul officij monebunt, & ostendent eam esse virtutem mirandam patientiæ, quam agens de eruditione Principum describit S.Thomas*: Patientia, *inquit*, malis omnibus dominatur, omnia seruiunt ei, etiam mors ipsa.

EM-

EMBLEMATVM SACRORVM SANCTVARII

INSTRVCTIO PARTICVLARIS PRO HEBDOMADA TERTIA ET QVARTA SPIRITALIVM EXERCITIORVM.



OSTQVAM *S. Patriarcha Ignatius primam & secundam septimanam sanctorum Exercitiorum considerationi creationis, vitæ & miraculorum Christi accommodauit, tertiam hebdomadam mysterijs Crucis & patientiæ Redemptoris applicauit. Huc etiam pertinent sacra Emblemata tripartiti Sanctuarij, cuius prima Pars est de Christo Crucifixo, & Superioribus Crucifixis; in quorum martyrio, præ ceteris Crucifixis, stigmata paßionis Dominicæ maximè splendent. Accedit glorioso Regi Crucifixo, & ceteris eius sociis, cæleste præmium ad singulas eorum Cruces expositum, quod palmis atque lauris exornatur. Hoc pacto Sanctuarium Cruci paßionis & lauro resurrectionis Christi respondet, & consequenter tertiæ & quartæ hebdomadæ spiritalium Exercitiorum correspondet. Habebunt itaque Antistites in prima Parte Sanctuarij Præsules, & Prælatos Crucifixos; quorum magisterio edocti, vtramque septimanam transigant, & perficiant.*

Secunda Pars de subditis Crucifixis est; qui adhærentes Regi suo, dicunt singuli quod S. Ignatius dixit in Exercitio regni Dei: Audiam, *inquit*, Regem loquentem ad om-

nes ſubditos. Quicumque me comitari velit, paratus ſit oportet non alio vti victu, veſtitu, rebuſque aliis, quàm me vtentem conſpexerit. In iiſdem quoq; laboribus, vigiliis & caſibus ceteris mecum perſiſtendum erit, vt particeps fiat victoriæ & felicitatis vnuſquiſque, prout laborum & moleſtiarum ſocius exſtiterit. *Subditi ſunt quibuſcum loquitur Chriſtus, & de quibus Pars ſecunda Sanctuarij ſermonem facit, quatenus ad vocem glorioſi Regis ſe parant ad crucem & paſſionem tolerandam; vt ſibi regnum Dei promerentes, cum Chriſto in gloriam reſurgant. Hic ſcopus tertiæ & quartæ ſeptimanæ eſt, & hic ipſe eſt ſecundæ Partis Sanctuarij. Verumenimuerò cùm Chriſtus cæleſte regnum paruulorum eſſe dixerit, in Exercitio diuini amoris ad illos etiam glorioſi Regis ſermo tamquam ad ſubditos dirigitur; & ipſi etiam vocationem eius & crucem pariter ſequuntur, vt in fine huius ſecundæ Partis oſtenditur. Habebunt itaque ſubditi viri viros, pueri pueros, qui in paſſione & reſurrectione Chriſti eos inſtruant, & informent.*

Tertia Pars virginibus, viduis, & coniugatis feminis Crucifixis conuenit; vt feminas pias, & ſui profectus ſpiritalis ſtudioſas, in ſacris Exercitijs inſtituant. Non ſolùm viri, ſed etiam feminæ ad vſum ſpiritalium Exercitiorum admitti debent; & admittuntur cum magno ſuarum animarum commodo, vt ipſa experientia teſtatur. Abſit, vt illæ arceantur ab Exercitiis ſpiritalibus, cùm feminæ fuerint priùs in Oratorio, & nunc in Sanctuario, quarum magiſterio viri etiam myſtici ducuntur, & ſe laudabiliter exercent. Habebunt itaque mulieres propriæ ſuæ conditionis magiſtras virgines, viduas, & coniugatas; ſed potiſſimùm glorioſam

rioſam

riosam Reginam Mariam, vt instruantur, & moneantur sui officij, & eius obseruatione beneficium promissæ resurrectionis acquirant. Hic finis tertiæ & quartæ hebdomadæ est; & idem omnino est Partis tertiæ, in qua per specula paßionis & patientiæ feminæ vocantur & inuitantur, vt seipsas ad exemplum gloriosæ Reginæ Mariæ componant, & ornent.

Accedit tertiæ Sanctuarij Partis Appendix de septem extremis verbis Christi morientis, quæ S. Ignatius in fine tertiæ hebdomadæ spiritalium Exercitiorum non minùs attentis quàm deuotis auribus excipit : Effatus est, *inquit,* Dominus in Cruce verba septem: orans videlicet pro crucifixoribus: latroni parcens: Matrem & Ioannem sibi mutuò commendans: exclamans, SITIO, quando aceto eum potauerunt: & deinde se à Patre dicens derelictum: posteà, CONSVMMATVM EST: ac postremò, PATER IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRITVM MEVM. *Hic finis loquendi Christi, & hic exitus tertiæ hebdomadæ paßionis, in qua patiens se exercet, & virtus patientiæ exercetur. Hæc ipsa extremos Christi sermones audit, & excipit coronata, vt vacantes exercitationibus sacris moneat repositam esse coronam iis, qui Christo loquenti obedierint vsque ad vltimam vitæ metam; & vnusquisque eorum factis ipsis declarauerit, quod promisit in Exercitijs S. Patriarcha Ignatius, & perfectißimè impleuit. Quid promiserit ipse, declarat in Exercitio illo diuini amoris: cùm enim attentam & piam aurem applicuisset glorioso Regi loquenti cum suis subditis, vt ad sui Regis exemplum per crucem & paßionem componerentur ad gloriam resurrectionis, offert se ex animo* IESV *socium, & dicit:* En, ô

Rex ſupreme, & Domine vniuerſorum, ego, licet indigniſſimus, fretus tamen gratia & ope tua, me tibi penitus offero coram infinita bonitate tua, nec non in conſpectu glorioſæ Virginis matris tuæ, vt quàm poſſim proximè te ſequar, & imiter in ferendis iniuriis & aduerſis omnibus.

Aſſonat in omnibus Sanctuarium tertiæ & quartæ hebdomadæ ſpiritalium Exercitiorum: in quibus, pro compoſitione locorum, proderunt imagines Crucifixi Regis, & aliorum; pro punctis meditationum & conſiderationum, expoſitiones quæ ex ſanctis Patribus & eorum libris adducuntur; pro diuerſitate colloquiorum, variæ diuerſæque orationes, quæ in hoc Opere formantur, & enuntiantur.

Quòd ſi primæ & ſecundæ hebdomadæ Exercitia exigunt, vt qui in illis ſe occupat, benè habeat & valeat; tertia & quarta ſeptimana, in quibus Chriſtus languet, & poſt languorem reſurgit, non dedecent eos qui affixi lecto decumbunt morbis & doloribus afflictati, & ſperant, non tam virtute Medicorum, quàm ope diuinâ fore ſe tandem ſurrecturos. Unde fit, vt Sanctuarium Crucis & patientiæ in gratiam laborantium & ægrotantium, ſit etiam ſpiritaliter ſe exercentium, cùm morbis corporalibus diuexantur. Hæc itaque Exercitia ſanis & ægris, benè & malè habentibus hominibus vtilia ſunt. Cùm enim Ambroſius 1. ad Timoth. 1. affirmauerit, Non ſine merito eſt, qui cogitat de bonis viris, *qui languens de Chriſto languente cogitauerit, & qui liber à morbo & è lecto ſurgens de Chriſto reſurgente fuerit meditatus; indubiè non erit ſine magno merito, cui par apud magnum Deum reſpondeat ſpiritale & corporale præmium.*

SACRI

SACRI SANCTVARII CRVCIS ET PATIENTIAE

PARS PRIMA DE SVPERIORIBVS CRVCIFIXIS ET CRVCIFERIS.

Figura CRVCIS vbique inuenitur, apud PRINCIPES, apud ſubditos, apud mulieres.
Chryſoſtomus, Quòd Chriſtus ſit Deus.

IMAGINES EMBLEMATICÆ PARTIS PRIMÆ SACRI SANCTVARII.

Regis gloriosi Crucifixorum & Cruciferorum.
S. *Petri Apostoli.*
S. *Andreæ Apostoli.*
S. *Philippi Apostoli.*
S. *Bartholomæi Apostoli.*
S. *Simeonis Episcopi.*
S. *Sixti Papæ.*
S. *Macarij Patriarchæ.*
S. *Nestoris Episcopi.*
S. *Astij Episcopi.*
S. *Petri Episcopi Damasceni.*
S. *Clementis Episcopi.*
S. *Liberati Abbatis.*
S. *Paphnutij Abbatis.*

Sanctus Laurentius Iustinianus cap.8. de Obedientia.

PRoferatur nunc in publicum Dei & hominum Mediatoris exemplum : in quo siquidem, tamquam in præclarissimo speculo, Obedientiæ fulget imago, veraque subiectionis forma conspicitur.



Quæ fuerat ſeges opprobrij, poſt funera, CHRISTE,
1. Crux tibi, crux alijs, crux ſibi facta decus.

SACRI SANCTVARII CRVCIS ET PATIENTIÆ EMBLEMATICA IMAGO I.

GLORIOSI REGIS CRVCIFIXI EXPLICATA.



RIMA & primaria effigies Sanctuarij Crucis & Patientiæ crucifixum CHRISTVM exhibet, qui, imminente iam passione, dum oraret, declarauit velle se propter obsequium & obedientiam immolari. Quid aliud nisi obedientiam eius oratio sonabat? *Pater,* inquit, *si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Cessit ex voto mors; decessit ex obedientiâ. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Gloriosus diuinæ obedientiæ Artifex, in cuius elogium & vaticinium dixit & prædixit Isaias: *Radix Jesse, qui stat in signum populorum.* Victor in Cruce stat de prima inobedientia triumphans.

Rex & Artifex gloriosus diuinæ obedientiæ.

Matth. 27, 33. Marc. 15, 21. Luc. 23, 26. Ioan. 19, 17. Luc. 22, 42. Philip. 2, 8. Isai. 11, 10.

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Vt medelam ferret inde, hostis vnde læserat.

Crux

Crux CHRISTI, Crux obedientiæ.

Crux obedientiæ instrumentum artis benè viuendi. Luc. 9, 23.

PRæit gloriosus Rex, qui & dicit de se: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Mysterium magnum hoc est, quòd cùm gloriosus Rex suam Crucem baiularet, Simon Cyrenæus adiutor fidus accesserit. Nomen *Simonis* significat *obedientem*; & obediens associatus adunatusque cum Christo vnam & eamdem Crucem gestat. *Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Gloriabatur in excelsa Cruce Paulus imitator Regis gloriosi: de quo Cyrillus libro 11. in Ioannem cap. 23. *Imitabatur Christum Paulus, non in quantum est Creator Dominus rerum omnium (impossibile namque est homini, & omni creaturæ, quidquam ex nihilo producere) sed in quantum mirabilem viuendi illius disciplinam tamquam exemplar (vt homini possibile atque fas est) in seipso transpingebat.*

Hebr. 5, 8.

Excitatio laborantis.

Crux CHRISTI, Crux ægrotantis.

Instrumentum artis benè moriendi.

CHRISTVS in lecto Crucis iacens, ex mandato æterni Patris infirmum hominem egit. *Quemadmodum per lignum noster casus fuerat excogitatus;*

tus; ſic per lignum à caſu renouati cæleſtia bona accipimus, cùm ipſius quaſi ægritudinis initium propter nos in ſeipſum Chriſtus luſtrauerit. Ita Cyrillus lib.12. in Ioannem cap.29. Hic æger, pauper & egenus eſt, quem Dauid ex placito Dei decumbenti ægro contemplandum proponit: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Ad huius hominis pauperis, & glorioſi Regis ſpeculum, componebat ſe iacens in doloris lecto Auguſtinus, cùm Epiſt.149. ſcriberet Profuturo: *Secundùm ſpiritum, quantum Domino placet, vtque ipſe vires præbere dignatur, ratione ſanus, corpore autem in lecto ſum. Nec enim ambulare, nec ſtare, nec ſedere poſſum, dolore ac tumore percuſſus. Sed etiam ſic, quoniam id Domino placet, quid aliud dicendum eſt, niſi quia rectè ſumus.* Rectè habet in extremis cultor diuinæ obedientiæ. Cùm Ioannes Abbas totus hilaris obiret, dicebat: *Numquam feci propriam meam voluntatem, nec aliquem docui quidquam quod ego priùs ipſe non fecerim.*

Pſal.40. 1.

Excitatio ægrotantis.



Regit, leuat, et coronat,
Patientem ouem Agnus Eucharistiæ.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus ante ſacrum Paſchæ diem, quo Crucis paſſionem & mortem ex Patris æterni præſcripto ſubiturus erat, ſeipſum immolauit in altaris Sacramento, cuius epulo ac potu mirabiliter ſe refecit, mirum in modum ſe recreauit. Delectatus tanti myſterij dulcedine ac ſuauitate, totus animoſus & alacer ad tolerantiam crucis ac mortis ſe accinxit, & ſuos ſimul Crucifixos atque Cruciferos præmuniuit. Hic eſt ille Rex glorioſus, qui ſuos aſſeclas

Virtus S.Eucharistia.

ſeclas ad paſſionem crucis vocat: *Si quis vult poſt me* Luc.9,23.
venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Et vt ſuauem ac leuem crucem reddat, inuitat Agnus ad ſui communicationem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis,* Matth.11,28.
& ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

SEcundùm menſuram regulæ, in qua cum oue pingitur & conuenit altaris Agnus, corona aurea & aureola debetur, & exhibetur; quæ præceſſit anteà in typo menſæ antiquæ tabernaculi, & eius ſtructura demandata Moyſi eſt Exod. cap.25. *Facies & menſam de lignis Setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum ac ſemiſſem. Et inaurabis eam auro puriſſimo: facieſque illi labium per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem, altam quatuor digitis; & ſuper illam, alteram coronam aureolam.*

Honor coronæ aureæ & aureolæ alit artem benè viuendi & moriendi, & excitat in primis cultores obedientiæ atque patientiæ, vt, ſi velint coronari cum Agno in regno cæleſti, non otientur, ſed præ-

 lien-

2.Tim.2, 5. *Corona aurea.* lientur. *Non coronatur nisi qui legitimè certauerit.* Non coronabitur aureo diademate visionis ac fruitionis, nisi quis iuxta sacratæ legis præscriptum sub signis militaribus Crucifixi decertauerit. Excitet igitur aurea corona corda & animos Crucifixorum, simul & Cruciferorum, quibus illa propter virtutem obedientiæ & patientiæ promissa est, ad cruentum & incruentum certamen tentandum & prosequendum. Cultor Crucis CHRISTI, eius obedientiæ ac tolerantiæ, dicebat Paulus: *Mihi mundus crucifixus est,* Galat.6, 14. *& ego mundo.* & hic ipse magnos animos concipiebat, cùm subiungeret: *Reposita est mihi corona iustitiæ.* 2.Tim.4, 8. Hæc quidem aurea corona decreta legitimè certantibus, cum morbis etiam & morte ipsa luctantibus sancita est.

Aureola. Præter hanc primæ & primariæ beatitudinis gloriam est & alia secundaria & accessoria illustratio gloriosæ aureolæ, sacris Martyribus destinata. *Gloria honoris, & opus virtutis.* Eccli.45, 14. *Merces obedientiæ.* Accedit gloriæ honoris aureæ scilicet coronæ, opus virtutis, cuius gratiâ debetur & exhibetur aureola. Vbi martyrium, ibi meritum coronæ & corollæ aureæ est. Crux quidem obedientiæ, præsertim Religiosæ, secum martyrium importat, quemadmodum Serm. 12. Thomas à Kempis aduertit: *Potest quilibet in ordine & statu*

tu

tu ſuo religioſè & deuotè viuendo palmam martyrij obtinere, ſi obedientiam vſque ad mortem exemplo CHRISTI *cuſtodit, ſi beneplacitum Dei ſectatur, & ſuum velle relinquit.* Referat anima Crucifixum obedientem propriæ voluntatis abnegatione, vt eumdem Martyrum Regem referat coronatione. Hæc qualis & quanta ſit in excelſo Crucifixorum & Cruciferorum Rege, Ambroſius Serm. 15. in Pſalm. 118. commemorat: *Quæ eſt corona qua coronatur* CHRISTVS, *niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus iuſtitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ ſunt. Solus* IESVS CHRISTVS *habet coronam gloriæ. In hac corona omnes coronæ ſunt, quia gloria non partis vnius corona, ſed præmium omnium coronarum eſt.*

Hinc efficitur, coronæ aureæ & aureolæ diuiſionem adſtruendam in CHRISTO non eſſe, cùm ceteras glorias contineat ſola corona, qua ornatus & inſignitus regnat & triumphat in cælis. Hæc vera ſacræ Theologiæ definitio eſt. Tota crux, & non per partes, incubuit humeris CHRISTI, cuius teſtificatio eſt: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum,* cui non per partes, ſed tota corona gloriæ debebatur. Hic ipſe ad partem crucis obedientiæ ſuæ accerſiuit Simonem, virum ſcilicet obedientem, paſſionis & glorificationis ſuæ conſortem. *Iam trophæum*

Aureola glorioſum Regem non decet.

Iſai. 63, 3.

phæum ſuum, vt ait Ambroſius lib.10. in Luc. cap.19. *Victor attollat. Crux ſuper humeros imponatur, vt trophæum, quod ſibi Simon ſiue ipſe portauit, & Christvs in homine, & homo portauit in Christo. Et bonus ordo noſtri profectus eſt, vt priùs trophæa ipſe erigeret, deinde Martyribus traderet erigendum, iuxta quod ſcriptum eſt; Tolle crucem tuam, & ſequere me.* Exclamat hoc loco Richardus Victorinus, agens de ſacrificio Dauid: *O quàm confidenter Crucifixo adſtabit, qui ſe propter ipſum ad omnem obedientiam ſubdit! Cum quanta conſcientiæ ſecuritate verus obediens ad thronum gratiæ illius accedet, qui factus eſt Patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis! Cum quantis trophæis de ſtadio huius vitæ exibit, qui ſeipſum propter Christvm penitus abiicit, & alienæ ſeruituti addicit, iuxta Salomonis ſententiam, Prouerb.21. Vir obediens loquetur victorias.*

Proferatur nunc in publicum ſancti Petri Apoſtoli exemplum: in ipſo ſiquidem, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, veræ humiliationis fulget imago, & ferentis patienter morbum forma conſpicitur.

EM-



Quid cruce, Petre, opus est? quin pandis sidera Christi
2 *Clauibus? an Christo crux quoq; clauis erat?*

EMBLEMATICA IMAGO II.

S. PETRI APOSTOLI CRVCIFIXI EXPLICATA.

POST effigiem CHRISTI patientis apparet PETRI crucifixi Imago. Sub Nerone Imperatore crucis patibulo addictus, nouo modo, noua forma, capite inuerso pro suo voto ac libito crucifixus est, vt gloriosum Regem suum magis commendaret, & efferret, ac seipsum magis deprimeret. *Vir est imago & gloria Dei.* Imago non quærit propriam gloriam, sed eius cuius est effigies: vnde & CHRISTVS ipse, cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ Patris, asserit, *Non quæro gloriam meam.* PETRVS viua imago est & gloria CHRISTI, & illum effert, se verò deprimit, vt impleat officium suum. Hic est ille magnus Apostolus, qui humilitatem suam cum magnitudine CHRISTI contulit, & post collationem factam seruus Domino primas dedit. Præcessit gloriosus Rex, *& inclinato capite tradidit spiritum*: suffecit in locum suum ac præfecit caput Ecclesiæ PETRVM, qui se in morte submisit & depressit.

Hegesippus. Metaph. Prudent. Lipoman.

1. Cor. 11, 7.

Ioan. 8, 50.

Sympathia Christi & Petri Artificum humiliationis.

Ioan. 19, 30.

 Crux

Crux PETRI Apoſtoli, Crux ſanctæ humiliationis.

Crux humiliationis inſtrumentum artis benè viuendi.
Iob 5,7.

CVm naſcitur homo mortalis, ad crucem naſcitur: *homo naſcitur ad laborem*; naſcitur ad humiliationem, quam ipſa forma naſcendi præfert, & portendit. Cùm ex materno vtero proles funditur, inuerſo capite prodit, vt vel ab ortu ſuo nouerit, more PETRI crucifixi, ferre crucem humiliationis, & ſe totum Deo ſubmittere. Hanc ſibi crucem portandam putabat Iobus, cùm diceret:
Iob 10,15. *Si impius fuero, væ mihi eſt: & ſi iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus afflictione, & miſeria.* Deus miſerias & afflictiones immittit, vt aſſequamur myſteria humilitatis & humiliationis. Quanti verò hæc ſcientia habenda & æſtimanda ſit, vel ex hoc perſpici poteſt, quòd lib. 2. de Officiis cap. 7. in Pauli elogium commendat Ambroſius. *Scio, inquit Paulus, humiliari. Non ergo indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam & ſcientiam, laudi datur*, &c. *Præclarè ergo dixit, Scio humiliari, id eſt, quo in loco, qua moderatione, quo fine, quo officio, quo munere. Neſciuit Phariſæus humiliari, ſciuit publicanus, ideò iuſtificatus eſt.*

Excitatio laborantis.
Philip. 4, 12.

Quo in loco humiliatus eſt? Submiſit ſe PETRVS Romæ, ſubmiſit ſe in parte occidentali Orbis, vt

ſcientiæ

ſcientiæ humiliationis, quam in Orientis regionibus à Magiſtro ſuo didicerat, præclarum ſpecimen exhiberet. Docuit hanc in Vrbe Romana ſcientiam, vbi indocta ſuperbia præualebat, & docta Crucis humilitas ignota omnino iacebat.

Qua ſe ſubmiſit moderatione? Seruauit modum, qui ſeruum decebat Regis; & ſummo ſibi honori duxit, extremá tanto Principi oſtendere ſubmiſſionem, & dicere cum Dauide, *Vide humilitatem meam.* Pſal.24,18.

Quo fine ita ſe ſubiecit? Subiecit ſe eo fine Princeps Apoſtolorum, vt Rex glorioſus ſtaret, ipſe iaceret. Nobilis hæc conditio fidelis miniſtri eſt, vt vel detrimento vel caſu proprio incrementum & ſtatum Principis ſui ſedulò curet. Cùm Ioannes in ſummo eſſet honore, fidum miniſtrum agens, faſſus eſt ingenuè, *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Ioan.3,30. Minuit Ioannes ſtatũ ſuum, vt CHRISTVS creſceret, PETRVS totum ſuum ſtatum inuertit & euertit, vt ſtaret CHRISTVS, nec vnquam à ſtatu ſuo decideret.

Quo officio ita ſe depreſſit? Summum ille officium Pontificatus exercebat, & officij iure ſummus ei honor debebatur, cum CHRISTO tamen de paritate non contendebat, ſed in cruce etiam cedebat, & procumbebat, & quidem meritò: teſte enim & iudice Ambroſio lib.10. in Luc. cap.9. PETRVS *non*

poterat diuinæ conſtantiam intentionis æquare. Paſſio Domini æmulos habet, pares non habet.

Quo munere ſe, inuerſo capite, cruci affigi curauit & obtinuit? Vt propria humiliatione Sedi Apoſtolicæ acquireret & compararet ſublimem gloriam, quam ſupra omnes thronos Imperatorum & Regum obtinet; & ipſe ſibi ſummam in cælo exaltationem curaret, & conſequeretur.

Magnus hic magiſter humiliationis eſt, cuius vox illa habeatur, *Scio humiliari*, & ſimul docere, quo in loco, qua moderatione, quo fine, quo officio, quo munere oporteat ſeruari & obſeruari diſciplina humiliationis.

Philip. 4, 12.

Crux PETRI Apoſtoli, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Gen. 27, 27. Heb. 11, 21.

CVm eſſet infirmus Iacob, conuerſus ad lectuli caput, faſtigium virgæ, quæ in manu Ioſephi erat, coluit & adorauit. Myſticus Iacob Apoſtolus PETRVS eſt, qui conuerſus ad crucis caput, totus humilis culmen CHRISTI crucifixi colit, & laborantibus dicit: *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* Hic ægritudinis ſcopus, hic fructus, vt homo cuiuſlibet ſtatus & gradus, nouerit ſeipſum deprimere, nouerit Deum immortalem colere & adorare. Hæc ad ſalutem animæ via, vt homo ſeipſum humiliet, cùm

1. Pet. 5, 6.

infirma

infirma carne laborat. Audiant igitur ægri CHRISTVM dicentem & clamantem, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Huius loci Interpres Augustinus libro de Sancta virginitat. cap.33. dicit: *Itáne magnum est esse paruulum, vt nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci minimè posset? Ita planè. Non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto digesto tumore, quo magna sibi erat, quando sibi sana non erat.* Cùm ergo caro humana morbis afflictatur & humiliatur, spiritus conualescit. Huc pertinet, quod S. Birgittæ lib.6. cap.93. legimus, Dei Matrem de filia sibi chara pronuntiasse: *Ego Mater Dei, quæ nullam horam sine tribulatione cordis transiui in terris, consulo, vt ipsa non erubescat esse humilis.* Ita significari Virgo virgini filiæ voluit per sanctam Birgittam: cui post hoc acceptum nuntium apparuit B. PETRVS Apostolus, & ait: *Tu es noua sponsa Domini & Dei nostri, vade, & quære ab illa muliere, quam ego dilexi, si fortè velit ex toto esse mea filia. Et illâ requisitâ consentiente, & dicente, Volo toto corde; B.* PETRVS *ait: Ego prouidebo ei sicut filiæ Petronillæ, & recipiam eam in custodiam meam. Et statim Domina illa, his auditis, mutauit vitam suam, & non longè pòst cœpit toto vitæ suæ tempore infirmari, donec purgata cum*

Matth. 11, 28.

Excitatio ægrotantis.

maxima deuotione tradidit ſpiritum. Quàm eſſe humilem voluit Dei Mater, vt ſe humiliaret vſque ad extremum vitæ terminum; B.PETRVS afflictari ſemper morbis optauit atque curauit. Sic itur ad aſtra: ſic clauiger æthereus per crucis humiliationem rectà in cælum aſcendit, & cæleſtem ſibi aditum fecit: &, qui ſapiens eſt, *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficiet opus.* (Eccli. 38, 28.)

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx glorioſus bibit de torrente in via, & dum biberet, ad ima demiſit ſe, & caput ſuum inclinauit; quod deinde extulit & exaltauit. Hic calix paſſionis eſt, & hic ipſe in altari conſecratur, cuius hauſtu recreantur ac reficiuntur, qui more PETRI Apoſtoli deprimuntur & humiliantur. Dictum ſibi à CHRISTO in Euangelio arbitrentur, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* (Matth. 11, 28.) Humiliationis iugum, aliàs graue atque moleſtum laborantibus & ægrotantibus; poſt Euchariſtici Agni refectionem totum dulce ac ſuaue efficitur. Adeſt quippe in ſacra Euchariſtia CHRISTVS, qui deſcendit ad ima, vt extollat humiles, & in cælum aſſumat. Virtus quidem (*Viaticum.*)

patientiæ

patientiæ licet hunc habeat effectum, vt quod semel illa depresserit, in cælum euehat, eleuata hæc virtus est in Agno sacræ Eucharistiæ, cuius vel sola vmbra, cùm in terra iaceret Elias, eum erexit, & extulit vsque ad apicem montis Oreb, in quo cælestis sublimitatis cacumen apparebat.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

AVrum, ex quo mensa tabernaculi decorabatur, & in ea corona aurea & aureola conficiebantur, ex imis terræ visceribus, in quibus natura illud condiderat, extractum erat, & à sua ipsius origine portendebat se creatum pro iis, qui & humilitatem & humiliationem amplecterentur. Vtramque amplexus est D. PETRVS, & idcircò apposita est *corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris*. Humiliatur priùs aurum, quod in summo habetur pretio, & Pontifex aureus PETRVS priùs in cruce deprimitur, & posteà regno cælesti donatur, aurea & aureola coronatur. Hic ipse sermone & exemplo exhortatur: *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis*. Hanc exaltationem tempore ægritudinis, & mortis, futuram esse, Apostolus insinuat. Cælestis illa

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Eccli. 45, 14.

Corona aurea.

1. Pet. 5, 6.

illa exaltatio erit animæ humiliatæ coronatio. Decorabitur corona aurea, & æmula aureolæ, quæ Martyribus glorioſis decreta eſt. Et quidem vera & perfecta humiliatio, quædam ſpecies martyrij eſt, quæ in Rege Martyrum claruit: innoteſcit & in PETRO, cuius martyrio dedit virtus humilitatis ingreſſum, progreſſum, & egreſſum glorioſiſſimum poſt extremam orationem, quam in mortis ſuæ articulo feciſſe, veterum Patrum hiſtoria commemorat, in hæc verba: *Gratias tibi Domine* IESV, *Fili Dei viui, non ſolùm voce & corde ago, ſed etiam ſpiritu quo te diligo, quo te alloquor, quo te interpello, quo te teneo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi omnia & in omnibus, tu mihi totum, & nihil mihi aliud præter te ſolum, qui es verus Dei Filius, cui cum æterno Patre & Spiritu ſancto honor & gloria in cuncta ſemper ſæcula ſæculorum, Amen.*

Aureola humiliationis.

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti ANDREAE Apoſtoli exemplum: in ipſo ſiquidem, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, ſpontaneæ oblationis fulget imago, & reſignationis in morbis forma conſpicitur.

EM-



I nunc et ſpera famam merſare tenebris:
3 *Splendet ab infami lux radiata cruce.*

D



EMBLEMATICA IMAGO III.
S. ANDREÆ APOSTOLI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS ANDREAS Apoſtolus, cùm Patris in Achaia myſterium Crucis CHRISTI ſua prædicatione extolleret, à Præſide Ægea ſub Nerone Imperatore crucis ſuſpendio adiudicatus eſt. Voluntarium & ſpontaneum Sacrificium ANDREAS ſeipſum in ara crucis litauit. Exclamauit victima ad aram: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo; vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Hoc holocauſtum ſublime, quod confecit de ſe ANDREAS, ſpeculum ſacrificij voluntarij gratiſſimum Deo fuit, ac proinde canit Eccleſia: *Suſcepit Deus* ANDREAM *in odorem ſuauitatis.* Rectè Hieronymus Epiſt. 28. *Aurum deponere, incipientium eſt, non perfectorum; fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antiſthenes: ſeipſum offerre Deo, proprium Chriſtianorum eſt & Apoſtolorum.* Primus ac primarius auctor huius perfectæ oblationis extitit glorioſus Rex in ſanctæ cru-

Martyrol. Metaph. Nicephor.

Sympathia Chriſti & Andreæ Artificum voluntarij Sacrificij.

Isai.53,7. crucis altari: *Oblatus est, quia ipse voluit.* voluit & ANDREAS sic offerri, sic litari.

Crux ANDREÆ, Crux oblationis sui.

Crux propria oblationis instrumentum artis benè viuendi.

Rom.12,1.

NEmo sine cruce vitam ducit, secum vnusquisque crucem gestat, in qua seipsum suo immolet Creatori. Ad hanc immolationem excitat Paulus, cùm ait: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Hostia viua, sancta & placens vero & magno Deo, nos ipsi simus, cum quibus Bernardus Sermone de Purificat. agens dicit: *Quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus* CHRISTO *pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus: optimum quod habemus, offeramus illi, quod sumus vtique nos ipsi.* Accedat Augustinus libro de Quant. anim. cap.28. *Vellem vt nihil aliud agerem, quàm reddere me cui maximè debeo, atque ita fieri, quod ait Horatius, amicum mancipium Domino.*

Excitatio laborantis.

Crux ANDREÆ, Crux ægrotantis.

Instrumentum artis benè moriendi.

LAnguebat amore ANDREAS: cumque ille duceretur ad molestum crucis lectum, exclamauit,

uit, *O bona crux*, & in ea totum ſe dedit, totum ſe obtulit Deo. Dum valet homo, negotiis variis rebuſque diuerſis diſtrahitur. Vt ſe ſibi totum recipiat, & de ſe hoſtiam viuentem conficiat, morbo tangitur, vocatur ad lectum, ad bonam ducitur crucem, ſi nouerit, more ANDREAE, de lecto componere altare, & ſeipſum in ægritudine ſua patienter & hilariter immolare. Quiſquis ſponte ſe ita immolat Deo, tollit à cruce & lecto quod graue & oneroſum eſt, iuxta Aphoriſmum Saluiani lib. 1. de Prouid. *Infirmitates*, inquit, *non ſunt oneroſæ tolerantibus, ſed tolerare nolentibus. Siue enim grauia hæc, ſiue leuia, animus tolerantis facit.* Quiſquis animo generoſo lecto affixus eſt, ſicut & ANDREAS cruci, ſciat pertinere ad ſe, quod Epiſt 15. ſcribit ad Olympiad. Chryſoſtomus: *Scis enim, ſcis inquam planè, quantæ laudis ſit, corporis morbum generoſo animo, atque cum gratiarum actione ferre. Hoc, vt ſæpè à me dictum eſt, Lazaro coronam attulit: hoc in Iobi certaminibus diabolum dedecore atque ignominia affecit, pugilemque ob huiuſmodi patientiam clariorem reddidit.* Admonendi ergo ſunt ægri, vt generoſo animo ægritudinis ſuæ crucem acceptent & amplectantur, & quidem cum gratiarum actione, quandoquidem non infertur grauis iniuria ægrotantibus, ſed eximium beneficium con-

Excitatio ægrotantis.

fertur. Confirmat Auguſtinus Tract. de Viſit. infirmorum Serm. I. *Eia*, inquit, *ſi Epiſcopatum, aut honorem alium, aut donum aliud, aut ſanitatem infirmis optabilem tibi conceſſiſſet Deus, nónne omni gaudio illud donum Dei ſuſcepiſſes? Certè maiore exultatione, & affectuoſiore voluntate, cum gratiarum actione hanc Dei animaduerſionem debes vnicam habere, quia & hoc vtiliſſimum Dei donum eſt.* Congratulabatur ſibi de dono crucis, & luce ipſa ſplendidius collatum ſibi beneficium cenſebat & iudicabat ANDREAS, cupienſque benefactori ſuo gratam facere compenſationem, fecit ſuiipſius odoriferam immolationem. Qui myſticus ANDREAS eſt, dum laborat & ægrotat, propoſitam ſibi imaginem ante oculos ſemper habeat, vt cùm lecto affixus ſit, ad hanc ſe componat formam, dignam ſibi datæ infirmitatis concipiat ac formet opinionem, & debitam faciat æſtimationem. Quam dum ſanus eſſet, de ſe inchoarat hoſtiam Deo ſalutis offerre, iacens in lecto æger paratus ſit animo perficere, ac glorioſè terminare.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ.

REx glorioſus ſpontaneam immolationem tempore paſſionis ſuæ fecit, & perfecit. Oſtendit ſatis clarè, ſe non trahi ad ſuam mortem inuitum,

cùm,

cùm, antequam à Iuda traderetur, ſeipſum in ſacrificium & Sacramentum Eccleſiæ tradidit. Hoc Agni ſacrificium & Sacramentum totum voluntarium eſt, ad cuius communicationem eos, qui vim patiuntur & laborant, vt ſeipſos Deo voueant, allicit & accerſit CHRISTVS. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: reficiam & conuertam vos in me, vt ſicut tradidi me ſponte mea, & adhuc trado, effecti ſimiles mei, voluntariè veſtra omnia, & vos ipſos pariter offeratis. Patientia poſſeſſionem adfert animarum. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* & hæc virtus Euchariſtiæ eſt, vt quam in poſſeſſione ſua vir patiens habet animam, eamdem prorſus voluntariè & ſpontaneè oblatam Deo reddat & reſtituat.

Matth. 11, 28.
Luc. 21, 19.
Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

SPlendebat auro menſa, quæ in antiquo tabernaculo præceſſit, & in ea aurea corona & aureola reſplendebant. Typus & vmbra erat ſacri myſterij Euchariſtiæ, cuius ſacrarium non caſu nec ſine cauſa ſæpè componitur & ornatur coronis floribus aureis contextis. Coronatur voluntarium ſacrificium, vt nouerint omnes, qui ſpontaneam conficiunt

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

ciunt de se oblationem, adepturos inclytas gloriæ coronas, quibus in cælorum regno decorabuntur. Voluntariè offerebat seipsum Paulus, & dicebat,
2.Cor.9,7. *Hilarem datorem diligit Deus*, & idem ipse testabatur,
2.Tim.4, 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ.* Hæc aurea corona est decreta Apostolo ANDREAE, cui martyrium gloriosum aureolam reportauit. Candidati vtriusque coronæ voluntarij sectatores CHRISTI, & imitatores ANDREAE sunt, qui in ipso lecto doloris non coactè, sed spontaneè spiritum suum Deo offerunt, sicut obtulit ANDREAS, eiusque imitator sanctus Nicolaus Tolentinas, qui exhalaturus animam ad
Extrema verba morientis. crucem ait: *Salue crux pretiosa, quæ digna fuisti portare mundi pretium, quod in te quieuit, & sedit, & passionis æstu roseum sanguinem sudauit: ille per te me defendat in hac hora ab hoste maligno.*

Proferatur nunc in publicum sancti PHILIPPI Apostoli exemplum; in ipso siquidem tamquam in præclarissimo speculo fulget imago patientis obstinationem & obdurationem peccatorum & morborum.

EM-



Quid mage Caucaſeis certantia pectora ſaxis,
4 Quàm monitis decuit ſaxa referre pijs?



EMBLEMATICA IMAGO IV.
S. PHILIPPI APOSTOLI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS PHILIPPVS Apoſtolus Hierapoli in Scythia, imperante Domitiano, crucis ſuſpendium paſſus eſt, & ab obſtinatis Barbaris ſaxis obrutus, glorioſo ſuo martyrio finem dedit. Hunc beatum Apoſtolum CHRISTVS vocauit ad ſe cap. 1. Ioan. *In craſtinum voluit* Ieſus *exire in Galilæam, & inuenit* PHILIPPVM, *& dicit ei Ieſus: Sequere me.* Fidelis aſſecla CHRISTI, qui per tot rerum diſcrimina firmus Redemptori adhæſit, nec crucifixum deſerüit. Graue martyrium PHILIPPI, cui erat acerbior crux, obſtinatio & obduratio hominum perfidorum, quàm illud ipſum patibulum cui fuerat condemnatus. Virtus ſacratiſſimi PHILIPPI ſic enituit inter lapides & ſaxa, quemadmodum manſuetudo CHRISTI innotuit, cùm duræ ac diræ genti contra ſe geſtanti, manibuſque tenenti lapides dixit, *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Per crucem & lapides CHRISTVM eſt ſecutus PHILIPPVS, ſpeculũ tolerandæ obdurationis.

Metaph. apud Surium, Nicephor. & Iſidor.

Sympathia Chriſti & Philippi Artificum cultura lapidum. Ioan. 10, 32.

 Crux

Crux PHILIPPI Apoſtoli, Crux obdurationis alienæ.

Crux duros mores ferentis, inſtrumentum artis benè viuendi.

CRux obſtinatorum hominum grauiſſima eſt, & maximum eius onus robuſtos humeros exigit. Quamobrem S. Birgitta lib. 4. Reuelat. timens onus, cùm rogaretur à CHRISTO, *Quid turbaris filia?* reſpondit: *Quia timeo mitti ad induratos.* CHRISTVS ipſe, quo pacto ferenda ſit iſta crux, inſtruit Birgittam lib. illo 4. cap. 129. concludit tandem: *Ergo, qui deſiderat vincere duritiam animalis, ſit inflexibilis in operibus diſcretionis, & conſtans in timore, & ſpe adiutorij diuini, & conetur quantum poteſt, & Deus adiutorium miniſtrabit, confringendo cor induratum.* Non quidem ſolùm per ignem, ſed etiam per Lydium lapidem natura auri exploratur; nec ſolùm Apoſtoli & homines Apoſtolici in fornace tribulationis, ſed etiam ſaxea obſtinatione peccantium dignoſcuntur.

Excitatio laborantis.

Crux PHILIPPI Apoſtoli, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

DOmeſtici inimici, ſunt quatuor ipſa elementa, ex quibus homo componitur; ſuis ſe humoribus armant, ciuile bellum indicunt & gerunt, affligunt hominem morbo, & lecto affigunt; nec tamen morbida elementa conquieſcunt, dirè ſæuiunt,

uiunt, naturæ ac medicinæ obſtinatè reluctantur. Dura hæc conditio eſt, &cruci PHILIPPI ſimilis, vt vires elementares, quas aluiſti, & quibus beneficiſti, rebelles omnes conſpirent, nec quieſcant, donec penitus te obruant, & ſub lapide ſepulchri condāt. Hanc eamdem ferebat crucem matrona Olympias, cui S. Chryſoſtomus ſcribit: *Etiamſi domi maneas, lectoque affixa ſis, ne propterea inertem vitam ducere te exiſtimes; ſiquidem iis, qui à carnificibus raptantur, lacerantur, excruciantur, atque extremis ſuppliciis mactantur, grauiora & atrociora ſuſtines, nimirum ſummam huius morbi acerbitatem domeſtici atque inteſtini tortoris loco habens.* Quiſquis ſic vexatur & exercetur, meminerit CHRISTI Domini; in cuius ſacra paſſione *petræ ſciſſæ ſunt*; vt oſtenderet virtutem patientiæ ſuæ petris & ſaxis fortiorem, cui lapides ipſi ceſſerunt. Saxa quidem fracta ſunt, CHRISTI verò patientia omnino infracta permanſit. Meminerit PHILIPPI Apoſtoli, cuius illæſa virtus lapides læſit & fregit, & ipſe victor exceſſit. Elucet virtus inter diros ac duros dolores, quibus cùm torqueretur in martyrio ſuo Eleazarus 2. Machab. 6, 30. *ingemuit, & dixit: Domine, qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis, quia, cùm à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundùm animā verò propter timorem tuum*

Excitatio ægrotantis.

Matth. 27, 51.

libenter hæc patior. Et iste quidem hoc modo vitâ decessit; non solùm iuuenibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens. Exemplum virtutis ac fortitudinis suæ S. PHILIPPVS reliquit, qui cum saxeis hominibus rem habuit, & tunc perfecit, cùm è viuis victor excessit. Admonendus est æger, vt si mysticus esse PHILIPPVS velit, & secum durè actum tempore vitæ fuerit, cùm iam ad extremam metam venerit, à cœpta via & virtute ne degeneret, sed persistat, donec patientiâ suâ, quæ dura ac dira sunt, vincat & perfringat.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx gloriosus Sacramentum suum instituit in memoriam passionis suæ, vt memores nos essemus, fieri in altaris mysterio, quod factum est in crucis immolatione. Tunc temporis *petræ scissæ sunt*, (Matth. 27, 51.) & nunc virtute sanctæ Eucharistiæ duri labores & morbi superantur. Experiuntur Eucharisticam hanc vim, qui accedunt ad Communionem; & vt accedant, CHRISTVS Agnus laborantes & ægrotantes incitat simul & excitat, dum ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati istis, & ego reficiam vos.* (Matth. 11, 28.) Accessit Stephanus sanctorum Martyrum Princeps, canitque de eo Ecclesia, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

runt. Dura patitur mortalis homo, cùm proximus morti eſt: & cùm noſſet hanc ipſam CHRISTVS difficultatem, occurrit & ſuccurrit miſero patienti, conferens illi Euchariſtiam, cuius participatione deſpicere non ſolùm morbum, ſed etiam ipſam mortem conſueuit poſt ſacri Viatici perceptionem. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola.

LIcet Euchariſtia ſacroſancta ſecum afferat ſummam dulcedinem, qua lapides torrentis dulces reddat; vlteriùs progreditur, & vt glorioſos efficiat, impetito torrentis lapidibus Stephano aperit cælos, & oſtendit Regem gloriæ, primam coronã auream, & ſimul aureolam, ipſi martyrum Primicerio in regno æternitatis deſtinatam. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* In quæ verba Richardus Victor. agens de robore patientiæ, monet: *In terris premebatur, & de cælis conſolabatur. Affligebatur ex illata miſeria, afficiebatur ex inolita miſericordia, gratulabatur ex inſpecta gloria. Ecce ſub vno eodemque tempore videbat inferiùs vnde compateretur, videbat ſuperiùs vnde iucundaretur.* In hoc eodem ſtatu S. PHILIPPVS erat, medius inter lapides & coronas; & dum pateretur inferiùs, ſuperiùs recreabatur; imitator

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Act. 7, 55.

tator

tator Regis Martyrum, cuius regalis titulus in cruce ſuperius eminebat, dum inferius grauiter torqueretur. Nec quidem ſine myſterio, quod cap.23. in Lucam expoſuit Beda in hæc verba: *Pulchrè titulus, qui Chriſtum Regem teſtatur, non infra ſed ſupra crucem ponitur; quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, ſuper crucem tamen Regis maieſtate fulgebat.* Superior ſua paſſione Rex Martyrum, ſuperior tormentis ſuæ crucis PHILIPPVS erat; erit etiam ſimilis vtrique æger, dura in lecto doloris, & extra lectum acerba patiens, ſi propoſitam ſibi laboranti & ægrotanti aureolam in cælo conſideret; & eius conſideratione, quæ in terris dura & acerba tolerat, generoſò corde contemnat. Quòd ſi duros morbos, & mortem ferre, ſpecies martyrij eſt, accedet patiens ad aureolam martyrij: vt qui ſimilis eſt Apoſtolo in acerbitate paſſionis, ſocius etiam ſit in gloria coronationis ſimul cum Stephano lapidato & coronato, cuius vox extrema fuit Act.7,58. *Suſcipe ſpiritū meum.*

Aureola.

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti BARTHOLOMAEI Apoſtoli exemplum; in quo ſiquidem, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, fulget imago ferentis iniquum tribunal & morbum.



Diripite exuuias : melior me vita moratur.
5 *Sic colubro, positâ pelle, iuuenta redit.*

EMBLEMATICA IMAGO V.
S. BARTHOLOMÆI APOST. CRVCIF.
EXPLICATA.

IN maiore Armenia ſub Aſtyage Rege BARTHOLOMAEVS Apoſtolus pro defenſione Catholicæ Fidei primùm virgis cæſus, deinde cruci affixus, & in ea, cùm adhuc viuus eſſet, pelle nudatus, tandem capite plexus, in cælum migrauit. Hic ipſe Apoſtolus eſt, cuius mandato coactus Aſtaroth confeſſus eſt, ſolere ſe pellem corporis tangere & lædere, donec homo pro valetudine perdita ſuperſtitioſa fecerit vota. *At vbi pro corporis ſui ſalute ſacra fecerit*, inquit, *ab afflictione deſiſtimus, quòd illius animæ dominari incipiamus.* Hanc dæmonis conditionem detexit BARTHOLOMAEVS, qui maluit tota pelle carere, quàm dæmoni ſacrificium offerre, & ſuam animam in eius imperium transferre. Pelle nudatus eſt, apparuit ſpeculum myſtici ſerpentis inſtar, & quidem in ligno crucis, vt referret IESVM CHRISTVM, qui & dicit de ſe, *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis*. Deus & Dominus æquo iure agebat cum patriarcha Iobo, cùm auferret om-

Martyrolog. Ioſephus apud Metaph.

Sympathia Chriſti & Bartholomæi Artificum ferenda iniuria. Ioan. 3, 16.

nia bona quæ mutuo dederat, & ille mutuo quæcumque habebat acceperat. Quamobrem accepti mutui memor, amissis iam opibus, dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Tentator verò iudicium agebat iniquum, & Deum vrgebat, vt pelle & carne Iobus nudaretur. *Pellem*, inquit, *pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi.* Factum puta, tacta est pellis, læsa est caro. Qui sub iniusto Iudice tangitur, læditur, nudatur & spoliatur, laborem Iobi, crucem CHRISTI, BARTHOLOMAEI Apostoli excoriationem subit ac patitur.

Iob 1,21.
Iob 2,4.

Crux BARTHOLOMÆI Apostoli, Crux iniusti tribunalis.

Crux tolerata iniustitiæ, instrumentum artis benè viuendi.
Mich. 3,1.
Excitatio laborantis.

SVmmæ iniquitatis species extitit, quam Deus in iudicibus Israëlis deprehendit, & simul reprehendit. *Audite Principes Jacob, & duces domus Israël. Numquid non est vestrum scire iudicium, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum?* Ergo cùm in subselliis humanis contra fas omne bonis priuatur, nudatur & excoriatur homo, putet se ad crucem BARTHOLOMAEI vocari,

vocari, & ſciat æquum eſſe iudicem Deum, qui conſulit cauſæ ſuæ, & illatæ iniuriæ atque iacturæ damna reſarciet.

Crux BARTHOLOMÆI Apoſtoli, Crux ægrotantis.

CErto certiùs de pelle agitur, cùm quis grauem patitur ægritudinem. Monet propterea Seneca Epiſt. 102. *Non licet plus efferre quàm intuleris: imò etiam ex eo quod in vitam intuliſti, pars magna ponenda eſt. Deponetur tibi hæc circumiecta, nouiſſimum velamentum tui, cutis.* Quòd ſi ſententia mortis feratur, & executioni mandetur, accidit miſero homini, quod accidit BARTHOLOMAEO, qui & pelle nudatus è viuis abiit. Deus æquo iure cùm BARTHOLOMAEO egit, Aſtyages verò iniuſto modo proceſſit. Cùm homo corpore exuitur, Deus æquam iuris formam ſeruat, auctor verò mortis diabolus iniquè & iniuſtè agit. Diabolus collimat in ſpoliationem, Deus verò in animæ liberationem, cui dicendum: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Confert Chryſoſtomus priorem illam iniuſti tribunalis crucem, quæ hominem bonis & fortunis ſpoliat, cum cruce morbi & ægritudinis, nec dubitat iſtam priori cruci anteponere. Laborabat grauiter Olympias, cui

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Pſal. 118, 137.

ſcribens Epiſt.4. ait: *Non opibus ſpoliari, etiamſi omnibus prorſus facultatibus quiſpiam nudetur, res æquè grauis & acerba eſt, vt aduerſa corporis valetudo.* Facultates illæ externæ ſunt, & foris manent: ſalus verò corporis noſtri res interna eſt, & magis propria, ac proinde grauius & acerbius eſt corporis ſalute priuari, quàm opibus & fortunis ſpoliari. Quàm præſtet ſalus diuitiis, definitum eſt cap.30. Eccleſiaſtici. *Melior eſt pauper ſanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis & flagellatus malitia: ſalus animæ in ſanctitate iuſtitiæ, melior eſt omni auro & argento: & corpus validum, quàm cenſus immenſus. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis.* Hic corporeæ valetudinis cenſus, cùm homo valet, tenetur in ſacco ſuo; cùm verò malè habet, quaſi aperitur iam ſaccus. Liquet in ſancto Iobo, qui cùm iam opes ſuas amiſiſſet, adhuc diuitias ſalutis ac valetudinis ſuæ intra ſacculum pellis ſuæ continebat, dixitque propterea ſatan:
Iob 2, 4. *Pellem pro pelle dabit homo pro anima ſua.* Laborauit & ægrotauit, & ruptus ſacculus eſt, variis conſciſſus vulneribus. CHRISTVS ipſe, qui mortuus eſt ex infirmitate, diſrupta iam corporis pelle, dixit Patri:
Pſal. 29, 12. *Conſcidiſti ſaccum meum*, conſcidiſti pellem meam, *& circumdediſti me lætitia.* Cùm quis paulatim deficit, cùm quis paulatim moritur, paulatim pelle nudatur,

Excitatio ægrotantis.

datur, &, vt corporis ſpoliationem æquo & forti animo ferat, rogandus Deus, vt qui hominem pelle & carne veſtiuit, & data pelle videt à crudeli morte exui, patienti tantam iniuriam ſuccurrat, & de iniqua morte iuſtam vindictam ſumat. Præſentet ſe ipſe Deo, & ad diuinam eius clementiam excitandam ſiſtat ſe in eius præſentia: oſtendat ſe myſticum BARTHOLOMAEVM, iacentem in crucis lecto auidum reſurrectionis futuræ, in qua pelle nudatus homo renouabitur, ac totus nouus reſurget.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus, qui ſerpentis inſtar exaltatus eſt in cruce, & pellem ſuam reliquit, vt à ſepulchro reſurgens refloreſceret, in memoriam non ſolùm paſſionis ſuæ, ſed etiam reſurrectionis condidit Euchariſtiam ad corroborandũ eos qui iniuriam patiuntur, carne & pelle nudantur. Animat eos, dum ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Hic glorioſus Rex eſt, *qui facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus.* Eſca ſacræ Euchariſtiæ, caro eius eſt; nec timet pelle priuari, qui ſancto CHRISTI vellere veſtitur atque munitur. Tunc mortalis homo immortalitatem eſurit, cùm mortalitati renuntiat, & tunc maximè

Virtus Euchariſtiæ.

Matth. 11, 24.

Pſal. 102, 6.

ximè esurienti prouidit Deus de sacro Eucharistiæ pabulo; vt esuriem suam homo, qui pelle carnis exuitur, auferat & extinguat. *Dat escam esurientibus*, dum viuunt, sed potissimùm dum moriuntur.

Viaticum.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.
Psal. 102, 6.

DVo hæc coniunxit Dauid in laudem & elogium summi Dei, vt seruet in iudicando iustitiam, & in curanda alimonia prouidentiam: *Qui facit iudicium iniuriam patientibus, qui dat escam esurientibus*. Et quidem Paulus à supremo omnium Iudice coronam suam expectabat: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ergo cùm præcepit Moysi Deus, vt sterneret mensam in tabernaculo fœderis, & in ea coronam auream & aureolam reponeret, se ostendit prouidum, æquum, & iustum iudicem, pro iis qui patiuntur iniuriam more BARTHOLOMAEI, qui contra fas & nefas sua pelle nudatur, suo corio spoliatur. Quòd si hoc genus martyrij subit, qui bonis & vita immeritus punitur atque priuatur, Deum respiciat remuneratorem offerentem compensationem, vt similis BARTHOLOMAEO adscribatur eorum numero, quorum meminit Apostolus, & eorum patientiam

2. Tim. 4, 8.

Aureola spoliationis iniusta.

tientiam commendat. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Quanta sit remuneratio, tunc temporis planè patebit, quando *stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum.* Interim mysticus BARTHOLOMAEVS, vel cùm iniquum tribunal subit, non tam vincitur quàm vincit, vt Sermone de S. Alexandro, Euentio & Theodulo definit in hæc verba Ambrosius: *Quantò plura patiebantur, tantò se victoriosissimos credebant: victoria enim est martyris, iudicium persequentis, sicut scriptum est: Et vincas cùm iudicaris. Cùm iudicatur enim martyr & condemnatur, tunc vincit atque prosternit. Tali enim iudicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem, & per hoc manifestissima ratione viuere est, non periisse.*

Heb. 10, 34.

Sap. 5, 1.

Psal. 50, 6.

Primus omnium in ipso iniquitatis iudicio de pontificali concilio, de Rege, & Præside, iudicatus & simul spoliatus Rex Martyrum, triumphum egit, & de iniqua morte triumphauit, vt pellem pro pelle dare homo nec recusaret, nec formidaret, quemadmodum notat Richardus Victorinus Sermone de Pascha. *Homines qualibet patiebantur, ne morerentur.*

Iob 2, 4. *Pellem pro pelle, & omnia dabit homo pro anima ſua. Saluator vero voluntariè mortem ſuſcepit, & moriendo mortem deſtruxit, & ſic homines à timore mortis eripuit. Vnde Sancti iam mortem non timent, ſed cupiunt diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO. Ea propter, cùm inſtar BARTHOLOMAEI carne ſpoliaretur Laurentius Iuſtinianus, dixit è lecto ſuo: *Pudeat nos mortem timere, cùm Dominus noſter propter nos mori voluerit.* Hic iudex noſter eſt, cuius memor agens animam Eleazarus Comes ait: *Totum me diuino iudicio ſubmitto.*

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti SIMEONIS Epiſcopi exemplum; in quo ſiquidem, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, fulget imago ferentis ſenectam & morbum.



EM-



Prisca fides ſileat fabuloſæ Colchidos artes.
6. *Decrepito reparat crux iuuenile decus.*

EMBLEMATICA IMAGO VI.

S. SIMEONIS EPISCOPI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SVMMI Pontificis CHRISTI, & ſanctorum Apoſtolorum, primi & primarij heredes ſunt Pontifices & Epiſcopi, qui quaſi hereditario iure, non modò ſanctam Eccleſiam gubernandam, ſed etiam crucem CHRISTI ſuſtinendam acceperunt. En, vnam & alteram obtinuit in primis Simeon Epiſcopus filius Cleophæ, CHRISTI conſanguineus, qui Iacobo fratri eiuſdem CHRISTI ſucceſſit, & ſecundus ab eo Ieroſolymorum Præſul creatus eſt. Poſt varios cruciatus, Imperatore Traiano, eodem paſſionis genere, quod CHRISTVS ſubierat, affectus eſt; mirantibus omnibus, quòd homo ætate confectus (erat enim 120. annorum) acerbiſſimos crucis dolores conſtanter pateretur. Conſummatus in breui multa tempora CHRISTVS expleuit, ſimul iuuenis & antiquus dierum, florem iuuentutis cum ſenectæ infirmitate coniunxit; & ex infirmitate mortuus eſt, vt infirmos ac debiles ſenes ad tolerantiam paſſionis ſuo exemplo concitaret. Concitauit SIMEONEM,

Martyrolog. Surius.

Sympathia Christi & Simeonis

Artificum ferendæ ſenectæ.

bonum ſenem: qui viris ætate prouectis proponitur in ſpeculum, vt crucem ſenectæ ferentes, eiuſque veſtigiis inhærentes, CHRISTVM ſequantur.

Crux SIMEONIS, Crux ſenectutis.

Crux ſenectutis inſtrumentum artis benè viuendi.
Pſal. 89, 10.

SEnecta res quædam moleſta eſt, & crux ita faſtidioſa, vt dixerit Rex Dauid, *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: amplius eorum, labor & dolor.* Nulla quidem ætas ſine labore eſt: laborioſæ ætates ſunt infantia, pueritia, iuuentus, & ſenectus; ad quam crucem, quaſi per quoſdam gradus difficiles ac moleſtos, aſcenditur. Auguſtinus lib. 11. de Verbis Domini Serm. 1. & libro 50. Homiliarum, Homil. 22. *Quia mortales ſumus, inter caſus ambulamus; ſi vitrei eſſemus, minùs caſus timeremus. Quid fragilius vaſe vitreo? Et tamen ſeruatum durat per ſæcula. Etenim ſi caſus vitro timetur, ſenectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores ſumus, quia & caſus omnes, qui non ceſſant in rebus humanis, fragilitate vtique noſtra quotidie formidamus. Etſi ipſi caſus non accidant, tempus ambulat, vitat homo ictum; numquid vitat exitium?* Curandum verò ſeni eſt, vt ſuæ ſenectæ crux egena fructuum non ſit. Habeat præ oculis SIMEONEM, & ſimul ſeneſcentem

Excitatio laborantis.

tem

tem iam Augustinum, & secum loquentem lib. de Duodecim abusion. cap.12. *Plus omnibus*, inquit, *religioni dare operam senibus competit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit: sicut namque in lignis ipsa reproba arbor comparet, quæ post flores fructus cultori suo non exhibet; sic & in hominibus reprobus est, quem flos iuuentutis deseruit, & tamen in sui corporis senectute bonorum operum fructus proferre parui pendit.*

Crux SIMEONIS, Crux ægrotantis.

SEnectus ipsa morbus est, ac proinde prouectus ætate vir tunc incipit malè habere, cùm senectutem ingreditur. Quòd si posteà contraxerit ægritudinem, illa ætatis morbo accedit, non succedit. Accessit SIMEONI noua crux, sed non successit. Et quidem Paulus in senio suo dicebat: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Libandus in martyrio Paulus erat, qui iam in senio suo delibabatur.

Instrumentum artis benè moriendi.

2.Tim.4, 6.

Sub veste lacera & fracta corpus validum & robustum est, & sub carne annosa & trita, quæ vestis instar est animæ, fortis ac vegeta anima existat, vt prouectus ætate senex lecto affixus agat mysticum SIMEONEM, qui senectutis canis floruit, & fructus gratos crucifixus protulit, & obtulit. Quisquis præ nimia senectute laborat, & affixus lecto iacet, habet

Excitatio ægrotantis.

quò

quò conuertat oculos suos, & vnde se in senecta sua soletur. Contempletur SIMEONEM non solùm decumbentem in crucis lecto, sed cruci CHRISTI in-
Psal. 22, 4. cumbentem, atque dicentem: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Cùm pueris & iuuenibus crux CHRISTI virga quædam leuis sit, & senibus iam ætate prouectis fortis baculus, cui innitantur, existat, discat qui confectus senio iacet, non solùm crucem suam cum CHRISTO ferre, sed etiam eidem cruci inniti, & loco baculi vti, vt quod vitæ
Eccli. 38, 28. lassæ ac fessæ reliquum est, perficiat. *Cor suum dabit in similitudinem picturæ*, considerabit imaginem crucifixi SIMEONIS; ad eius exemplum se componet, & patientiâ suâ cursum vitæ suæ conficiet.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx gloriosus primos omnium participes Sacramenti sui Presbyteros facit; & Presbyter est, qui Missarum solemnia celebraturus in ingressu
Psal. 42, 4. altaris dicit: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Hæc vis venerabilis Sacramenti est, vt Presbyteris, ac senibus annis ac laboribus oneratis, animos iuueniles afferat. Cùm ergo CHRISTVS ad Corporis & Sanguinis sui pretiosum liba-
Matth. 11, 28. men pariter omnes vocat, *Venite ad me omnes, qui laboratis,*

boratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, seniores in primis accersit, vt tanti virtute Agni reflorescant ac iuuenescant. Accede Presbyter, accede senex ad Sacramentum, & *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Psal.102, 5.
Aquila in altum volat; & anima, quæ ex vi Eucharistiæ renouatur, post sumptionem sacri Viatici sublimem edit volatum, & ad cæli cacumina ascendit. *Viaticum.*

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

COnstituit Deus in tabernaculo plenam panibus, ornatam coronis & corollis aureis mensam, imaginem altaris summi, quod Presbyteris & senioribus commissum est, vt non solùm tractent de mysteriis Eucharisticis, sed agant de coronis etiam aureis, quæ sanctæ & venerabili ipsorum senectuti sunt decretæ. *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.* Exod.25.
Quòd si senecta grauis est, acerbo martyrio non absimilis, meminerint esse seniores, quos insignitos aureis coronis antiquo dierum CHRISTO assidentes cap.4. Apocal. contemplatus est Ioannes: *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores circumamicti stolis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Deus, qui in singulis ætatis gradibus coronare voluit homines, ætatibus singulorum varios annexuit labores, quo- *Aureola senum.*

rum ſancta tolerantia dignos ſe efficerent cæleſti regno. Verùm enimuerò cùm ſeniores maiore præ ceteris præmio cumulandos præfiniſſet, maiorem crucem laborum, dolorum & morborum appoſuit prouectis & grauatis annis, vt prolixa eorum patientia maioris gloriæ coronas adipiſceretur. Vnde Baſilius Magnus ſenex Epiſt.71. quæ eſt ad Alexandrinos, ſcribit: *Corpus habeo diuturno morbo confectum, ita vt nec è lecto quidem deſcendere queam.* Cùm eſſet ſenili morbo afflictatus, ſolabatur ſe bonus ſenex, & alios ſibi ſimiles conſolabatur, ſurſum oculos attollens, vbi viginti quatuor ſeniores regnabant pariter & triumphabant, quorum contemplatione & ceterorum Beatorum recreatus, in eadem Epiſtola ait: *Expectant nos, fratres, Martyrum coronæ, parati ſunt Confeſſorum chori, vt manus nobis porrigant, inque numerum ſuum nos recipiant.* Hanc conſiderationem verſabat animo Seraphicus Patriarcha, qui poſitus in extremis, extrema hæc protulit verba; *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.*

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti DIONYSII Epiſcopi exemplum; in quo, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, forma ſcientis laborem & infirmitatem conſpicitur.

EM-



Si nequijt mea lingua satis diuina probare
7 *Dogmata; quod supereſt, mors generosa probet.*

EMBLEMATICA IMAGO VII. S. DIONYSII EPISCOPI CRVCIFIXI EXPLICATA.

DIONYSIVS Areopagita, diuinus ſcriptor, Martyr verò diuinior, ſub Hadriano Imperatore flagellis Pariſiis tunditur, flammis ac feris obiicitur, à quibus non læditur: mox in crucem attollitur, & inde depoſitus capite plectitur, quod ad duo millia paſſuum propriis manibus deportat. Cæleſtia myſteria, quæ raptus in cælum didicit à cæleſti CHRISTO Paulus, hæc eadem à Magiſtro ſuo Paulo didicit in terris DIONYSIVS. Qualis Paulus, talis extitit & DIONYSIVS. Licet ſublimibus cælorum arcanis imbutus Paulus eſſet, ſcientiam tamen CHRISTI crucifixi tanti faciebat, vt quaſi immemor ceterarum rerum quas nouerat, nihil aliud ſe ſcire niſi CHRISTVM, & hunc crucifixum, fateretur. Fatebatur & DIONYSIVS, qui ſola cruce contentus, ſacramenta illa ſublimia, quibus anteà diſcendis atque docendis ſedulus incubuerat, quaſi minimè curaret, crucem CHRISTI ſolùm curat, crucem amplectitur. Amplectitur crucem, in qua Rex ipſe glorioſus *didicit* ex

Surius in Octobr. Baronius tom. 2.

1. Cor. 2, 2.

Sympathia Chriſti & Dionyſij

Artificum diſciplina laborioſa. Heb. 5, 8.

ex iis, quæ paſſus eſt. Didicit diuinus Rex, Paulum docuit, Paulus diuinum DIONYSIVM inſtituit & erudiuit: nos DIONYSIVS informat, nos inſtruit, diuini ſpeculi inſtar nos componit.

Crux DIONYSII, Crux ſcientiæ Sanctorum.

Eccle. 1, 18.
Crux ſcientia Sanctorum inſtrumentum artis benè viuendi.
Heb. 12, 11.

QVi addit ſcientiam, addit & laborem.* Maiori ſcientiæ maior labor correſpondet. Omnes dum viuimus in ſchola ſumus, & rerum cognitiones acquirimus, & non ſine magno labore, quemadmodum ſcribit Paulus: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris.* Laborioſa CHRISTI ſchola, laborioſa Sanctorum ſcientia, quæ in vna crucis ſapientia & experientia conſiſtit.

Sap. 10, 10.

Iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum. Bernardus in hæc verba, *Scientia,* inquit, *Sanctorum eſt, hîc temporaliter cruciari, & delectari in æternum, & in contrarium ſcientia malorum relabitur.* Ergo qui myſticus DIONYSIVS eſt, & ad culmen arcanæ ſcientiæ Sanctorum venit, voluptatem non quærit, ſed dolorem, cùm audiat Paulum dicentem: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris.*

Excitatio laborantis.

Heb. 12, 11.

Crux

Crux DIONYSII, Crux ægrotantis.

EX arbore ſcientiæ boni & mali morbum natura contraxit, & ex illius arboris fructu primæ corporum noſtrorum ægritudines promanarunt. Nouimus tunc temporis quid morbus eſſet, cùm anteà neſciremus. Qui iacet in lecto vt laboret, nec cogitat de æternitate, lectum ſibi ex illâ arbore conſtruxit, & in eo infirmus iacet. Qui temporaliter cruciatur, & per cruciatus ægritudinis nouit ſe ad æternitatem diſponere, Sanctorum ſcientiam profitetur, & lectum ſibi ex arbore vitæ componit, in quo DIONYSIVS decubuit. Hæc ſcientia Spiritus ſancti, de qua Bernardus de Septem donis cap.7. dicit: *Septimum donum eſt Spiritus ſapientiæ, quidam diuinus ſapor, ac ſuauiſſimus guſtus. Vnde Pſalmiſta: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Qui mentem pacificam & ſerenam habent, de ſupernis dulciùs ſapiunt, & ſubtiliùs vident. Nam quò quiſque patientior, eò probatur eſſe ſapientior. Vnde Salomon: Doctrina viri per patientiam dignoſcitur.* Conſonat ſibi Bernardus cap.3. *Vera,* inquit, *ſcientia eſt, ſcire nos mortales, & caducos, & fragiles eſſe, & in hoc exilio & in hoc ergaſtulo, in hac peregrinatione, in hac valle lacrymarum dolendum & lugendum eſſe.* Laudabilis ab hac ſcientia

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Pſal. 33,9.

Prou. 9,11.

æger

æger Eudoxius eſt, ad quem Epiſt.118. apud Baſilium ſcribit Nazianzenus in hæc verba: *Benè habet, quòd in afflictionibus philoſopharis, multiſque factus es exemplar tolerantiæ in rebus triſtibus; & quemadmodum ad optima quæuis corpore, cùm rectè valebas, es vſus; ita & nunc illo dextrè vteris, quandoquidem imbecillis cùm ſis, non es otioſè, vt ita dicam, otioſus: philoſopharis enim, & quod Diogenem olim febricitantem, inque febrili calore tolerantem dixiſſe ferunt, hoc & ipſe viſendum exhibes cùm in corpore, tum in anima.* Collaborabant, & ſimul ægrotabant D. Bernardus, & vitæ eius ſcriptor, & ambo præfatæ ſcientiæ vacabant. ait enim hiſtoriæ auctor: *Infirmi ergo ambo tota die de ſpirituali Phyſica animæ conferebamus, de medicamentis virtutum contra languores vitiorum.* Exclamat deinde ipſe: *Deus bone, quid mihi boni contulit illa infirmitas, feriæ illa, vacatio illa!* Crux cathedra DIONYSIO fuit, in qua diuinam ſuam doctrinam perfecit & conſummauit; nec quidem ſine virtute patientiæ perficere potuiſſet, cùm ſit ſcriptum Prouerbiorum cap.9. *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Ergo qui Paſtor & doctor eſt, cùm iacet in lecto æger, è lecto cathedram conſtruat, & ſapientiæ ſuæ ſociam patientiam adiungat, quandoquidem verum eſt id quod ait Auguſtinus libro

Excitatio ægrotantis.

de

de Patientia, cap.6. *Patientia est comes ſapientiæ, non famula concupiſcentiæ.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus, quam ſcientiam in cruce docuit, eamdem prorſus in altari ſuo docet: ſed in cruce plenam afflictione atque dolore, in altari verò decoratam & ornatam dulcedine ac voluptate, vt qui ſocij ſunt paſſionis in laborum & morborum mœſtitudine, ſocij ſint conſolationis, quæ datur & capitur in ſacroſancta Euchariſtia: Ergo, qui affixi ſunt CHRISTI cruci, & diſcunt ex tormentis quæ patiuntur, vocantur ad Communionem, vocantur ad Agni conſolationem, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Fructus crucis Euchariſtia eſt, & cui benè ſapit fructus, placeat arbor neceſſe eſt. Hinc fit, vt accepto iam Viatico, viri ſancti maiore cum affectu deuotionis ſacram CHRISTI crucem appetant, accipiant, & amplectantur.

Virtus Euchariſtiæ.

Matth. 11. 28.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

MEnſa Euchariſtica eſt tota diuina & Theologica, cuius ſcopus eſt reddere Theologos homines,

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

mines, diuinos condere ſimiles planè DIONYSIO, qui diuinum egit Theologum in crucis cathedra, quam viuens & moriens occupauit. Semper egit de maieſtate diuina, in quam ſacra Theologia collimat. Contemplabatur in martyrio ſuo Deum, & cognoſcebat in eo ſuam ſplendere coronam, auream ſimul & aureolam, cuius forma fuerat fabrefacta in antiquo tabernaculo. Diuinus quidem Theologus patiens eſt: qui dum patitur martyrium, vel ſimile quid martyrio, agit de Deo & cum Deo, cui dicit Eccleſia ſancta:

Rex glorioſe Martyrum,
Corona confitentium,
Qui reſpuentes terrea,
Perducis ad cæleſtia.
Aurem benignam protinus
Appone noſtris vocibus, &c.

Aureola ſcientiæ Sanctorum.

Corona confitentium eſt; & de eius confeſſione ſi quis agat, de propria corona agit, cuius contemplatione & expectatione recreatus, labores ipſos non curat, nec ſentit; & ſi ſentit, non ægrè fert ægritudinem. Quòd ſi lecto affixus, myſticus DIONYSIVS exiſtat, & pacato animo in acerbitate pœnarum ſe planè gerat, diuinus cenſendus eſt æmulus Regis CHRISTI, qui licet infirmitate doleret, maieſtate

ieſtate diuinitatis in eadem cruce eius tormentis & pœnis ſuperior omnino erat. Eſt ergo vox illa hominum diuinorum : *Quis nos ſeparabit à charitate* Rom.8,
CHRISTI? *tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt : Quia propter te mortificamur tota die : æſtimati* Pſal.43,
ſumus ſicut oues occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. 35. 22.

Conſiderabat ſe humanum eſſe Dauid, cùm diceret, *Non eſt ſanitas in carne mea*, & deplorans ſuam Pſal.37,4.
miſeriam clamaret, *Miſer factus ſum, & curuatus ſum* Verſ.7.
vſque in finem. Non iam humanum, ſed hominem ſe diuinum deprehendebat, & aiebat, *In Deo meo* Pſal.17,
tranſgrediar murum. Magiſter DIONYSII loquebatur 30.
vt humanus, cùm aſſereret, *Infelix ego homo, quis* Rom.7,
me liberabit de corporis morte huius? Loquebatur vt 24.
diuinus, cùm affirmaret, *Omnia poſſum in eo qui me* Phil.4,13.
confortat. Myſticus Paulus extitit diuinus DIONYSIVS, cuius præclarum exemplar datum & viſum proponitur ægrotanti; vt nouerit ſapienter in Deo obire, & è viuis benè ſperans abire. Sic abiit, ſic obiit princeps omnium Theologorum, diuinus Paulus, cuius abſciſſum caput ter IESV nomen pronuntiauit, ter ſcilicet, in cultum & honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, cuius ſublimis ſcientia diui- *Extrema verba morientis.*

num reddit Theologum : & vt Theologus mereretur Almarus Abbas, dixit iam obiturus miniſtro: Affer mihi epiſtolam S. Leonis ad Flauianum; & cùm legeretur articulus, qui eſt de Deo trino & vno, exclamauit : *Sic credo, ô Trinitas ineffabilis, ita confiteor Deus omnipotens : ita de te ſentio, Fili Dei* CHRISTE IESV : *ſic de te intelligo Spiritus ſancte æterne Deus, atque ita vnum Deum in Trinitate, trinumque in vnitate confiteor.* Dixit, & exceſſit.

Proferatur nunc in publicum ſancti SIXTI Pontificis exemplum; in quo, tamquam præclariſſimo ſpeculo, fulget imago ferentis mundi & morbi onus.



EM-



Quid fruſtra infami vis mergere funere vitam?
8 *Non poteram fato nobiliore frui.*

EMBLEMATICA IMAGO VIII. S. SIXTI PONTIFICIS CRVCIFIXI EXPLICATA.



SVB Decio & Valeriano Imperatoribus ſanctus SIXTVS Papa crucis patibulum ſubiit. Conſule Prudentium Hymno 2. de ſancto Laurentio: Prudent. Hymno 2.

Fortè hoc Sacerdos dixerat,
Jam SIXTVS *affixus cruci,*
Laurentium flentem videns
Crucis ſub ipſo ſtipite:
Deſiſte diſceſſu meo
Fletum dolenter fundere,
Præcedo frater, tu quoque
Poſt hoc ſequêris triduum.

Culmen & apex tiaræ Pontificalis, ſicut in effigie proponitur, crux eſt, & ſimul teſtatur, virtute paſſionis ſuæ regnum ſummum, medium, & infimum ſibi CHRISTVM comparaſſe, *vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Phil. 2, 10. Hoc triplex imperium & regnum, PETRO, SIXTO, ceteriſque Pontificibus commiſſum eſt: in cuius rei teſtimonium deſinit in crucem tiara, vt ſupremum

Eccleſiæ

Sympathia Christi & Sixti Artificum ferendi regiminis Orbis.

Isai. 9, 6.

Ecclesiæ dominatum in cruce natum, & sine cruce esse non posse moneantur. Principatus summi Pontificis CHRISTI crux extitit. *Factus est principatus eius super humerum eius.* Quotquot igitur eius succedunt loco, & ad regimen vniuersale assumuntur, ad regnum & crucem, ad honorem & onus simul vocatos se esse arbitrentur. Sedes Apostolica crux honoraria est, in qua fuit gloriosus Rex, & in qua SIXTVS gloriosus decedit. Pulchrum speculum & Emblema proponitur summi honoris, & grauis oneris. *Minuit laborem ponderis spes præmiorum*: vt Hieronymus Epist. ad Cyrillum scribit.

Crux SIXTI Pontificis, Crux regiminis totius Ecclesiæ.

Crux sancti regiminis, instrumentum artis benè viuendi.

PONtificalis tiara crux oneris & honoris est, in quam apprimè cadit illud Chrysostomi Homil. 66. ad populum: *Non ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo.* Tantus quantus orbis est, tanta est sollicitudo Pontificum, quorum humeris

2. Reg. 2, 8. totus mundus innititur & incumbit. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Nemo meliùs quam CHRISTVS nouit, quanti ponderis & oneris esset crux regiminis Ecclesiæ, cui ferendo parem se solum inuenit:

Isai. 9, 6. *Factus est principatus eius super*

humerum

humerum eius. Secundus à CHRISTO Pontifex nomen à Petra accepit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Conſtructa domus non tam eſt honor, quàm onus poſiti fundamenti, ſupra quod fabrica domus aſſurgit. Quidni onus Eccleſiæ graue Pontifici ſit, cùm eius rationem reddere teneatur? *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multùm, plus petent ab eo.* Hinc ſæpè accidit, vt ouilis Eccleſiaſtici Paſtores ſummi reddendæ rationi iam proximi, maluiſſent vltimum Eccleſiæ locum, quàm primam ſedem occupaſſe.

Matth. 16, 18. *Excitatio laborantis.* *Luc. 12, 48.*

Crux SIXTI Pontificis, Crux ægrotantis.

COronatus SIXTVS apparet, & affixus crucis lecto: & quidem cùm Pontifex coronatur, leuis quædam ſtupa comburitur, & alta voce clamatur, *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi.* Quid homo? quid humana gloria eſt? leuis quædam ſtupa eſt concipiens lumen, & in fumum euaneſcens. Accenſa ſtupa, vita mortalis eſt: deficit ſtupa, cùm valetudo deficit; & cùm deficit vita, ſtupa in fumum abit. Interim tamen, more SIXTI, iacens in lecto æger glorioſâ coronâ ornatur, cùm Sermone de Iacob & Eſau dixerit Auguſtinus: *Multi coronati*

Inſtrumentum artis benè moriendi. *Excitatio ægrotantis.*

 ſunt

ſunt in amphitheatro pugnantes ad beſtias, multi in lecto vincentes diabolum coronantur. Iacebat in lecto S. Baſilius, & in eo pro corona decertabat, ſicut & ipſe Epiſt.60. declarat: *Siue namque pœnas peccatorum damno, valebunt ad hoc flagella, vt poſthac iram Dei, quæ imminebat, auertant: ſiue in certaminibus, quæ pietatis gratia decertamus, per tribulationes corroboramur, iuſtus athlotheta, vt non ſinat nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus, ſed pro toleratis iam laboribus patientiæ nobis & ſpei in ipſum coronam reddat.* Felix æger, qui cùm ſit affixus lecto, de regno cæli & eius coronis cogitat. Haud dubiè qui cum variis morbis luctatur, pro multis coronis certat, & ſimilis SIXTO euadet. Quotus quiſque ſeipſum regit, & ſpiritaliter ſe gubernat, ſibi ipſi, qui paruus mundus eſt, Rex & Pontifex eſt, dignus tiara pontificali, quæ tres coronulas, vt vides, ſecum importat. Debentur tres laureolæ Martyribus, Doctoribus, & Virginibus, & totidem ægris debentur, ſi patienter ſe in grauibus morbis gerant. Quid enim aliud terribilis morbi tormentum, niſi quædam ſpecies martyrij? Qui ſic torquentur, ſacros Martyres referunt, & cum ipſis coronantur. Multi quippe coronati ſunt in amphitheatro pugnantes ad beſtias, & multi in lecto iacentes diabolum vincentes coronantur. *Doctri-*

na viri per patientiam noſcitur. Vnde efficitur, vt quiſquis in lecto patienter ſe gerat, procedat ita ſapienter, vt ſibi Doctoratus laureolam promereatur. Quòd ſi integritas virginalis in virginibus laureatur, laureabitur patientia in ægris, vt euadant perfecti & integri, quales Iacobus deſiderat. *Patientia,* inquit, *opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri.* Vocatur ad tres laureolas æger, qui myſticus SIXTVS eſt, quem vt in lecto referat, *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.*

Iacob. 1, 4.

Eccli. 38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus toti mundo, cuius poteſtas in manu eius ſita eſt, ſe in cibum & potum dedit, vt qui totum mundum ſuſtinet, & in eius laborat regimine, recurrat ad CHRISTI Carnem & Sanguinem, cuius virtute tanto oneri ferendo par exiſtat, animo ſuperior euadat. Euadet mundo, & quod amplius eſt, euadet ſeipſo ſuperior, qui ſe ſanum & ægrum epulo ſacroſancto Agni refecerit. Hæc eſt refectio Euchariſtiæ, quam ſummus & æternus Pontifex offert, cùm dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Vos,* inquam, qui cardines mundi eſtis, & veſtris humeris totum Orbem ſuſtinetis. Mos eſt, vt facien-

Virtus Euchariſtiæ.

Matth. 11, 28.

ciente ſolemniter iter Pontifice, præcedat venerabile Sacramentum. Et quidem ſatis celebre, ſatiſque ſolemne iter in cælum eſt, cùm decedente è viuis homine, & ad aſtra contendente, ſacra præmittitur Euchariſtia. Tunc præmittitur, cùm ſacrum Viaticum percipitur.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.
Exod.25.

ANte ſummi Sacerdotis oculos ſtructa & inſtructa erat in tabernaculo typica Euchariſtiæ menſa, & in ea magna & parua corona, vt noſſet Pontifex, ſibi non ſolùm paratam & inſtructam menſam, ſed aureas conſtructas etiam coronas, ſi
Sap.18,24. merita digna ſuppeterent. *In veſte podêris totus erat orbis terrarum*, & pro tanto mundi onere leuando prouiderat Deus de ſacra annona; & pro labore remunerando, aureas futuras in cælo coronas oſtendebat & offerebat. Summus Pontifex SIXTVS ſuis humeris impoſitum totum planè orbem cognoſcebat & ſentiebat, cumque ab hac tam graui cruce ad aliam, quam paſſus eſt in martyrio, iniuſtè fuerit condemnatus, vt leue onus tanti ponderis redderet, Euchariſtia ſe muniebat, & vt ſuaue martyrium efficeret, auream & aureolam præ oculis patiens

Aureola Pontificis.

tiens habebat. Summus Pontifex Gregorius erat, & hac eadem tractus consideratione dicebat Hom. 37. in Euangelia, & quidem adhuc in vnius Martyris solemnitate per vniuersam Ecclesiam loquitur in hæc verba: *Si consideramus, fratres charissimi, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potiùs dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? sed ad hæc audita exardescit animus, iamque illic cupit assistere, vbi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius* 2.Tim.2,5.
prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Hæc oracula SIXTI è cruce, hæc monita Gregorij è lecto, cui ægra semper valetudine affixus erat, hæc vtriusque sententia,

2.Tim.2,5. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*; hæc vtriusque conclusio, *Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Conclusit ad hanc formam suum martyrium Pontifex Pontianus, qui iam humi prostratus, vt manu carnificis cæderetur, perorauit: *Gratias tibi ago omnipotens Deus, qui me ad hanc horam perduxisti, vt per agonem passionis diabolum confunderem in tuo nomine: & tu nunc Domine suscipe spiritum meum in pace.*

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum sancti MACARII Patriarchæ exemplum; in quo, tamquam præclarissimo speculo, ferentis onus mortalitatis & morbi forma conspicitur.



EM-



Remigio alarum virtus caua nubila findit:
9 *Nunc age, si potis es, corpora fige solo.*

EMBLEMATICA IMAGO IX.
S. MACARII PATRIAR. CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS MACARIVS Patriarcha Antiochenus iacens in terra, & totus in ea extensus in crucis formam, clauis affixus est. Accidit verò, vt terra ipsa clauos à se reiiceret, nec tamen Iudæorum Saracenorumque MACARIVM crucifigentium ira conquieuit. Affixus terræ MACARIVS, & viuebat, & moriebatur: & terreo nos corpori innexi, dum mortales sumus, viuimus simul & morimur: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur*: singulis horis, singulis momentis vitæ iacturam facimus, & lenta morte perimus. Ne terræ affixi terræ afficeremur, mortalem vitam nostram Deus reddidit onerosam. Consonat Chrysostomus Homil. 6. ad Antioch. *Ne igitur & nos terræ affixi, & præsentibus inhiantes torpeamus, & futurorum obliuiscamur, vitam Deus nobis fecit laboriosam.* Constituit in vita mortali crucem, cùm scriptum sit: *Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum.* Elatus igitur in cruce CHRISTVS, sicut aquila prouocat ad volandum filios ac pullos suos, vt, relictis rebus ter-

Surius ex Anonymo in Aprili.

2. Reg. 14, 15.

Iob 5, 7.

Sympathia Christi & Macarij Artificum ferendæ mortalitatis.

terrenis, ſuperiora bona affectent, &, more MACARII, funeſtæ terræ vitæque mortali renuntient, ad hoc ſe ſpeculum componentes.

Crux MACARII, Crux mortalitatis humanæ.

Crux mortalitatis, instrumentum artis benè viuendi.

GRaue iugum, crucem magnam impoſuit Deus ſuper omnes filios Adæ, quos terreos & luteos condidit, & terræ ſimul affixit. Cruci mortalitatis ſuæ adſtrictus gemebundus Dauid ait: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.* Hanc eamdem crucem Apoſtolus patiebatur, & exclamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Optabat Paulus, vt clauis è terra diuulſis, facultas ſibi auolandi concederetur. Cupiebat *diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO. Cui terra & terrea vita crux eſt, auolandi ſurſum ineſt deſiderium, continere ſe non poteſt, nec contineri clauis, quò minùs myſticus MACARIVS ſit, & exclamet: *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Carnea columba eſt, nec tamen caro impedit, quò minùs in altum volet. Pulchrè Baſilius Epiſt.166. *Qui namque curis huius vitæ admodum ſunt occupati, inſtar auium carnoſarum ſunt, quæ fruſtrà alatæ humi cum pecudibus detinentur.*

Pſal.119,5. Rom.7,24. Phil.1,2. *Exercitatio laborantis.* Pſal.54,7.

Crux

Crux MACARII, Crux ægrotantis.

CVm valet homo mortalis, ita super terram degit, vt quasi clauis adstrictus esse videatur. Nequit à rebus terrenis auelli, earum affectionibus alligatus: superuenit ægritudo, & omnes illos affectus voluptatum, diuitiarum, & honorum, quibus fortiter tenebatur, seponit & abiicit. Iacet in lecto MACARII, qui cùm terræ affigeretur, clauos ferreos, quibus constrictus erat, reiecit à se, & se in libertatem asserüit, qui antè captiuus erat. Captiuus ille erat, qui & dicebat: *Adhæsit pauimento anima mea.* Morbum incurrit: *Non est sanitas in carne mea.* Expertus liberationem, & à nexibus liber cecinit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Felix illa ægritudo est, quæ hominem eximit à vinculis terrenarum rerum. Quæ autem hæc vincula sint, scribit Epist.39. Augustinus: *Vincula huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, speciem beatitudinis inanem.* Graue iugum, & simul vinculum filiorum Adami est: vtrumque tunc præcipuè homo experitur, cùm lecto affixus ægrotat. Ægrotabat virgo Elisabetha, &, vt eius tradit historia, postulauit enixè à

Instrumentum artis benè moriendi.

Psal.118, 25.

Psal.37,4.

Psal.115, 16.

CHRISTO, *vt ab intolerabili vinculo languoris sui misericorditer eam absolueret. Respondit ei* CHRISTVS: *Citò venio, & absoluo te.* Graue iugum mortalitatis humanæ, cùm dixerit S. Ambrosius Sermone 7. in Iob: *Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non pœna.* Quisquis in terra degit, laborat, & ægrotat, MACARIVM sibi non modò considerandum, sed etiam imitandum proponat. Consideret qualis genitus sit conditionis Adæ filius. *Primus homo de terra terrenus, qualis terrenus, tales & terreni.* quorum singulis competit illa vox, *Adhæsit pauimento anima mea.* Consideret, qualis euadat is, qui vestigia sequitur venientis de cælo CHRISTI, vt cælestes nos omnes reddat. *Secundus homo de cælo est cælestis: qualis cælestis, tales & cælestes.* Primus ille è cruce auolauit, & in cruce & lecto iacentes ad volandum prouocauit. Cælestis MACARIVS est, qui sursum æger & sanus aspirat, & simul suspirat. MACARIVS imitator CHRISTI est: nos MACARII, sicut & ille CHRISTI, vt nullis nexibus, nullis terrenis vinculis detineri patiamur, quò minùs superna affectemus. Præit MACARIVS, & vt illum sequatur patiens morborum & laborum, *cor suum dabit in similitudinem picturæ.*

Excitatio ægrotantis.

1. Cor. 15, 47 48.

Psal. 118, 25.

1. Cor. 15, 47. 48.

Eccli. 38, 28.

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus nobiſcum in terra manſit, vt, cùm ſacram & cæleſtem percipimus Euchariſtiam, non quæ ſuper terram ſunt, more mortalium, quæramus, ſed quæ ſuper cælum ſunt, immortalium ritu affectemus: ac proinde facta iam conſecratione, ſuſtollitur in altum Agnus, qui nos ad cæleſtia vocat; &, ne deficiamus in via, ſacro nos confirmat cibo, ad cuius eſum nos omnes mortales excitat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Mortalem agebat Elias, cùm ſub vmbra iuniperi totus fatigatus ſuccumberet: verùm cùm myſticum panem Angelicis manibus miniſtratum guſtaſſet, immemor mortalitatis humanæ, de terra, in qua iacebat, ſurrexit, nec quieuit, donec in montem Horeb aſcenderet.

Virtus Euchariſtiæ.

Matth. 11, 28.

Viaticum.

3. Reg. 19, 4.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

AVrum è terra gignitur, & tamen ſuo ſplendore refert cæleſtem Solem. Corona digni ſunt aurea, qui cùm è terra ſuam originem ducant, terrena non ſapiunt; ſed ſapiunt illis cæleſtia, cùm & ipſi cæleſtes ſint. *Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Cùm

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

1. Cor, 15. 48.

ſint tales non naturæ conditione, ſed ſublimitate morum, aluntur cibo cælitus dato. *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit.* Aluntur cæleſti epulo, vt inde vires acquirant ad rumpendos carnis nexus, quibus terræ inuiti affiguntur, ſemelque ſoluti ac liberi ad aureas aſpirent coronas, quæ ſunt in regno cælorum laborantibus & ægrotantibus deſtinatæ. Sarcina mortalitatis humanæ, martyrium certè dirum, ſed dignum corona vitæ immortalis, qua ſoluta & libera anima ornabitur. Huius martyrij finem deſiderans in extremo agone poſitus Eugendus Abbas, ac cæleſtis coronæ auidus, dicebat Monachis: *Parcat vobis omnipotens Deus, qui me tanta inæqualitate conſtrictum non permittitis corporeis vinculis iam exolui. Et ideò rogo, ſi quid ſeni, ſi quid paternæ pietati præſtatis, ne me retinete diutiùs, ſed tandem tranſire permittatis.* Accedit & Nicolaus Tolentinas, qui aſſiſtenti ſibi miniſtro, cùm animæ & corporis inſtaret enodatio, adiurabat: Vide ne ceſſes pronuntiare in aures meas: *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

Ioan. 6, 59.

Aureola mortalitatis.

Extrema verba morientis.

Pſal. 115, 17.

Proferatur nunc in publicum ſancti NESTORIS Epiſcopi exemplum; in quo, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, fulget imago ferentis mortificationem & morbum.

EM-



Ne tu Nestoreæ Nestor certato senectæ;
10. *Vitæ, quam sequeris, præualet vna dies.*

EMBLEMATICA IMAGO X.
S. NESTORIS EPISCOPI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS NESTOR Episcopus sub Decio Imperatore Deum vnum esse prædicauit, & cultum inanium simulacrorum vanum esse declarauit: quam ob causam de mandato Præsidis Pollionis in crucem actus, æternis annis auctus est. Mortales omnes NESTORIOS annos viuere concupiscimus, & vt illos acquiramus, necesse est vt carnem nostram crucifigamus. Assumptum probat Apostolus, & tandem concludit: *Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Crucis instar mortificatio carnis est, quæ mortalem in nobis hominem crucifigit, vt nouus homo immortalis & æternus reuiuiscat. Totus viuus apparet in cruce NESTOR Episcopus, veræ mortificationis speculum, vt vel eius effigiem contemplantes nouerint vitam in cruce esse. Vnde & CHRISTVS iam resuscitatus gestat in manu crucem, vt sine cruce vitam immortalem esse non posse manifestet & ostendat.

Surius 14. Febr. ex Martyrolog.

Rom. 8, 12.

Sympathia Christi & Nestoris Artificum propria mortificationis.

 Crux

Crux NESTORIS, Crux mortificationis.

Crux mortificationis, instrumentum artis benè viuendi.
1.Petr.2, 11.

NEgotium ſatis difficile, degere in carne, & carnis ritu non viuere. Rem magnam poſtulat Petrus, cùm dicit: *Obſecro vos tamquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis.* Hæc prima lex mortificationis eſt, cui duas alias adiungit S.Bernardus Sermone de Peregrino, mortuo, & crucifixo. *Felices*, inquit, *qui ſe præſenti ſæculo nequam aduenas & peregrinos exhibent, immaculatos ſe cuſtodientes ab eo. Abſtineamus ergo à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, tamquam aduenæ & peregrini. Peregrinus quippe via regia incedit, non declinat ad dextram, neque ad ſiniſtram.* Secunda lex mortificationis eſt, vt inſtar hominis mortui homo ſe gerat. *Omnino felix mors, quæ ſic immaculatum ſeruat, imò potiùs alienum facit ab hoc ſæculo! ſed neceſſe eſt, vt qui non viuit ex ſe, viuat* CHRISTVS *in illo. Hoc eſt enim quod ait Apoſtolus: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me* CHRISTVS. *quaſi diceret, Ad alia quidem mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo; ſi quæ verò ſunt* CHRISTI, *hæc viuum inueniunt.* Tertia lex mortificationis eſt, vt hominem cruci addicat, quemadmodum Paulum addixit. *Audi igitur ipſum de hac tanta altitudine non in ſe gloriantem, ſed dicentem: Mihi abſit*

Excitatio laborantis.

Gal.2,20.

Gal.6,14.

gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Non solùm, inquit, mortuus sum mundo, sed & crucifixus, quod est ignominiosum genus mortis.*

Crux NESTORIS, Crux ægrotantis.

CRux NESTORIS, crux mortificationis est, nec dubium, quin homo per morbos & ægritudines in eum statum reduci soleat, vt & aduenam & peregrinum, mortuum & crucifixum mundo se esse consideret. Refert NESTOREM in lecto, vt hunc eumdem referat in æternitate. Qui morbo pulsatus CHRISTVM iam pulsantem per ægritudinem sentit, non tam moriturus, quàm in æternum victurus, ad formam NESTORIS in lecto est, quemadmodum notat Gregorius Homil.13. in Euang. *Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus Iudicem sustinet; & cùm tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloria retributionis hilaris erit.* Hac eadem cogitatione, cùm æger esset Basilius, se muniebat, quemadmodum Epist. 60. scripsit ipse: *Amplectenda enim tribulatio super tribulationem, spes super spem, adhuc modicum, adhuc modicum. Ad istum modum alumnos suos Spiritus sanctus futurorum promissione recreare nouit. Post tribulationes enim se-*

Instrumentum artis benè moriendi.

Excitatio ægrotantis.

Isai.10, 25.

quitur ſpes. Quæ verò ſperantur, è vicino ſubſequuntur. Nam etiamſi vniuerſam hominum vitam quis obiecerit, breuiſſimum tamen eſt illius ſpatium reſpectu infiniti ſæculi quod in ſpe noſtra reconditum eſt. Ad nutriendam hanc ſpem occurrit ægro Patris inſtar NESTOR Epiſcopus, & monet vitæ lignum eſſe ſacratiſſimam CHRISTI crucem, & hanc eamdem eſſe, quam affectus morbo ipſe in lecto doloris patitur. Dum cruciatur, conſiderare oportet, cruciatus eſſe vitales, qui vitam æternam afferunt. Afferunt patienti, oranti, & deprecanti: Rex glorioſe, qui mortificatus carne, viuificatus autem ſpiritu æternitatis aditum reſeraſti, exaudi preces & gemitus ægrotantis, qui variis morbis mortificatur, vt ſibi vitam acquirat. Hoc votum ægrotantis NESTORIS eſt, & pro voto ſuo è ligno vitæ vitam leget, ſi colat ipſe patientiam, quam coluit & ſeruauit NESTOR, cuius vel vna dies antiqui NESTORIS diuturnis præualet annis. Dies hæc æternitatis eſt, quam noctibus ſuis laborioſis virtute patientiæ tranſactis homo infirmus promeretur: & ne meritum ſuum amittat, vel diminuat, fugiat omnem impatientiam, ſeruet omnem tolerantiam; & vt illam ſemper ſeruet, ſemper
Eccli. 38, 28. illæſam inuiolatamque retineat; *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.*

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus mortificatus carne, viuificatus autem ſpiritu, æternitatis aditum reſerauit, & nobis æternæ futuræ vitæ pignus dedit & tradidit. Et quidem Euchariſtia cùm ſit Caro & Sanguis CHRISTI, nec carnem nec ſanguinem ſapiat, efficit, vt qui particeps eius eſt in carne, nec ſecundùm carnem viuat. Quapropter, qui affectibus ſubiiciendis ac ſubiugandis laborant, recurrant ad Euchariſticum Agnum, acceptent ſibi factam oblationem, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Contendimus, dum viuimus, ſuperbiam vitæ mortificationis gladio vincere ac ſuperare, nec quidem poſſumus hanc victoriam comparare, niſi adſit Euchariſtia, cuius tanta virtus eſt, vt qui illam dignè ſumat, non ſibi, ſed Deo viuat, non Deo, ſed ſibi moriatur.

Virtus Euchariſtia. — Matth. 11, 28. — *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

CVm Rex glorioſus onere crucis grauatos & afflictatos vocat ad refectionem, vocat ad menſam, in qua non ſolùm porrigitur Euchariſtia, ſed etiam coronæ & corollæ proponuntur & offeruntur

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

iis, qui nouerint persequi se, afficere se martyrio, & pretio mortificationis suæ æternam immortalitatem mercari. Reformatur hîc imago cordis & animæ voluptatum abnegatione, & carnis maceratione, in cuius studio & exercitio corona vitæ æternæ fabricatur. *Solus* CHRISTVS, vt lib.10. in Lucæ cap.9. affirmat Ambrosius, *est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis imitationem. Iustus autem homo ad imaginem Dei est, & propter imitandam diuinæ conuersationis similitudinem mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatesque terrenas verbi perceptione despiciat, quo alimur in vitam. Vnde & Corpus* CHRISTI *edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes. Non enim victus & potus nobis præmij loco spondetur & honoris, sed communicatio gratiæ cælestis & vitæ.* Vitæ cælestis & diuinæ gloriæ auidus ibat ad crucem NESTOR, & cùm esset crucifixus, tamquam è cathedra docebat, & dicebat: *Filioli, stabilis sit nostra confessio ad Deum. Compatiamur ei, vt conglorificemur.* Et cùm dixisset, *Amen*, obdormiuit & quieuit.

Aureola mortificationis.

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum sancti ASTII Episcopi exemplum; in quo, tamquam in præclarissimo speculo, ferentis amoris & morbi flammas conspicitur.

EM-



Dia mihi penitas populatur flamma medullas:
11 *Parce rogis, potero, tortor, amore mori.*

EMBLEMATICA IMAGO XI.
S. ASTII EPISCOPI CRVCIFIXI EXPLICATA.



SANCTVS ASTIVS Dyrrachij vrbis Episcopus, Imperatore Traiano primò cruci affixus est, flammis deinde addictus, ne crux deesset igni, nec cruci ignis deesset. Flamma amoris diuini ligno crucis alitur, lignúmque sacræ crucis flammis charitatis ardescit. Crux amoris, & amor crucis, miro sibi modo respondent. *Fortis est vt mors dilectio.* Similis morti est, quæ per crucem Martyri infligitur. Confirmat hoc ipsum Gregorius Homil. 11. in Euangelia. *Rectè per Salomonem dicitur, Fortis est vt mors dilectio; quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam quem perfectè absorbuerit, ad terrena foris desideria insensibilem reddit.* Pendens ASTIVS è cruce, & ad pedem crucis flamma, consonant inter se, & simul indicant, vt quemadmodum interimit corpus crux, sic etiam ignis cælestis amoris mundanis affectibus animam emortuam reddit. CHRISTVS ipse sic crucifixus est, vt amorem suum ostenderet: sic amorem suum

Martyrol. Roman. 17. Iulij.

Cant. 8, 6.

Sympathia Christi & Astij Artificum ferendi flammas amoris.

oſtendit, vt crucifigeretur, quoniam nos omnes dilexit. Ad pedem crucis ASTII excitat ignem tortor, & quidem flamma charitatis flatu tribulationis accenditur. Ad hoc igitur ſpeculum patiens ſe amator componat.

Crux ASTII, Crux amoris.

Crux amoris, inſtrumentum artis benè viuendi. Epheſ. 3, 17.

SImiles nos omnes ASTIO eſſe cupit ac petit Paulus: *In charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Quid hîc lateat, detegit Auguſtinus in Pſalm.103. *Fortaſſe crucem Domini ſignificat. Erat enim latitudo, in quâ porrectæ ſunt manus; longitudo à terrâ ſurgens, erat totum corpus infixum; altitudo, ab illo innexo ligno ſurſum, quod eminet; profundum, vbi erat crux, & vbi ſpes omnis vitæ noſtræ.* Paulus ipſe radicatus & fundatus erat in charitate, & ſimul affixus cruci, dicebatque: *Quis nos ſeparabit à charitate* CHRISTI? *tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.)* Mortificabatur tota die, quoniam tota die diligebat: & quidem amoris crux ſic firmiter amantem tenebat, vt ab ea nulla poſſet vi diuelli. *Certus ſum enim*, ait Paulus, *quia*

Excitatio laborantis. Rom. 8, 35. Pſal. 43, 23. Rom. 8, 38.

quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV *Domino nostro.* Ignis non accenditur sine labore; nec sine labore diuinus excitatur amor. Hinc sanctæ memoriæ Syncletica in Apophthegm. Patrum: *Qui ignem accendere volunt, priùs fumantur, & ex fumi molestia lacrymantur. Ita & nos oportet diuinum ignem cum lacrymis atque laboribus in nobis ipsis accendere.* Etenim iuxta tritum sermone prouerbium, *Absque labore & dolore non viuitur in amore.* Crux igitur amoris crux ASTII est, qui cum diuino Ignatio exclamat: *Amor meus crucifixus est.* & cum diuo Paulo, diuino isto amore captus & virtutis ecstaticæ particeps factus, ait: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me* CHRISTVS: tamquam verus amator & qui excessit è se Deo, & iam non vitam suam, sed amati tamquam vehementer dilectam viuens. Hoc vtique modo primi illi diuini amoris præceptores pro CHRISTO quotidie morientes, testificabantur, vti par est, & sermone & opere se nil aliud nosse neque diligere præterquam CHRISTVM, eumque crucifixum.

Galat. 2, 20.

Crux Astii, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Cant.2,4.

FElix lectus ægritudinis, cui adiungitur amor diuinus, vt qui febribus ardet, ardeat magis diuino amore, & dicere queat, *Amore langueo.* Qui ſic affigitur lecto, vt amanter ægritudinem patiatur, ſimilis eſt ASTIO Epiſcopo, quem ſacra CHRISTI charitas cruci ſuæ adiudicauit, damnauit morte; & dum tormentis affligeretur, inſenſilem Martyrem reddidit. Reddit & ægrum, qui tactus ſublimi affectu exulat ipſe à ſe, & acerbos dolores non ſentit, nec curat. *Sed neque hoc mirum* (vt loquar cum Bernardo Serm. 61. in Cantic.) *ſi exul à corpore dolores corporis non ſentiat. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur & contemnitur.* Ad hunc amorem allicere conatur ægrotum S. Auguſtinus Tract. de Viſitat. infirmor. Serm.I. *Si igitur Deum diligis, diſciplinam Dei te flagellantem diligis, flagellum Dei ſuſtines. Tuſſi laboras, pulmone deficis, cibum ſtomachus reſpuit, phthiſi decoqueris, dyſenteria ſauciaris, multimodo morborum genere afficeris? ſed hæc, ſi oculum habes, ſi cordatus es, Dei dona ſunt.* Quidquid Midas tangebat, in pretioſum aurum vertebat, quemadmodum narrat fabula. Hoc autem veriſſimum eſt, vt quidquid graue

Excitatio ægrotantis.

amator

amator diuinus tangit, licet aliàs malum ſit, totum vertatur in bonum. *Diligentibus Deum omnia coope- rantur in bonum:* vt & morbi & infirmitates, quibus pulſantur, beneficiorum loco accipiantur. Diligebat Andreas Deum, & eius amor crucem illam, cui fuerat adiudicatus, bonam reddebat: vnde & ipſe exclamauit, *O bona crux!* Bona crux eſt, cui diuini amoris ignis accedit: acceſſit & cruci ASTII, & idcircò mala cenſenda non eſt, nec malus cenſendus lectus, nec morbus, cui flamma ſacræ dilectionis adiungitur. *Charitas patiens eſt, benigna eſt,* & qui tactus amore laborat, & non valet, cultor patientiæ exiſtat, vt referat in cruce ASTIVM, qui tolerantiam cum igne amoris coniunxit: coniunxerat anteà Rex glorioſus Martyrum CHRISTVS. Ne ſeparet æger, quæ Deus ſimul connexuit: *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.*

Rom. 8, 28.

1. Cor. 13, 4.

Eccli. 38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus, *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* auctor & inſtitutor venerabilis Sacramenti. CHRISTVS tunc temporis ardebat intus amore, & quodammodò ſe leuauit ac recreauit, cùm foras flamma charitatis erupit, & ſacram Euchariſtiam condidit. Hoc ſibi leuamen

Ioan. 13, 1.
Virtus Eucharistiæ.

men exoptabat ſponſa CHRISTI, cùm diceret Cantic.2, 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ad hos Euchariſticos flores, & myſtica mala languentes amore vocantur, & quidem à
Matth.11, 28. CHRISTO: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Faceſſant ex hoc conuiuio qui amare neſciunt; conuiuium enim amoris eſt. vnde Sponſa Cantic.5, 1. delibuta gaudio dicit: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Accerſit amicos & chariſſimos, vt participes ſacrorum myſteriorum fiant, & Agnum paſchalem ſumant. Monet vt comedant, bibant, & inebrientur. Laudabilis ebrietas venerandi Sacramenti eſt, cùm ita hominem poſſidet, vt extra ſe illum conſtituat, & immemorem ſui reddat. Habet hanc vim Euchariſtia, vt hominem diuino accendat amore, & ſemel accenſum ſurſum ferat, ſurſum trahat humanarum rerum immemorem, memorem diuinarum. Felix ebrietas, quæ ſuæ infirmitatis oblitam inflammat animam, vt virtute accepti
Viaticum. Viatici magnos animos concipiat ad pugnam, & luctam cum hoſte & morte futuram.

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

IN ardentis ignis formam ardet & ignescit amor, ignescit & fulget aurum, ex quo corona construitur danda pro meritis iis, qui flammas diuinæ charitatis patiuntur more ASTII, & Augustini, qui cruci amoris affixus, & simul eius ardore accensus, cap.18. Meditationum, postquam dixit, *Tu es Deus meus, panis meus viuus, Sacerdos meus in æternum, dux meus ad patriam*; constitutus in eius præsentia subiungit: *O splendor paternæ gloriæ, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem desiderant Angeli prospicere! Ecce cor meum coram te est: discute tenebras eius, vt amoris tui claritate pleniùs perfundatur. Da mihi Deus meus te, redde mihi te: en amo te; & si parum est, amem validiùs. Non possum metiri, vt sciam quantum desit mihi amoris tui ad id quod satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui.* *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.*

Hanc patiebatur crucem S.Franciscus noster Xauerius, magnus, & ita augustus amator, vt clamaret: *Sat est Domine, sat est.* nec diceret cum Augustino: *Non possum metiri, vt sciam quantum desit mihi*

amoris

amoris tui ad id quod ſatis eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos. Menſus eſt magnitudinem crucis ſuæ, & eſſe ſatis putabat, vt in amplexus diuinos rueret & corrueret, & de manu Omnipotentis in cælis aurea corona & aureola feruidus amoris Martyr coronaretur. Et quidem coronatus eſt. Nec quidem contra nobilem conditionem charitatis, quæ *non quærit quæ ſua ſunt*, appetentia cæleſtium coronarum eſt, cùm nihil velit & quærat extra Deum, qui Sanctorum omnium corona eſt. Ad hanc coronam trahebat amoris ignis ſanctam Auſtrebertham virginem, quæ in lecto iacens clamabat: *Ecce ego ad te venio quem amaui, ad te propero quem deſideraui, ad te ſitio peruenire, quem ſemper ardentiſſimo amore dilexi: in te ſpero, non confundar: tu meum ſuſcipe ſpiritum in pace ſempiterna, ne aduerſum me præualeant inimici iacula.*

Aureola corona amoris.

1. Cor. 13, 5.

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti PETRI Epiſcopi Damaſceni exemplum; in quo, tamquam præclariſſimo exemplo, ſcandali tollendi & morbi accipiendi forma conſpicitur.

EM-



Quid moror in terris, cùm sint præcisa laboris
12. *Organa ? me rutilis assere Christe polis.*

EMBLEMATICA IMAGO XII.

S. PETRI EPISCOPI DAMASCENI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS PETRVS Episcopus Damascenus, amputatis manibus, pedibus, linguaque simul auulsa, à Principe Agarenorum in crucem sublatus est. Sine pedibus cælum ingreditur, sine manibus accipit palmam, sine lingua loquitur Deo, & monet nos omnes, vt & manus & pedes præcidamus, si fortè impediant, quò minùs in cælum veniamus. Huc pertinet, quod frater Ægidius discipulus S.Francisci monebat: *Si vis benè & acutè cernere, erue tibi oculos. Si vis audire perfectè, obtura aures, vt sis surdus. Si vis rectè & præclarè loqui, præcide tibi linguam, vt obmutescas. Si vis probè efficere omnia opera tua, amputa manus tuas. Si cupis esse membris omnibus integer & perfectus, mutiles ea.* Hoc ipsum est, more PETRI Damasceni, mysticè carnem propriam crucifigere. Præterea crux satis grauis est, in eum statum hominem esse redactum, vt coniunctos sibi amicos teneatur à se repellere, si velit regnum cælorum sibi promereri. Martyrol. Menolog.

Quamobrem CHRISTVS charorum omnium renuntiationem cum laborioſa cruce coniunxit. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Pars arboris abſciſſa crux eſt, & hæc arbori, terræ, radicibuſque renuntiat, vt fiat crux; & quiſquis ſe ad formam crucis componit, debet abnegare parentes, propinquos, omnes charos & amicos. Sic PETRVS Damaſcenus ſuadet, perſuadet item CHRISTVS, qui paſſioni iam propinquus abire permiſit Apoſtolos, amicos nimirum ſuos, & in paſſione ſua religioſus cultor ſilentij, valedixit Matri & Ioanni, ſuiſque ſe charis pignoribus orbauit & priuauit.

Luc. 14, 26.

Sympathia Chriſti & Petri Damaſceni Artificum vitandi ſcandali.

Ioan. 19, 26.

Crux PETRI Damaſceni, Crux ſcandali vitandi.

SAtis magna crux cenſenda eſt, quam Redemptor noſter iniunxit, & ſimul appoſuit, cùm dixit: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Quanta crux iſta ſit, exponit in hunc locum Hieronymus. *Igitur omnis truncatur affectus, & vniuerſa propinquitas amputatur,*

Crux vitati ſcandali, inſtrumentum artis benè viuendi.

Matth. 18, 8.

Excitatio laborantis.

tatur, ne per occasionem pietatis vnusquisque credentium scandalo pateat. Si ita est tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius est, vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. Accedit & Augustinus libro de Salutar. docum. cap.22. *Amicus est, oculus est, manus est; amputa, & proiice abs te. Noli consentire. Membra etiam nostra in corpore nostro confusionem faciunt. Vnitatis coniunctione viuunt, & connexione inuicem connectuntur: vbi dissensio, ibi morbus & vulnus est.* Accedit & Cyrillus lib.12. in Ioannem cap. 22. *Discimus quando tempus ad certamina vocat, ne si etiam qui charissimi nobis sunt, prohibeant, turpe forsan putantes, mentem vllo modo illis adhibeamus. Non enim à satanâ differt, qui scandala ponit, & quibuscumque modis à recta sententia homines seducit. Quod etiam* CHRISTVS *ostendere videtur. Si oculus, inquit, dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Matth.5, 29. *Quod enim à felicitate nostra nos semouet, etiamsi amicitiæ lege nobis coniungitur, etiamsi natura ipsa & sanguinis proprietate copulatur, non nostrum, sed alienum & hostile putandum est.*

Crux PETRI Damaſceni, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

CVm morbus ingruit, & vſum manuum, pedum, & linguæ impedit, PETRI Damaſceni inſtar lecto affigitur ægrotus. Quòd ſi æger manibus, pedibus, & lingua labi conſueuerit, ſoletur ſe ipſum, cùm videat peccandi inſtrumenta & organa defeciſſe. Cùm manus & pedes deficiunt laboranti podagra & chiragra, ſi lecto fixus inhæreat, redactus ad eum ſtatum eſt, in quo PETRVS Damaſcenus depingitur. In hoc ipſo ſtatu erat Gregorius Magnus, ſicut & ipſe ſcribit lib.7. Epiſt.127. *Peccatis meis exigentibus, ecce iam vndecim menſes ſunt, quòd valdè rarum eſt, ſi de lecto aliquando ſurgere potuero. Tantis enim podagræ, tantiſque moleſtiarum doloribus premor, vt vita mea mihi grauiſſima pœna ſit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando ſuſpiro.*

Excitatio ægrotantis.

Redactus ad hanc neceſſitatem infirmus, cùm iaceat in lecto, corporis orbatus functionibus, nec ſe, nec ſtatum ſuum deſpiciat, ſed audiat Ambroſium lib. 1. de Iacob & vita beata, cap.8. *Sed fortè aliquis putet, ægritudinem atque imbecillitatem corporis impedimento eſſe ad perfectionis munus implendum, eò quòd non poſſit opera manuum vlla factaque prodere. Verùm*

rũm ea ſibi iuſtus impedimenta eſſe non ſentiet, imò etiam eum, qui illa mirabiliter defleat, corripiet, & quaſi ignauum arguet, quòd plus in corporis vſu, quàm in animæ virtute conſtituat. Elucebat hæc virtus in Bernardo affixo lecto; qui cùm extremè ægrotaret, ne ceteris ſcandalo eſſet, mori malebat. *Viuere*, inquit, *erubeſco, quia parum proficio: mori timeo, quia non ſum paratus: malo tamen mori, & miſericordiæ Dei me committere & commendare, quia benignus & miſericors eſt, quàm de mala mea conuerſatione ſcandalum facere.* Diſcat æger mori potiùs quàm ſcandalum dare: diſcat & orare: Rex glorioſe, cuius crux diligentibus legem tuam ſcandalum non eſt, hanc mihi gratiam concede, legem & crucem amanti, vt corporis ægritudo quam patior, tollat & abſcindat omnia offendicula, quæ ſalutem animæ impediunt. Quiſquis hoc in votis habet, componat ſe ad formam PETRI, qui legem de ſcandalo latam religiosè ſeruauit, & ſeruandam è cruce docet; docet & patientiam, quæ neceſſaria eſt iis, qui cum ipſo laborant & ægrotant.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus nec manus, nec pedes, nec linguam ad vindictam in cruce habuit, & idem *Virtus Eucharistia.*
Agnus

Agnus nec manus, nec pedes, nec linguam videtur habere consecratus in Eucharistia: ad leuamen seruorum suorum, qui propter custodiam legis huiuscemodi membrorum vsu sese priuant, & eorum functionem patientes in lecto non exercent. Hos vocat CHRISTVS cùm dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et quidem iacens in lecto homo nec pedes habet nec manus, vt tendat in cælum, & illud apprehendat. Succurrit eius indigentiæ CHRISTVS, qui post sumptum iam Viaticum exerit è sacra Hostia pedes illos sacrosanctos, quibus in cælum ascendat, manus, quibus illud capiat, ac fortiter teneat.

Matth. 11, 28.

Viaticum.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

GLoriosus Rex, qui propter vitandum scandalum, scissionem pedum & manuum, priuationemque visus ordinauit & intimauit, meminit remunerationis futuræ in cælis, cùm dixit in Euangelio: *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.* Bonum quidem PETRO est se in cælesti patria præsentare, pro cuius amore & defensione permisit se manibus pedibusque truncari. Decorum

Matth. 18, 8.

rum ſatis eſt pro patria ſimilia pati ; pro cælo & regno Dei eiuſmodi iacturam facere, multò glorioſius eſt. Terrena patria decorare poteſt eos, qui pedum & manuum detrimenta propter ipſam ſubierunt, reparare tamen & reſtaurare minimè poteſt: cæleſtis verò patria magna cum gloria factas pro ſe iacturas omnino tollit, & membra amiſſa reddit ac reſtituit. Nouerat hanc glorioſi Regis virtutem puer ille Machabæus, qui iuſſus extrahere linguam, & manus extendere, vt carnificis gladio amputarentur, *linguam poſtulatus citò protulit, & manus conſtanter extendit, & cum fiducia ait: E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero: ita vt Rex, & qui cum ipſo erant, mirarentur adoleſcentis animum, quòd tamquam nihilum duceret cruciatus.* Ad ſtuporem etiam hoſtium nihil tormenta curabat, cùm ſciret pati ſe pro cælo & Deo, cuius potentia erant cum magno fœnore membra perdita reſarcienda. Hæc fortis ac valida meditatio & cogitatio eſt, qua patiens in ipſa ſectione membrorum deſpiciet cruciatus, deſpiciet & amicos, notos & propinquos, expectans plenam & plenariam compenſationem cùm ingredietur ad vitam, & ad vitæ ſimul coronam admittetur. Hac ſpe & expectatione ſuffultus cùm Laumarus Abbas affi-

2. Machab. 7, 10.

Aureola tollentis ex ſe ſcandala.

affixus lecto, & priuatus ſuorum membrorum vſibus eſſet, in extremis affirmabat: *Ego lætus ſum animo, ineffabilem Dei miſericordiam appello, vt ianuam pietati ſuæ velit mihi patefacere, meamque ſpem & expectationem certa promiſſionum ſuarum remuneratione ſolari.*

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti CLEMENTIS Epiſcopi & ſociorum exemplum; in quo, tamquam in præclariſſimo ſpeculo, ferentis zelum & morbum forma conſpicitur.



EM-



Clarescant alij numerosæ ſtragis aceruo:
13. *Vobis perpeſſâ gloria morte venit.*

EMBLEMATICA IMAGO XIII.

S. CLEMENTIS EPISCOPI, ET SOCIORVM PHENGONIS ET EVCARPI CRVCIFIXORVM EXPLICATA.



LEMENS, Agathangelus, & ſocij pro confeſſione IESV CHRISTI, dominante Maximiano, protruſi in calcis viuæ fornacem, cuſtodia militari ſeruabantur. Aderant in militari cohorte PHENGON & EVCARPVS, qui ſanctorum Martyrum verbis & miraculis attracti, partibus CHRISTI adhæſerunt. Quam ob cauſam vterque crucifixus eſt, & vterque zelo accenſus commilitones ſuos in partes CHRISTI trahere conatus eſt. Hoc ſignum, hoc argumentum perfectæ conuerſionis eſt, vt qui reuocatus à Deo piiſſimo fuerit, ceteros reducere ad Deum conetur. Audiamus Ambroſium lib.2.de Pœnit.cap.6. *Subiiciamus nos Deo, vt non ſubditi ſimus peccato, & tanta fiat conuerſio, vt qui Deum non agnoſcebamus, ipſi eum iam aliis demonſtremus.* Ardebant CLEMENS & Agathangelus in fornace illa calcaria, non tam viſibili quàm inuiſibili flam- Metaph. Menolog.

 ma,

ma, qua zelator animarum Paulus flagrabat, cùm diceret: *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Diuinus hic ignis in CHRISTI pectore ardebat: *Zelus domus tuæ comedit me.* qui & dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Accenſus eſt in CLEMENTE & Agathangelo, qui Deo PHENGVM & EVCARPVM pepererunt. Quales patres, tales & proles euaſerunt flagrantes & ardentes zelo conuerſionis animarum, quæ contra ipſum Deum militabant, & pro Deo iam conuerſæ decertarunt, & diuini zeli ſpeculum illuſtrarunt.

2. Cor. 11, 29.
Sympathia Christi & Martyrum Artificum zeli ferendi.
Pſal. 68, 10.
Luc. 12, 49.

Crux PHENGONIS & EVCARPI, Crux zeli animarum.

ZElator conuerſionis animarum ſuam portat crucem, & cruciatur, dum mores peccatorum ſuſtinet, & dum amore tractus ipſe, errantes homines à perditionis via retrahere contendit. In hanc ipſam ſententiam CHRISTVS loquitur lib. 4. Reuelat. cap. 129. S. Birgittæ, concluditque poſt multa: *Ergo, qui ardua vincere proponit, attendat ad tentationes ſuas, & caueat ne per inordinata deſideria minuatur Dei zelus, quia toto deſiderio & zelo diuino, & cum omni patientia currendum eſt ad peccatorem, opportunè & importunè, vt conuertatur, & vbi iuſtus nihil proficit loquendo,*

Crux zeli animarum, inſtrumentum artis benè viuendi.

Excitatio laborantis.

do, vel admonendo, ibi zelus eſt exercendus, orationumque inſtantia continuanda. Conditionem zeli huius CLEMENS & Agathangelus in ſua calcaria proponunt, & quaſi exponunt verbis Ambroſij Serm.18. in Pſalm.118. *Zelus charitas eſt. Denique valida eſt ſicut mors charitas, durus ſicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus zelus inferi, per quem peccato morimur, vt viuamus Deo. Angeli quoque ſine zelo nihil ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittunt prærogatiuam, niſi eum zeli ardore ſuſtentent.* Durus zeli ardor, qui & Angelos & Agathangelos accendit. *Facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Talis & miniſter Paulus erat, de quo lege Auguſtinum lib.3. de Verbis Domini Serm.26. *Pugnat ergo pro omnibus, zelatur omnes Dei zelo, accenditur pro omnibus, & inflammatur pro iis qui extra legem ſunt, & pro iis qui in lege ſunt, Magiſter gentium.*

Cant.8,6.

Pſal.103,4.

Crux PHENGONIS & EVCARPI, Crux ægrotantium.

PHENGON & EVCARPVS teneri & infirmi adhuc in fide crucibus adiudicantur, quorum ſalutem curantes CLEMENS & Agathangelus, viuâ calce comburuntur. Teſtatur exterior ignis charitatem interiorem, quo flagrabant in crucifixos infirmos. Hæc lex

Inſtrumentum artis benè moriendi.

lex ſummæ charitatis eſt, vt cùm ipſe malè habeas, decumbas in lecto, & labores, immemor ægritudinis tuæ fratrum ægrotantium curam habeas, ferventer & ardenter eorum valetudinem procures. In morbi & infirmitatis fornace Timotheum Apoſtolus eſſe volebat, cùm laborare eum ſineret, diceretque: 1.Tim.5, 23. *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Cauſam reddit Chryſoſtomus Epiſt.4. *Excitatio ægrotantis.* *Nec ipſius morbum profligauit is, qui mortuos ad vitam reuocabat, verùm eum in morbi fornace verſari permiſit, quò ampliſſimæ libertatis & fiduciæ opes hinc ipſi cogerentur.* Quiſquis ad hunc ſtatum redactus eſt, in fornace CLEMENTIS & ſociorum ſe eſſe conſideret, & zelator ſalutis animæ ſuæ lubens ac volens ardores febriles patiatur.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. Matth.11, 28. REx glorioſus zelo ſalutis alienæ flagrantes & laborantes vocat ad ſe, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Hoc valdè mirabile eſt, quòd cùm ſit ſub panis & vini formis fornax cæleſtis ardoris, is, qui ſumit Euchariſtiam, in æſtu flagrantis zeli diuinam temperiem ſentiat. Euchariſticus quippe ignis illuminans eſt, non comburens. Apoc.21, 23. *Lucerna eius eſt Agnus.* Agnus

eſt,

eſt, dum conſecrat & conſecratur nocte ſuprema in cœnaculo, quo tempore ſimul & loco ſummum animarum zelum cum ſumma ſuauitate coniunctum oſtendit. Et quidem verba conſecratoria, quid niſi zelum ſonant, cùm myſticum Agni corpus, & pretioſus eius Sanguis, pro culparum humanarum remiſſione conſecrentur. Ritè ac rectè verba conſecrationis non elata voce, ſed ſubmiſſa proferuntur, vt vel ex ipſo vocis ſono diuini zelatoris manſuetudo magis innoteſcat, magis pateſiat. Cùm cæleſtis Agnus Dei ſeipſum tunc temporis dederit per ſacri formam Viatici, & in eo ſalutis humanæ ardentem ſuum zelum oſtenderit, quiſquis hunc ipſum commeatum moriturus accipiat, expendat, & perpendat quantam de anima ſua ſeruanda CHRISTVS habuerit ſemper curam, & tunc maximè habeat. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

CVm ſpecies quædam martyrij ſit paſſio diuini zeli, quiſquis æmulator eſt, cogitet de præmiis, cogitet de coronis, quæ decretæ in cælis ſunt Martyribus per ignes & flammas in cæleſte regnum migrantibus. Meminerit magni zelatoris Eliæ, qui totus in igne erat, & viuum martyrem agens ad *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.* *Aureola diuini Zeli.*

ſpeluncam ſe recepit , & in eius ſepulchro & caua ſe occultauit , cùm rogatus quid ibi ageret, 3.Reg.19, 10. reſpondit : *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum.* Viuus hic martyr, qui paulò antè cibo typico fuerat recreatus, vidit in monte ſpecimen cæleſtis gloriæ , cuius mirabili contemplatione magnos concepit animos, vt magis ac magis zeli diuini ardoribus animam ſuam exponeret : cùm tamen ante 1.Reg.19, 4. propoſitam ſibi gloriam *petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.* Non petebat Elias poſt viſum præmium iam mori, vlteriùs pati appetebat. Hoc ipſo ſpiritu ductus, cùm eſſet in extremis vicinus gloriæ Martinus, *Extrema verba morientis.* dicebat Deo : *Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.*

Proferatur nunc in publicum ſancti LIBERATI Abbatis & ſociorum exemplum ; in quibus, tamquam præclariſſimo ſpeculo , tranſitus mundi & morbi forma conſpicitur.

EM-



Cedat ſepoſitas Argo quæ vexit in oras:
14. *Hæc pinus cæli vos ſtatione locat.*

EMBLEMATICA IMAGO XIV.

S. LIBERATI ABBATIS, ET SOC. CRVCIFIXORVM EXPLICATA.



ARTHAGINE sub Hunerico tyranno LIBERATVS Abbas, BONIFACIVS Diaconus, SERVVS & RVSTICVS Subdiaconi, & MAXIMVS puer, in naui crucifixi sunt, at naui adiecto igne, vt omnes pariter concremarentur. Admotus ignis diuinitus extinctus est, carnifices verò, igne furoris accensi, remorum ictibus Martyres contriuerunt & mactarunt. Sacrificium hoc Pontificale est quod Abbas celebrat: assistunt ministri Sacrificio, & ipsi sacrificantur. Nemo sine naue mare nauigat, nemo sine cruce transit mundum, & appellit in portum. Cælestem patriam olim eminus mortales contemplabantur, & aspicientes à longè illam salutabant. Ignis & aqua simul interiacebant, & accessum in cælum impediebant: hinc dolor, hinc gemitus. Venit CHRISTVS in mundum, de rate ac cruce prouidit, qua nobis in cælum viam aperiret. Fauet dictis Augustinus libro de Opere Monach. cap. 31. *Sanè omnibus, nobis*

Victor in Histor. VVādalor. Martyrol. Roman.

Sympathia Christi & martyrum Artificum transitus mundani ferendi.

& vobis pro nostro gaudio & officio laborantibus, & arcta est via in labore & ærumna, & tamen in spe gaudentibus iugum eius leue est, & sarcina leuis; qui nos vocauit ad requiem, quò prior transitum fecit à conualle plorationis, vbi ipsemet sine pressuris non fuit. CHRISTVS ignem pariter & aquam tribulationum passus est, & liber vel inter mortuos euasit, & fecit liberos, non crucifixos modò, sed etiam cruciferos suos, qui portum iam cæli tenentes, Liberatori suo canentes celeuma, dicunt: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Psal. 65, 12.

Crux LIBERATI & sociorum, Crux transitus mundani.

Crux transitus mundi, instrumentum artis benè viuendi.

Matth. 3, 17.

Matth. 4, 1.

Excitatio laborantis.

Rom. 8, 14.

Psal. 142, 10.

CVm CHRISTVS in Iordane esset Filius à Patre proclamatus, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, consequenter addit Euangelista: *Ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Duxit illum Spiritus ad ieiunia, ad tentationes & labores. Hæc est Dei filiorum conditio, vt quò Spiritus sanctus eos trahit, eò pergant. *Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Nauis vento agitur & agitatur, & nauis instar à diuino Spiritu sancti viri mouentur & impelluntur. Sanctus planè vir, qui dicebat: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Deducet

Deducet me, inquam, in portum per maria, per
fluctus, per tempestates. Per fluctus: *Omnes fluctus* Psal. 87, 8.
tuos induxisti super me. Per tempestates: *Veni in alti-* Psal. 68, 3.
tudinem maris, & tempestas demersit me. Sic itur ad
astra. Committamus nos mari, fluctibus & tem-
pestatibus, vt & in portu cantemus: *Transiuimus per* Psal. 65, 12.
ignem & aquam. Rubrum mare rubore suo ignis colorem præ se ferebat, quod filij Dei transierunt: & nos non aquam modò, sed ignem etiam virtute Crucis superemus. Transeunt probi, transeunt improbi: probi de mundo, improbi cum mundo, sicut notat Augustinus Tract. 55. in Ioannem. *Aliud est,* inquit, *transire de mundo; aliud, transire cum mundo; aliud, ad Patrem; aliud, ad hostem. Nam Ægyptij transierunt, persequendo Israëlem transierunt, sed non transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum.* Concludit: *Salubris transitus est, cùm à diabolo transimus ad* CHRISTVM, *& ab isto instabili sæculo ad fundatissimum regnum.* Audi Nauclere. *Nauclero quidem profectò non permittitur,* ait Basilius Epist. 166. *vt tranquillum vbi velit reddat infensum pelagus: nobis verò admodum facile est, vt vitam nobis ipsis reddamus tranquillam, si internos animi tumultus, qui ex affectionibus inordinatis aduersum nos insurgunt, compescuerimus. Neque enim facultatum dispendia, neque morbi cor-*

poris,

poris, neque quæcumque reliquæ vitæ molestiæ cautum ac studiosum pietatis lædent, donec animo ita comparatus est, vt cum Deo ambulet, vt de futuris cogitet, eosque fluctus, qui infernè excitantur, alacriter & expeditè superet.

Crux LIBERATI & sociorum, Crux ægrotantium.

Instrumentum artis benè moriendi.

TEmpus vitæ nostræ, tempus nauigationis est. Nauigamus in corpore, & cùm venimus ad portum, ægrotamus, affigimur lecto, febribus inflammamur, vt LIBERATO ac sociis similes effecti, liberi iam à scopulis & tempestatibus humanæ nauigationis, portum intremus ac teneamus. Benè monet Olympiadem ægram Chrysostomus Epist. 4. *Quantò magis aurum inflammatur, tantò etiam purius redditur. Quantò longiùs nauigat mercator, tantò plures merces cumulat. Quocircà ne paruum nunc tibi propositum esse certamen putes, verùm omnium, quæ sustinuisti, altissimum, maximumque & sublime; de eo loquor, quod in corporis aduersa valetudine situm est.* Sanctus Bernardus Abbas, sicut eius tradit historia, plenus iam mercibus ac onustus meritis, cupiebat, euectus naue, ex miseriis & ærumnis vitæ mortalis liberari. Accidit extremè iam laboranti, videri sibi nauem,

Excitatio ægrotantis.

quæ

quæ ſe tranſueheret, expectare. Et quidem illa quaſi in littore apparuit, & cùm Bernardus ingredi feſtinaret, nauis diſparuit. Cognouit necdum tempus migrationis ſuæ aduenisse. Creſcebat dolor, & morbus ingraueſcebat; & hoc habebat ſolatij, quòd eſſet reditura nauis, & ſe ſuaſque merces tandem in cæleſtem portum intromiſſura. Cùm æger febribus ardet, cogitet ſe in propoſita LIBERATI & ſociorum naue lecto crucis alligatum. Si puer ſit, puerum crucifixum intueatur: ſi iuuenis, iuuenes affixos cruci contempletur: ſi virum iam agit, viros ſuſpendio addictos attendat: ſi ſenex prouectus ætate eſt, pendentem è nauis arbore ſenem præ oculis habeat, vt cuiuſlibet ætatis homo nouerit, ſibi è mortali vita nauigandum, nec certum tempus aliquod præfinitum, quo quis perueniat in portum, iam puer, iam iuuenis, iam vir, iam ſenex ardente febri corripitur, & feſtina morte abripitur. Tranſeunt per ignem & aquam omnes, quos nauis exhibet crucifixos, vt in refrigerium veniant, & æger, qui eamdem patitur probationem, *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.* Eccli. 38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx glorioſus, cùm iret de mundo ad Patrem, in leuamen tranſeuntium ſacram Euchariſtiam condidit & reliquit. Et quidem adhuc in Eccleſia ſua Agnus è Petri nauicula clamat ad eos qui in mari laborant, & amaros fluctus tranant, mundi Oceanum tranſeuntes, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Eccleſia ſancta *facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum,* & inde CHRISTVS ſuper tranſeuntes aquas panem Euchariſtiæ mittit, vt mare tranquillum faciat, & nauigantes ſuos ducat & inducat in portum. Ne iam accedentes ad portum, naufragium ægrotantes patiantur & ſubmergantur, ſuccurrit per eamdem Euchariſtiam, in qua diuinus Agnus Dei porrigitur & miniſtratur, vt quæ mortis tempore exoriri & ſæuire tempeſtates ſolent, imperio eius remittantur atque ſedentur.

Matth. 11, 28. — Prou. 31, 14. — *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi. CVm tingimur aqua luſtrali, ſatis nobis inſinuatur, qualis ſit mundanus tranſitus, per quem datur in cælum acceſſus & aſcenſus. Fit per

aquas

aquas transmigratio, quæ est aperta nauigatio imposita iis qui *in Spiritu sancto & in igne* baptizantur. Matth. 3, 11.
Hæc nauigatio Christiana, quæ fit virtute Baptismi, formam martyrij importat. Confirmat assumptum Augustinus lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 74. *Baptizandus confitetur fidem suam coram Sacerdote, & interrogatus respondet: hoc & Martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel tingitur: & hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum sanctum: hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus Patris qui in eo loquitur. Ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis Domini: hic ipsi* CHRISTO *commoritur. Ille profitetur se immundis actibus renuntiaturum; hic ipse renuntiat vitæ. Illi peccata omnia dimittuntur, in isto extinguuntur.*

Hæc nauigatio Christianorum simul & Martyrum est, hæc communis tranatio & transmigratio, quam nauis LIBERATI & sociorum transeuntium per aquam & ignem ostendit & declarat. Cùm verò species nauigationis sit vita Christianorum, ritè ac rectè coniungitur cum Baptismo mysterium sacræ Eucharistiæ, ne in mari annona deficiat. Verùm enim verò, cùm in pelago nauigantibus cælum pa-

teat, cuius aſpectus recreat ferentes graues moleſtias tum maris tum nauis, erit occaſio & cauſa cæleſtis recreationis facienti tranſitum laborioſum, erigere oculos ad præmium ſibi in cælis deſtinatum, ſi proſperè confecerit nauigationem, more LIBERATI & ſociorum, qui ſalui & incolumes in portu feſtiuum celeuma dicunt & canunt, *Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Erat iam vicinus portui Adelhardus Abbas, cùm frequenter iteraret: *Hinc ibo, & ad Deum meum veniam, lætus moriar, lætuſque tranſibo ingentes huius vitæ foueas; quoniam ad gaudia peruenturus ſum ſempiterna, longè mihi antè promiſſa.* Proximus iam cælo Nicolaus Tolentinas poſtulauit ſibi crucem. *Crucem*, inquit, *meis oculis inſpiciendam offeratis, vt eius virtute ceu baculo altiſſimæ poteſtatis fultus, Jordanem huius mundi liberè tranſmittere, & ad paradiſi gaudia facilè peruenire queam.*

Aureola nauigationis mundanæ.
Pſal. 65, 12.

Extrema verba morientis.

Proferatur nunc in publicum ſancti PAPHNVTII Abbatis exemplum; in quo, tamquam præclariſſimo ſpeculo, triumphantis in labore & morbo forma conſpicitur.

EM-



Quàm bene iuncta tuæ Paphnuti præmia pugnæ?
15. *Palma crucem, palmam crux generosa dedit.*

EMBLEMATICA IMAGO XV.
S. PAPHNVTII ABBATIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS PAPHNVTIVS Abbas, cùm diram in Christianos persecutionem esse in Ægypto cognouisset, contendit eò, & sua sponte Ariano Præfecto seipsum præsentauit, & paratum se mori pro defensione Christianæ fidei declarauit. Quam ob causam variis pœnis cruciatibusque tentatus, affixus tandem palmæ palmam consecutus est. Nouit patientia CHRISTI vel in ipsa cruce triumphare, canitque propterea Ecclesia: Metaph. Martyrol.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

Redemptor quidem orbis tempore sacræ passionis festiuum Palmarum diem egit & coluit, vt triumphatorem se in ipso prælij conflictu declararet, & commilitones suos crucifixos & cruciferos non solùm *Sympathia Christi & Paphnutij Artificum passionis triumphantis.* Matth. 21.

lùm poſt labores iam tranſactos, ſed etiam in eorum tolerantia triumphum celebrari poſſe doceret.
Cant.7,8. Triumphauit in cruce anima, quæ dixit: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Et ille etiam
Gal.6,14. qui ſcripſit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI. Placet pulchra ſententia Doctoris Eccleſiæ Ambroſij in 1. ad Corinth. cap.1. *Victor exiſtit, qui iniuſtè occiditur, reum conſtituens eum à quo occiditur.* Conſonat Bernardus Serm. 61. in Cantica: *Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore; & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.* Exiſtit quoque victor, quo iniuſtè vexatur, reum faciens à quo diuexatur & exercetur.

Crux PAPHNVTII, Crux patientiæ triumphantis.

Crux paſſionis patientiæ triumphantis, inſtrumentum artis benè viuendi.

MAgnum quid eſt, in ipſis paſſionibus vincere, & in ipſis laboribus cum PAPHNVTIO triumphum agere. Crux ipſa Martyri palma fuit. Vnde, quod Leo Pontifex Sermone de S. Laurentio obiecit Datiano, obiici quoque poteſt Ariano: *Sæuiſti perſecutor in Martyrem, ſæuiſti, & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad Victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi,*

triumphi, etiam instrumenta supplicij? Crux quoque ipsa nobis pœna & palma sit, quemadmodum de Elia & ieiun. cap.5. Ambrosius monet. *Diuinum,* in- Num.10.
quit, *ad Patres resultauit oraculum, vt cùm egrederentur* 2.
ad bellum, tuba canerent, cuius sonitu Dominus remini-
sceretur populi sui, quo petitum conferret auxilium, plusque misericordiæ suæ incentiua cognoscentes in diebus lætitiæ suæ, in Neomeniis suis concinerent tubarum sonos. Vnde & Dauid dicit: Canite initio mensis tuba in die Psal.80,4.
insignis solemnitatis vestræ. Veniet igitur nobis solemnis dies, & iam appropinquat, canamus tuba, & annuntiemus solemnitatis diem simul nobis, & certamen imminet, & victoria repromittitur. Victoria nostra Crux CHRISTI *est, trophæum nostrum Pascha est Domini* IESV. Ergo cùm vocamur ad crucem, ad palmam, ad victoriam, & triumphum inuitari nos à CHRISTO existimemus, & cum PAPHNVTIO in cruce ipsa, quam ferunt cruciferi, exultent & glorientur. Etiam in morte ipsa, more Gerardi, de quo S.Bernardus Sermone 26. in Cantica dicit: *Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus* 1.Cor.15,
tuus? Iam non stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vsurparis ad lætitiam mater mœroris, vsurparis ad gloriam gloriæ inimica. 54.

Excitatio laborantis.

Crux Paphnvtii, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

NAtura noſtra mortalis de morbis triumphum agit, cùm ab eorum periculo libera euadit: anima verò immortalis in ipſo vitæ diſcrimine nouit de morbo triumphare. Qui nouit in lecto magis ſe animæ immortalitate quàm corporis mortalitate duci, nouit etiam triumphare. Morbum ſuperat, mortem vincit, & in ipſo lecto decumbens ſolemnem triumphum auſpicatur. Quidni triumphet in lecto, cùm ſubiugauerit aduerſarium? Benè & opportunè ſatis lib.1.de Prouident. Saluian. *Infirmitas carnis vigorem mentis exacuit, vt, affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum, & ſola exultet anima læta affecto corpore, quaſi aduerſario ſubiugato.* Quiſquis ita vincit aduerſarium, non tam lecto affixus quàm palmæ cenſendus eſt, & ipſo Adamo felicior, priuſquam amitteret innocentiam, vt adſtruit Auguſtinus lib.11. de Ciuitate Dei, cap.12. *Quantum pertinet*, inquit, *ad delectationem præſentis boni, beatior erat primus homo in paradiſo, quàm quilibet homo in hac infirmitate mortali: quantum attinet ad ſpem futuri boni, beatior eſt quilibet in quibuſlibet cruciatibus corporis, cui non opinione, ſed certa veritate manifeſtum eſt ſine fine ſe habiturum omni moleſtia carentem ſocie-*

Excitatio ægrotantis.

ſocietatem Angelorum in participatione ſummi Dei, quàm erat ille homo ſui caſus incertus in magna ſua felicitate paradiſi. Triumphat æger, qui lecti palmæ affixus, de ſpe certæ ſuæ beatitudinis hilareſcit, & hilaris rogat & orat: Rex glorioſe, qui à ligno & in ligno ſanctæ tuæ crucis regnaſti atque triumphaſti, præſta ſupplicanti & ægrotanti, ne victus morbo deiiciar, ſed victor in lecto ipſo decumbam. Hoc eſt velle patientem ægrum triumphare, & more Pauli gloriari, dum ait: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in* Gal. 6, 14.
Cruce Domini noſtri IESV CHRISTI. Concludit ipſe, cùm ſe infirmum recognoſceret: *Libenter igitur glo-* 2. Cor. 12, 9.
riabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus CHRISTI. Hæc vox infirmantis Pauli eſt, & eadem ſit ægrotantis & triumphantis, qui cor ſuum dedit in ſimilitudinem picturæ, & virtute patientiæ ſuæ perficit opus.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus crucis ſuæ victoriam agit, & celebrat in venerando altaris Sacrificio ac Sacramento; in quo vir patiens labore & morbo afflictatus, immemor ſuæ afflictionis, totus lætus & exiliens præ gaudio dicit: *Cor meum & caro mea exul-* Pſal. 83, 3.
tauerunt in Deum viuum, qui viuæ vocis oraculo mo-

Virtus Euchariſtiæ.

riens

Matth. 11, 28. riens ſimul & reſurgens clamat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Conficitur & perficitur Agni myſtici Sacrificium & Sacramentum in memoriam Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis eius, vt qui communicant crucifixi Regis Paſſioni, communicent etiam glorioſæ ac triumphanti eiuſdem Reſurrectioni & Aſcenſioni, impleaturque votum ſolemne Eccleſiæ agentis de Crucis Exaltatione. *Felix ille triumphus, ſit ſalus ægris, vitæ lignum, mortis remedium.* Hoc ipſum votum noſtrum ſolemne ſit, dum ſanctos Præſules crucifixos contemplamur, & nobis in laboribus & infirmitatibus noſtris propitios eſſe deſideramus & poſtulamus, vt virtute ſacræ Euchariſtiæ victoriam non in cælis ſolùm, ſed etiam in terris, dum patimur, celebremus, quam & ipſi celebrarunt, de quibus Ambroſius lib. 1. de Viduis p. 3. *Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiam quæ habuerunt peccata lauerunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres noſtri Præſules, ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia & ipſi infirmitatem corporis etiam dum vincerent, cognouerunt.*

Viaticum.

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, Aurea & aureola corona.

COnuertitur crux in palmam, cùm de palma cæli cælestique triumpho consideratio est. Vertebat in palmam crucem, quam in se Paulus gestabat, & victoris instar dicebat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Accedit Ambrosius in Psalm. 118. lit. 5. vers. 6. *Si opprobrium tuum gloria est, Domine* IESV, *quanta est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cuius sumus opprobrio glorosi?* Quanti Ambrosius faciat opprobrium istud gloriosum, intelligi facilè potest ex iis quæ statim addit: *Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium Crucis Domini* IESV, *quo nostra auferuntur opprobria.* Hæc vox PAPHNVTII est, & gloriantis Pauli, qui & dicit: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Gal. 6, 14.

2. Cor. 7, 4.

Et quidem Præsules crucifixi lætitia sic abundarunt, vt gloria eorum redundaret, qua fruebantur in mediis ipsis tormentis, & in nos adhuc redundet. Confirmat hoc ipsum Ambrosius lib. 1. Epistolarum, Epist. 31. *Nos sanguine gloriamur, illos dispendium manet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant. Numquam nobis amplius consuluerunt, quàm cùm*

verberari Christianos, atque proscribi, ac necari iuberent. Præmium fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos, per iniuriam, per inopiam, per supplicium nos creuimus.

Crescunt instar PAPHNVTII, & instar palmæ cruciferi, quibus Crux & passio CHRISTI, dum laborant & ægrotant, gloriosa est. Eapropter S. Pater noster Ignatius honoris & gloriæ loco Crucem & passionem CHRISTI reliquit nobis in Regula. *Diligenter animaduertant oportet (magnifaciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere iuuet ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur, & admittere & concupiscere totis viribus quidquid* CHRISTVS *Dominus amauit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi sunt sequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, & seriò* CHRISTVM *Dominum nostrum sequuntur, amant & ardenter exoptant, quæ iis omnia contraria sunt, indui nimirum eadem veste & insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reuerentia, adeò vt, sine offensione vlla diuinæ maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia*

ſtimonia & iniurias pati, & ſtulti haberi & exiſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eò quòd exoptent aſſimilari, & imitari aliquo modò Creatorem ac Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, *eiuſque veſtibus & inſignibus indui: quandoquidem ille ipſe propter maiorem profectum noſtrum induit, nobiſque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia adſpirante, eum imitari & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* Sic vertitur crux in palmam, quoties vir patiens de vita cæleſti, eiuſque coronis ac corollis ſedulò & ſeriò cogitat. Hinc factum, vt cùm Baſiliſcus martyr Chryſoſtomo apparens dixerit, *Bono eſto animo, & gaudio exulta ineffabili, frater Ioannes; cras enim ſimul erimus*, in morte ipſa exultauerit. Splendida ſe veſte induit, vt, more triumphatoris, venientem mortem exciperet. Egit triumphum, qui dixit iam moriturus, *Gloria Deo per omnia:* & facto ſigno crucis, per crucem ad palmam venit. Apprehendit hanc palmam in morte ſua Eleazarus Comes, qui ſacrum emittens ſpiritum, *Planè*, inquit, *vici.* Qualis palma, talis & crux, talis & patientia Principum in ipſis pœnis laborum & morborum glorioſa triumphatrix, cuius formam & imaginem lib. de Patientia cap. vlt. deſcripſit, & depinxit. *Age iam*, inquit, *ſi & effigiem habitumq; eius comprehendamus.*

Aureola in cruce & lecto triumphantis.

Extrema verba morientis.

Deſcriptio patientiæ triumphantis in cruce & lecto.

Tertullian.

hendamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Ceterùm amictus circa pectora candidus, & corpori impressus: vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem
3.Reg.19, 12. *tertiò vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. Cùm ergo Spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum. Si nos cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper: imò nescio an diutiùs perseueret sine sua comite ac ministra. Omni tempore ac loco tangatur necesse est: quodcumque inimicus eius inflexerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi. Hæc patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera cælestis & vera.*

SA-

SACRI SANCTVARII CRVCIS ET PATIENTIAE

PARS SECVNDA DE SVBDITIS CRVCIFIXIS ET CRVCIFERIS.

Figura Crvcis vbique inuenitur, apud Principes, apud Svbditos, apud mulieres.
Chrysostomus, Quòd Christus sit Deus.

IMAGINES EMBLEMATICAE PARTIS SECVNDAE SACRI SANCTVARII.

Boni Latronis.
Diſcipulorum Petri & Pauli.
S. *Vitalis.*
S. *Agricolæ.*
SS. *Coſmæ & Damiani.*
S. *Vincentij.*
S. *Alexandri.*
S. *Theodori ducis.*
S. *Theodori militis.*
SS. *Marci & Marciani.*
Exercitus decem millium Martyrum.
S. *Lycarionis.*
S. *Lucilliani.*
S. *Venantij.*
S. *Timonis Diaconi.*
S. *Fauſti.*
S. *Pionij.*
S. *Apollonij.*
S. *Theoduli.*
SS. *Scillitanorum.*
S. *Balſami.*
SS. *Theophimi & Thali.*
SS. *Leontij & Carpophori.*
SS. *Zotici & Diſcipulorum.*
SS. *Claudij, Aſterij & Neonis.*
SS. *Diomedis & ſociorum.*
S. *Gemelli.*
S. *Philemonis.*
SS. *Decem crucifixorum.*
SS. *Incognitorum.*
SS. *Cleonici, Eutropij & Baſiliſci.*
S. *Marini.*
BB. *in Iaponia crucifixorum.*
Hiorami.
Alphonſi Caſtrij.
Venerabilis Sacerdotis.
Petri Helcij.

Puerorum crucifixorum,

Simonis,
Guilielmi,
Hugonis,
Richardi,
Chriſtophori.

Sanctus Laurentius Iustinianus cap.21.
de Humilit. Sanctor.

Religionis præclarum ſpeculum, ac diuini cultus quamdam prætendebant imaginem, per quam ad benè viuendum alliciebantur, conſiderantes illos tantò vehementiùs, quantò ardentiùs proficere cupiebant. Et quidem in hoc perlucido ſpeculo, & vita Sanctorum perfecti viri conſpiciunt.

Prodeat in publicum ſpectaculum bonus LATRO, in quo perlucido ſpeculo apparet effigies ferentis iuſtum ſupplicium & morbum.



Mille mihi luces peperißent mille dolores:
16. *Vnica nunc peperit gaudia mille dies.*

EMBLEMATICA IMAGO XVI. BONI LATRONIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

PRIMVS subditorum crucifixorum apparet in Sanctuario bonus LATRO, qui pro Rege suo glorioso primus stetit: stetit ille, socius corruit. *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es* CHRISTVS, *saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* Bonus LATRO se reum esse fatetur, & supplicium sibi inflictum æquum ducit, & admittit. Quàm pretiosa sit, & quanti valeat iniunctæ pœnæ acceptatio cum vera CHRISTI fide & fideli confessione rei coniuncta, hæc declarant: *Et dicebat ad* IESVM: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi* IESVS: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Dignas pœnas luis pro culpis atque flagitiis commissis; patiens esto, vt boni huius LATRONIS crucem feras & sustineas. CHRISTVS ipse quæ non rapuit exsoluebat, soluebat tamen, vt bonum doceret

Luc. 23, 39.

Luc. 23, 42.

Sympathia Christi crucifixi & boni Latronis. Artificum acceptati supplicij.

ret LATRONEM, pro rapinis, quas exercuit, dignam reddere ſolutiònem. Qùid inde? Reſpondet Auguſtinus Serm. de bono LATRONE: *Latro de crucis ligno vindemiat immortalitatem, & latrocinatur cæleſte imperium. Vim facit regno cælorum, non virtute propria, ſed per fidem vincens, ipſo Domino dicente: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Iterùm Auguſtinus lib. de Origine animæ cap. 9. *Nemo fit membrum* CHRISTI, *niſi aut Baptiſmate in* CHRISTO, *aut morte pro* CHRISTO. *Vnde &* LATRO *ille non ante crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor, de quo nonnumquam præiudicium captatur, ſiue tentatur contra Baptiſmatis Sacramentum, à Cypriano ſancto inter Martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizatur.*

Matth. 11, 12.

Crux boni LATRONIS, Crux acceptati ſupplicij.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

NIhil prorſus inultum, nihil omnino impunitum Deus relinquit: Deus enim vltionum eſt. Cùm pius ac clemens ſit, pœnis noſtris ille non gaudet: cùm ſit Iudex æquus & iuſtus, exigit debitam à nobis ſatisfactionem. Quæ quidem crux in commodum noſtrum vertitur, dum pro meritis inflictum nobis ſupplicium, & à nobis patienter admiſſum Deo offertur. Huc pœnitentiæ impoſitæ in Confeſ-

Confeſſione, huc amiſſiones honorum & fortunarum, huc iactura parentum, propinquorum & amicorum, huc detrimenta ſalutis ſiue valetudinis pertinent. Qui culpam dolet, pœnam non ſentit: dicit enim S. Bernardus de Altitudine cordis: *Culpa ipſa, ſi intus ſentitur perfectè, vtique exterior pœna parum aut nihil ſentitur.* Non ſentitur pœna, ex qua prouenit lucrum, quod ex ſententia Cyrilli Ieroſolymitani memorat Petrus Damianus cap.2. de Principis officio: *Mors quæ pœnæ cauſa infertur pro peccato, purgatio eſt peccati ipſius pro quo iubetur inferri.* Sic itur ad Paradiſum: iuit LATRO, nec non fortiſſimi Martyres, de quibus agit Ephræm Sermone de Pœnitent. & patient. *Martyres*, inquit, *in terra certantes crimina deleuerunt, & munera non acceperunt in hac vita, sed, quod amplius eſt, regnum cælorum atque paradiſum conſecuti ſunt.* *Excitatio laborantis.*

Crux boni LATRONIS, Crux morbi pro meritis acceptati.

NEmo ſalutis gaudet dominio. *Domini eſt ſalus:* hic eſt, *qui dat ſalutem Regibus.* Deus eſt, qui ſanitatem impendit, vt benè valentes ſibi debitum obſequium reddant. Cùm quis ſalutis abutitur beneficio, & in malos vſus impendit, inuito Domino *Inſtrumentum benè moriendi.* Pſal.3,9. Pſal.143,10.

 facit,

facit, & furtum committit. Furti reus lecto crucis affixus æger caueat, ne mali latronis inſtar impatienter crucem ferat, & pereat; boni potiùs LATRONIS exemplo ductus, recognoſcat crimen ſuum, pœnam acceptet & dicat: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Diſcat in lectulo infirmus agere bonum infirmum, cum bono fateatur LATRONE, *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.* Non id ſolùm fateatur cùm patitur infirmitatem, ſed etiam cùm Medici & medicinæ non proſunt. Nouit Deus iuſtus & æquus iudex ſcientiam Medicorum fallere, & vim à medicinis auferre, vt iuſtè puniat ægrotum. Nouit ſibi reſeruare facultatem reſtaurandæ ſanitatis, & tunc poteſtate ſua vtitur, cùm æger peccatum ſuum recognoſcit. Reſeruauit ſibi Paralytici curationem, quem cùm in Euangelio curaſſet, monuit, caueret ſibi in poſterum, ne recidiuam pateretur. *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Interim dum lecto affixus luit pœnas miſer homo, cor ſuum dabit in ſimilitudinem boni LATRONIS, totuſque ſupplex orabit: Rex glorioſe, qui LATRONEM exaudiſti, audi miſerum ægrum gementem, & ſimul reum confitentem atque dicentem: *Nos digna factis recipimus.* Sic itur ad paradiſum, ſic ſalus æterna comparatur.

Excitatio ægrotantis.

Pſal. 118, 137.

Luc. 23, 39.

Ioan. 5, 14.

Luc. 23, 39.

Leua-



Fax, hostia, corona
Subditi, leuaminis, honoris.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus in ara crucis ſuæ, quæ non rapuit exoluebat, vt furta boni LATRONIS compenſaret: idem ipſe nunc conſecratur, & immolatur pro venia & indulgentia peccatorum, & ſimul proponitur laborantibus & ægrotantibus, vt ſupplicium ſibi inflictum meliùs & faciliùs ferant. Hæc virtus venerabilis Sacramenti, cuius inſtitutor & auctor morbis, laboribus, & etiam peccatis grauatos vocat & inuitat ad ſe, dum ait, *Venite ad me omnes,* *qui*

Virtus Euchariſtiæ.

Matth. 11, 28.

qui laboratis, & oneratis estis, & ego reficiam vos. Confirmat hoc ipsum S. Bonauentura in Compendio Theologiæ lib.6.cap.15. vbi munitus D.Bernardi testimonio, inquit: *Corpus* CHRISTI *est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, languorem sanat, sanitatem conseruat.* Errat igitur ægrotus, cùm existimat actum esse de se, si Viaticum percipiat: sæpè namque è lecto sacratissimum Corpus CHRISTI sanos eleuat, quos facinora commissa lectulo doloris addixerunt.

Viaticum.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.
Psal. 50, 19.

PEr crucem boni LATRONIS itur ad illud martyrium, siue sacrificium illud, quod est gratissimum Deo, *sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Accedit Iustinianus disceptans de Iustitia, cap. 6. *Quemadmodum omnis professio, omnisque ars certum habet modum & exercitium, quo ad sui finem faciliùs ducatur; ita & virtus iustitiæ tantò efficitur Deo propinquior, quantò in his exequendis extiterit promptior, quia reuerà nulla maior est iustitia, quàm seipsum Deo offerre sacrificium immaculatum. Primum enim sacrificium, propter quod homo ad perfectam proficit iustitiam, est sacrificium contriti cordis,*

cordis, pro perpetratione ſcelerum ſuorum. Quiſquis in mente tolerat hoc martyrium, vt iuſtitiam ſibi acquirat, propter iuſtitiam patitur, cui merces magna in cælo promiſſa eſt. *Laureola tolerati ſupplicij.*

Hæc laureolæ illuſtris merces reſpondet ſacrificio iuſtitiæ, quo delicta omnia tolluntur, additque proptereà citatus Iuſtinianus: *Aliud quoque eſt ſacrificium iuſtitiæ, quo nihil in hac peregrinatione perfectius gratiuſque Deo offerri poteſt, de quo ſic legitur: Tamquam aurum in fornace probauit eos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos. Utique tales ſunt, qui pro veritate & iuſtitia animas ſuas tradiderunt tormentis, conuitiis, & morti. Conſummatio autem huius eſt introitus ad gloriam. Adeò enim placet hoc ſacrificium Deo, quòd per ipſum omnia mundantur peccata. Huic patent regna cælorum. Nulli namque tam ſecurè datur exire de corpore, quàm cui donatum eſt per iuſtitiam ſe Deo offerre. Hic eſt curſus, & hæc eſt perfectio veræ iuſtitiæ, pro qua quicumque occubuerit, perpetuam recipiet à Domino coronam gloriæ.* Sap. 3, 6. Hanc optabat, hanc poſtulabat bonus LATRO, cùm eſſet conſtitutus in extremis, & extrema verba pronuntiaret, & rogaret, *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Exaudiuit Deus LATRONEM, donauit veniam & regnum. Hoc ipſum cupiebat ſibi, cùm animam ageret, clariſſima & ſanctiſſima *Extrema verba morientis.* Luc. 23, 42.

femina Galla, cui D. Petrus apparuit, & intrepida rogauit, *Quid eſt, Domine mi, dimiſſa ſunt mihi peccata mea? Cui ille, benigniſſimi, vt eſt, vultus, inclinato capite annuit, dicens: Dimiſſa, veni.* Hæc Gregorius libro 4. Dialog. cap. 13.

Prodeant in publicum ſpectaculum DISCIPVLI PETRI & PAVLI, perlucidum ſpeculum patientiæ in labore calumniæ & morbi.

EM-



Sæuiat immanis ferro, flamma, cruce tortor;
17. *Hoc plures aditus aula Tonantis habet.*

EMBLEMATICA IMAGO XVII.

DISCIPVLORVM PETRI ET PAVLI CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

DISCIPVLI Principum Apoſtolorum PETRI & PAVLI per calumniam delati ſunt apud Neronem, quòd vrbem variis in locis inflammaſſent; quam ob cauſam de mandato eiuſdem Cæſaris multi feris, multi flammis, multi crucibus addicti ſunt. Calumnia impiorum hominum grauiſſima crux eſt. Confirmat idipſum Ambroſius Serm.17.in Pſalm.118. *Non vnum genus eſt noſtræ afflictionis: eſt & tentatio, eſt & calumnia; ſed tentatio leuior, calumnia grauior: ſiquidem tentatio poteſt eſſe calumnia, calumnia in ſe & tentationem habet. Eſt humana tentatio, quam ferre poſſumus; calumnia autem grauis eſt. & ideò Dominus quæ ſunt grauiora ſuſcepit, & calumniis appetitus ſilentium detulit triumphale.* Quantò maior & acerbior eſt humanæ calumniæ afflictio, tantò maior & ſublimior patientia eſt, quam DISCIPVLI Apoſtolorum in ſuo martyrio oſtenderunt, præ oculis habentes CHRISTVM, & hunc crucifixum, grauibus calumniis affe-

Martyrol. Rom. Baron.tom.1.

Sympathia Chriſti crucifixi & martyrum Artificum tolerata calumnia.

Heb.12,1. fectum, de quo Paulus: *Ideóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* IESVM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

Crux Discipvlorvm Petri & Pavli, Crux calumniæ.

Instrumentum artis benè viuendi.

Psal.118, 134.

DVra ac dira crux falsa calumnia est, à qua liberum se esse cupiens Dauid, orabat: *Redime me à calumniis hominum, vt custodiam mandata tua.* Magnum obstaculum seruandæ legis, calumnia; & species quædam redemptionis est, ab ea posse liberari. Nouit Salomon quantus sit iste labor, cùm testis oculatus fateatur, & simul deponat: *Verti me ad*

Eccli.4,1. *alia, & vidi calumnias quæ sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos quàm viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Cùm sit adeò grauis crux, vix inueniun-

ueniuntur homines, qui pares ferendo ſint: ſunt DISCIPVLI Apoſtolorum, & quidem non omnes, cùm lib.2.de Perfect. Religioſor. cap.36. dixerit Bonauentura: *Plures videmus caſtos, abſtinentes, pauperes, ſemetipſos humiliantes, eleëmoſynas facientes, bona diſcentes, fide conſtantes, ſed paucos admodum contumelias, & detractiones, & deſpectiones humiliter portantes.* Inuenietur vnus Achilles Abbas, cuius memoria eſt inter Apophthegmata Patrum, cùm ex ore eiiceret ſanguinem, rogatus quid eſſet, reſpondit: *Sermo contumelioſus eſt cuiuſdam fratris, qui me contriſtauit. Et deprecatus ſum Deum, vt auferretur à me, & factus eſt ſermo ille ſanguis in ore meo. Ecce expui illum, & requieui, & dolorem illum oblitus ſum.* Cruci huic ſubiecta vita humana eſt, vt Epiſt.54. Athanaſio ſcripſit Baſilius: *Quòd quidem vita hominis calumniis non ſit obnoxia, difficillimum eſſe, ne dicam impoſſibile, & ipſe perſuaſus ſum, & bonitatem tuam non ambigere.* Ferebat hanc crucem Gregorius, de quo Baſilius Epiſt.84. *Luget & ipſe cum omnibus aliis, irremiſſis contumeliis quaſi quibuſdam inſolentibus plagis percuſſus.* *Excitatio laborantis.*

Crux Discipvlorvm Petri & Pavli, Crux ægrotantium.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

PRinceps calumniatorum diabolus eſt, & tunc maximè calumniatur, cùm in extremis eſt homo. Felix æger, quem calumniæ iſtæ non tangunt, per omnia ſimilis Discipvlis Apoſtolorum, & ſimul beato Martino, qui cùm ageret iam animam, increpauit calumniatorem. *Quid adſtas*, inquit, *cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies*. Felix ille, in quo tantus calumniator nihil damnationis eſſe deprehenderit. *Etenim generoſi athletæ*, teſte Baſilio Orat.27. *quamuis omni tempore vitæ ſuæ ſuperarint, tamen cùm animam agunt, à principe huius ſæculi examinantur, num vulnera in luctaminibus acceperint, aut maculas aliquas, vel typos à peccatis impreſſos retineant. Quòd ſi nulla vulnera accepiſſe reperiantur, nullaſque maculas concepiſſe, tamquam inuicti exiſtentes ac liberi, à* CHRISTO *reficiuntur: atque hoc ab ipſo diſcere potes, qui tempore paſſionis ſuæ dixit: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Satis generosè certauit S. Catharina Senenſis, & tamen cùm ageret iam illa animam, vt eius hiſtoria tradit, quaſi aliquid ipſi obiiceretur, reſpondit: *Vanam gloriam numquam, ſed veram gloriam & laudem Domini vtique.*

Ioan.14, 30.

Felix

Felix anima, quæ in extremo agone posita, suam sic agere causam possit. Interim vir Christianus, dum calumniis impetitur, exercetur & instruitur ad subeundum certamen, quod cum dæmone calumniatore tandem initurus est. Quisquis in hoc exercitio est, virtutem patientiæ colat, imitator sanctorum Martyrum factus, qui per calumnias satanæ & ministrorum eius crucibus adiudicati, cælestem aulam intrarunt. Quotusquisque sanus & æger similes labores patitur, *Cor suum dabit in similitudinem picturæ*, recurret supplex ad Deum, orabitque: Rex gloriose, in quo nihil damnationis esse deprehendit princeps mundi huius, *redime me à calumniis hominum*, dum apud homines viuo; & à calumniis dæmonum, dum morior: vt tam viuens quàm moriens mandata tua custodiam. Non est cur timeat calumnias, nec timeat satanam calumniatorem, qui viuens & moriens CHRISTVM suum habet patronum, defensorem ac redemptorem, suadentem excitantemque ad patientiam, de qua agens S.Ephræm ait: *Quantum in nos malignus insurgit, tantò nos in patientia inueniamur viriles ac strenui vsque ad mortem, sicque omnes eius insidiæ mox dissoluentur.*

Excitatio ægrotantis.

Eccli. 38. 28.

Psal. 118, 13.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx gloriosus in sacra sua passione summis est impetitus calumniis, quarum passionis memoria agitur in sacrosancta Eucharistia, quæ virtutem hausit ex cruento sacrificio, vt sumentibus se afferat robur, quo falsas criminationes faciliùs sustinere queant. Magnum hoc munimentum est, quo se munit æger contra diaboli calumnias; Viatico hoc refectus, vel ipsi dæmoni terribilis in lecto apparet. Hostiæ apud veteres dicebantur sacrificia, quæ immolabantur antequam exercitus ad copias hostium accederet: & dux noster IESVS CHRISTVS sacram obtulit hostiam, & adhuc offert & præfert commilitonibus suis, vt tanto sacrificio innixi, non solùm cum morte, sed etiam cum ipso mortis auctore, animosè confligant. Quòd si veteres pro comparanda victoria suas hostias immolabant, & post hostes iam deuictos victimas sacrificabant, vtrumque hoc sacrificium inuenitur in Eucharistia, quæ victima est & hostia: hostia, cuius vi atque virtute mors vincitur, atque prosternitur hostis: victima, cuius ope & opera parta de hoste victoria celebratur ab eo, qui post acceptum Viaticum victor & triumphator post obitum in cælum recipitur. *Viaticum.*

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

CAlumnias patientis martyris vox illa esto: *Principes persecuti sunt me gratis*: & quidem ex ore & calamo diui Ambrosij Serm.21. in Psalm.118. *Benè hoc martyr dicit, quòd iniustè persecutionum tormenta sustineat, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, nullius torum putauerit esse violandum; qui nihil legibus debeat, & grauiora latronum cogatur sustinere supplicia: qui loquatur iusta, & non audiatur: qui loquatur plena salutis, & impugnetur; vt possit dicere: Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur sine crimine: impugnatur vt noxius, cùm sit in tali confessione laudabilis: impugnatur quasi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur; cùm pietas omnium virtutum fundamentum sit.* Hic martyr sic impetitus calumniis, dixerat paulò antè: *Principes persecuti sunt me gratis*; subiungitque consequenter: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.*

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.
Psal.118, 161.
Psal.118, 161.

Spolia multa aureæ coronæ, & laureolæ martyrio calumniæ debentur, & pro meritis suis patiens graues calumnias rogat & orat Dauid, *Redime me à calumniis hominum.* postulatque dein præmium: *Faciem tuam*

Laureola tolerata calumniæ.
Psal.118, 134.

tuam illumina ſuper ſeruum tuum. poſtulat viſionem Dei, coronam nimirum gloriæ, & illam quidem illuſtrem, cæleſti laureola decoram. Hæc magna & debita merces, quæ perſecutionem patientibus falſaſque calumnias ſubeuntibus adiudicatur in Euangelio: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Verbum quidem aſperum calumnia eſt, de quo Dauid Pſalm.90. *Ipſe liberabit me de laqueo viuentium, & à verbo aſpero.* Baſilius in Scholiis: *A calumnia dixit. Tales autem ſunt calumniatores. Attamen & horum multi ſunt per ſpem in Deum facti victores, vtpote magnus Ioſeph, & Suſanna, & alij quotquot in calumniam inciderunt, coronatique ſunt.* Liber à criminationibus, verbiſque aſperis calumniatorum Leo martyr agens iam animam dixit: *Lætor, quòd in manus Angelorum tuorum, Domine, trado ſpiritum, liber conſeruandus à iudicio improborum.*

Matth. 5, 11.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſancti VITALIS, in quo veluti in ſpeculo apparet imago ferentis ſeruitutem & morbum.

EM-



Hic vitalis erit: diſrumpere liuide ſerpens.
18. *Si mortem intuleris, ſic mage talis erit.*

EMBLEMATICA IMAGO XVIII. S. VITALIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

DIVVS VITALIS seruus Agricolæ Marty- Ambros. Beda.
ris, post varios ac diuersos cruciatus vi- Surius.
tali crucis ligno adstrictus est. Seruitutis
cruci adstrictus, CHRISTI Domini cru-
ci affigitur. Et quidem in vna & altera conditio- *Sympathia Christi & Vitalis*
ne instructionem CHRISTI habuit, cùm CHRI-
STVS accipiens formam serui, seruituti natus sit. *Artificum tolerata seruitutis.*
Non enim veni ministrari, sed ministrare. Huc pertinet Matth. 20, 28.
quod dicit Bernardus Homilia 1. super Missus est:
*Disce homo obedire, disce puluis obtemperare. De auctore
tuo loquitur Euangelista: Et erat subditus illis, haud du-* Luc. 2, 51.
*bium quin Mariæ & Ioseph. Erubesce superbe cinis: Deus
se humiliat, & tu te exaltas. Deus se hominibus subdit,
& tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis au-
ctori. Vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti, Deus
respondere dignetur, quod & suo increpando respondit
Apostolo, Vade post me satana, quia non sapis ea quæ Dei* Matth. 8, 35.
sunt. Accedit Basilius in Regula breuiori 125. *Alij
aliis obedientiam præstabimus tamquam serui dominis,
conuenienter præcepto Domini: Qui vult esse in vobis* Luc. 22, 26.

 ma-

magnus, ſit omnium vltimus, & ſeruus omnium: ſicut filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret. Humana ſeruitus, quæ homini propter hominem impenditur, mortalis eſt, vitalis verò Chriſtiana, quæ homini propter Deum exhibetur.

Crux VITALIS, Crux ſeruitutis Chriſtianæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

QVi ſe mancipat alieno ſeruitio, ſe alterius iure conſtringit: & cùm homo homini obſequium præſtat, adſtrictus in crucem agitur. Quiſquis hoc patitur iugum, non terram inſpiciat, ſed cælum ſublime intueatur. Cælum, non terram; Deum, non hominem ſuſpicit in cruce ſeruus VITALIS, & officij ſui Chriſtianum famulum monet è cruce, quod monuit S. Auguſtinus Serm. 3. de Dedicat. Ec-

Excitatio laborantis.

cleſiæ: *Audi quiſquis temporaliter ſeruus es, & quiſquis teneris iure dominationis adſtrictus. Quiſquis conditione qualibet obnoxius es, eſto ſeruus, & eſto liber: eſto ſeruus, humiliter obediendo; eſto liber, fideliter ſeruiendo.* Hic ſeruus funibus ſeruitutis adſtrictus, liber aliquando dicet,

Pſal. 15, 6. ac ſimul canet: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara eſt mihi.* Et quidem Chriſtiana obedientia, quid niſi decora ſeruitus eſt? Rogat Baſilius Epiſt. 115. quomodo alius alteri obedire debeat. Reſpondet: *Sicut ſeruus Dominis, iuxta quod à*

Domino

Domino præceptum eſt: Qui vult inter vos eſſe magnus, ſit omnium poſtremus, & omnium ſeruus. Luc.22. 26. Præſtat alienæ voluntatis ſeruum eſſe, quàm ſuæ, quemadmodum adſtruit Ephræm, agens de rectâ viuendi ratione. *Propriæ voluntati*, inquit, *ne te ſeruum feceris. Filij Iſraël è ſeruitute liberati, incolumes mare rubrum tranſierunt, in continenti naufragati ſunt, quòd propriæ voluntatis imperio nimiùm ſe ſubderent.*

Crux VITALIS, Crux ægrotantis.

DVm homo iuſtus in hoc mundo detinetur, corruptioni ſuæ ſeruit; tunc incipit eſſe vitalis, cùm ad vitam accedit æternam. accedit autem, cùm iam extremè laborat. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Ergo vir ſanctus, cùm deſinit eſſe mortalis, incipit eſſe immortalis; & affixus lecto ſuo, ſimilis eſt VITALI. Excitet ſeipſum, & dicat: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum.* Hæc regio cæleſtis eſt, quæ mortuos & mortales reiicit, admittit vitales & immortales. Mortalis non poteſt non ægrotare; non poteſt, dum viuit, valere & benè habere; ac proin-

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Sap.3,1.

Excitatio ægrotantis.

Pſal.114, 7.

de necesse est vt, adhuc vitalis cùm sit, sustineat crucem VITALIS. Homo semper vtitur medicinis, semper enim occulta ægritudine laborat, vt ostendit Augustinus in Psalm. 102. *Stando lassatus eras, sedendo reficeris: ipsum sedere medicina est lassitudinis. In ipsa medicina rursus lassaris, diu sedere non poteris. Quidquid enim est, vbi fatigationi succurritur, alia fatigatio inchoatur. Quid ergo ista desideras languidus? Aliquando ægrotat homo in domo suâ, in lecto suo ægritudine manifestiore.* Semper suæ corruptioni seruit, tunc manifestiùs, cùm iam laborat in lecto, & gemens sub onere crucis, diuinumque implorans auxilium ait: Rex gloriose, qui natus es seruituti, & conditionem seruilem VITALI tuo tribuisti, succurre misero homini corruptioni naturæ suæ seruienti, & pro libertate sua suspiranti. Haud dubiè, dum homo viuit, libertate sua caret, cùm in carcere corporis sit: & si quis è miseris vinculis, quibus captus detinetur, exire non curat nec optat, VITALIS non est. Captiui, qui in publica detinentur custodia, si suam sperant liberationem, exitum suum desiderant: ij verò, qui adstricti vinculis sunt, & reos se esse cognoscunt, timentque pro meritis damnationem & extremum supplicium, egressum è carcere minimè amant, sed horrent.
Eccli. 38, 18. Mysticus ergo VITALIS *corsuum dabit in similitudinem*

nem picturæ, & optabit ſe à nexibus corporeæ ſeruitutis liberari, & in libertatem filiorum Dei cooptari.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus formam ſeruilem induit, nec illam ad extremum vſque ſpiritum poſuit: in cuius ſeruitutis memoriam, ſacram Euchariſtiam reliquit, quam ſeruis humilibus elargitur, vt onus humanæ & mortalis ſubiectionis patienter tolerent. *O res mirabilis, manducat Dominum ſeruus, pauper & humilis!* Manducat Dominum pauper, & diteſcit; manducat ſeruus, & in libertatem vindicatur; manducat humilis, & in cælis exaltatur. Qui corruptioni naturæ ſeruit, de carne CHRISTI, quam ſumit, non corruptionem metet, ſed potiùs incorruptionem. Eapropter cùm vicina iam eſt mors, & vt metat, falcem mittit, ſapienter æger recurrit ad ſacram Hoſtiam, vt pro carne ſua mortali immortalem CHRISTI carnem ſibi aſſumat. Magnum certè hoc fœnus eſt, vt pro ſerua, domina, pro humana, diuina caro detur & accipiatur, in quam mors nullam iam habet ditionem. *Mors illi vltrà non dominabitur:* quin potiùs in mortem illa ſuum exercet dominatum, & ad eius poſteà imperium, quam humanam carnem capit, tempore ſuo reſtituet.

Virtus Euchariſtiæ.

Viaticum.

Prou.6,9.

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

VEra seruitus propriæ voluntatis abnegatio est, cui adiunctum martyrium est, quemadmodum Thomas Kempensis libro de Fideli dispensat. cap.3. notauit: *Si est aliquod genus supplicij, quod martyres facit, tunc maximè illi martyres fiunt, qui toties verbo Dei tamquam gladio submissi plectuntur, quoties sibi ipsis per obedientiam moriuntur.*

Laureola tolerata seruitutis.

Hoc igitur genus martyrij dignum corona, dignum laureola est, cuius consideratione animans seruos Apostolus, *Scientes,* inquit, *quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.* Accedit Ambrosius cap.3. ad Coloss. *Si benè egerit, non erit apud Deum seruus despectui, sed remunerabitur quasi liber inter homines.* Liber vtique inter homines cupiebat Simeon esse, cùm re & nomine seruus obediens foret, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace.*

Ephes.6,8.

Luc.2,29. *Extrema verba morientis.*

Prodeat in publicum spectaculum sanctus AGRICOLA; in quo, veluti in speculo, conspicitur forma amoris Dei & patientiæ in morbo.

EM-



Parcite tot clauis: me lanea vincla ligabunt:
19. *Hæc ſi deſuerint, in cruce figet amor.*

EMBLEMATICA IMAGO XIX.

S. AGRICOLÆ CRVCIFIXI EXPLICATA.

BONONIAE S. AGRICOLA martyr, Martyris Vitalis Dominus, ſub Diocletiano Imperatore in crucem ſublatus eſt, in qua ſacri eius corporis iuncturæ clauis perforatæ ſunt, cuius tormenti vi, breui temporis interuallo, vitæ ſuæ finem impoſuit. Celebrarunt ſacroſanctam eius memoriam Paulinus, Gregorius Turonenſis, & Ambroſius, qui in Exhortatione ad virginem ait: *Nomen vtique habuit* AGRICOLA *aptum Martyris: nam & bonus agricola cùm parat terræ ſolum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non niſi per ſignum crucis facere conatur. Dum enim aratro dentale ſubiicit, affigit aures, ſtiuam ingerit, formam crucis imitatur.* Qui timore Dei percellitur, alter AGRICOLA eſt, qui & crucem CHRISTI portat, & clauis ſimul configitur. Expende axioma non minùs certum quàm ſacrum illud Apoſtoli, *Qui ſunt* CHRISTI, *carnem ſuam crucifixerunt.* Non manus & pedes ſolùm, ſed totum etiam corpus crucis clauis confixerunt. Prædicti claui diuini timoris ſunt, quibus

Ambroſ. Paulin. Lipoman.

Gal. 5, 24.

bus artus omnes ſui corporis transfigi cupiebat, ſimulq́ue petebat Dauid, cùm diceret: *Confige timore tuo carnes meas.* CHRISTVS ipſe tempore paſſionis timuit, *cœpit pauere, & tædere:* cùm expauit, ſacroſancta eius caro quaſi quibuſdam clauis confixa eſt.

Pſal. 118, 120.
Sympathia Chriſti & Agricolæ Artificum diuini timoris.
Marc. 14, 33.

Crux AGRICOLÆ, Crux timoris Domini.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

QVi Deum timet, ad omnem eius offenſam omnino immobilis eſt, eius voluntati ac legi infixus adhæret. Cruci diuini timoris affixa Suſanna erat, cùm diceret: *Anguſtiæ ſunt mihi vndique.* Hærebat prorſus immobilis, nec vlla violentia poterat dimoueri. Quanti referat in cruce clauis AGRICOLAE capi, vel ex hoc intelligi poteſt, quòd cùm illis malus latro careret, vel in ipſa cruce peccauit, & illum peccantem plenus diuino timore ſocius redarguerit, *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Si timuiſſet, non deliquiſſet: nec bonus latro perſtitiſſet fidelis, niſi clauis timoris diuini confixus foret. Crede Baſilio in Pſalm. 33. *Niſi timor inſtituendæ vitæ noſtræ rudimenta iaciat, impoſſibile fuerit caſtitatem ſanctimoniamq́ue legitimè obſeruari. Confige, inquit Dauid, timore tuo carnes meas. Nam quemadmodum qui corporis membra habent*

Dan. 13, 22.
Luc. 23, 40.
Excitatio laborantis.
Pſal. 118, 120.

habent confixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent: sic ij quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant. Accedit & Augustinus in Psalm.118. *Tali timore carnes crucifiguntur, quando carnales delectationes, quæ legis litera vetantur potiùs quàm vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem vsque ad perfectionem, crescente victoria, perimuntur.* De his clauis Iustinianus cap.2. de Sobrietate benè monet. *Non est in hac vita tempus euellendi clauos, de quibus Psalmus,* Psal.118, 120.
Confige clauis à timore tuo carnes meas.

Crux AGRICOLÆ, Crux ægrotantis.

QVis tam fortis ac robustus æger, vt diram mortem non timeat? Fortis ac robustus Abbas Elias erat, & relatus in Apophthegmatis Patrum ait: *Ego tres res timeo: Vnam, quando egressura est anima mea de corpore; aliam, quando occursurus sum Deo; tertiam, quando aduersum me proferenda est sententia.* CHRISTVS ipse, cùm partes infirmi ageret, *cœpit pauere & tædere.* Tædium & pauorem tulit, cùm diceret, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Magnus Arsenius, vt memorat Metaphrastes, mori timebat, rogantibusque discipulis, *Et tu, Pater, times mortem? Reuerà,* inquit, *hic metus, quo nunc me*

Instrumentum artis benè moriendi.

Marc.14, 23.

Matth.26, 41.

videtis affici, numquam omnino à me recessit, ex quo factus sum Monachus. Non derogat sanctitati, quòd vir iustus, more CHRISTI, mortem timeat, & affixus suo lecto martyris AGRICOLAE clauis transfigatur. Transfixus CHRISTVS clauos ipsos dulces omnino reddidit. *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera.* Et quidem ita timet iustus mortem, vt & non paruam suauitatem & dulcedinem experiatur, illam hauriens à crucifixo Rege, qui pendens è cruce crucem & clauos dulces effecit. Habes in cruce Martyrem totum confixum clauis, qui & exemplo suo confirmat, quod iam antè cap.1. dixerat Ecclesiasticus: *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die mortis suæ benedicetur.* Certus & verus hic aphorismus est. Timor diuinus salutaris est medicina, & hæc cum agricultura magnam habet consonantiam. vnde mirum non est, quòd AGRICOLA partes medici è cruce agat. Basilius in Ascet. *Postquam paradiso exules in hanc terram venimus, & sententiam hanc à Deo audiuimus, In sudore vultus tui vescêris pane tuo; per longam experientiam, propter accisum terræ prouentum, agricolandi artem ad solatium molestiæ, quæ est ex terræ maledictione, intellectu cognitionem nobis eius artis largiente Deo, instituimus, ita etiam posteaquam iussi sumus reuerti ad terram de qua sumpti sumus, & dolorosæ carni ad*

Excitatio ægrotantis.

Gen.3,19.

ad corruptionem propter peccatum condemnatæ coniuncti, & ob eam causam passionibus istis subiecti, data est nobis etiam hîc laborantibus ex medendi arte refocillatio, quæ vel aliquò vsque nos recreet. Et quidem in eo posita est ars agriculturæ, vt terram purget, scindat & componat, vt iacta semina recipiat, foueat & fructum ferat: & ars medica circa terram corporis nostri negotiatur, vt illam scissione venarum & purgationum medicamine curet, aptet & ordinet, vt salutarem recipiens cibum homo alatur ac sustentetur. Terra non nisi in patientia fructum producit, nec æger sine tolerantia poterit corpore & animo conualescere.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus, dulce lignum, dulces clauos crucifixus mirabiliter effecit, & ad perpetuam sui recordationem, *memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Dedit se timentibus escam, non vt clauos diuini timoris tolleret, sed vt eos dulces ac suaues redderet. Eapropter qui vel ipsam timent mortem, admonendi seriò sunt, vt sacra se reficiant Eucharistia, cuius ea virtus est, vt cor humanum confirmet, & totum hominem contra mortis impetum firmet.

Virtus Eucharistiæ.

Psal. 110, 4.

Viaticum.

Habet

Habet hic mundus magnam consonantiam cum mari, in quo tres virgines vel potiùs meretrices fingebantur, sirenæ scilicet, quæ illectos nauigantes suo cantu in naufragia traherent. Vna canebat voce, altera tibiis, tertia verò lyra mulcebat auditum. Et ne earum melodia deciperetur, & simul traheretur Vlysses, dum nauigaret, nauis arbori se fortiter alligari permisit. Nauigat in mundo homo, quem vt capiant & deducant in naufragium, cantionibus &
1.Ioan.2, 16. simul incantationibus alliciunt *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ne rapiatur & trahatur ad miseram ruinam, nexibus ac vinculis, quæ secum sacrosancta Hostia defert, alligetur
Ioan.6,57. & vinciatur. Vincit & ligat, qui dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet.* Manet clauis affixus cruci, manet affixus lecto, in quo iturus è mundo, virtute sacri Viatici appetitionibus carnis, oculorum & vitæ humanæ minimè mouetur.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Psal.2,11. CVm dominorum Dominus vnus & solus necessariò Deus sit, omnino timendus est, ac proinde Dauid ait: *Seruite Domino in timore, & exultate*

tate ei cum tremore. Comes martyrij diuinus hic timor eſt, quandoquidem vox illa martyri adſcribitur: *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis trepidauit cor meum.* Adſcribitur, auctore Ambroſio Serm.21. in Pſalm.118. vbi martyrem trepidantem proponit ac repræſentat in hæc verba: *Pone ergo martyrem inter pericula conſtitutum, cùm inde immanitas beſtiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde candentium ſtridor laminarum, & flamma ardentis fornacis exæſtuet, ex parte alia perſonent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus aſſiſtat: pone, inquam, circumſpectantem omnia plena ſuppliciis, deinde cogitantem mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis ærumnam; trepidare corde, ne, dum præſentibus cedat, perpetuis ſe dedat exitiis; trepidare animo, dum futuri iudicij rhomphæam illam terribilem quadam conſpectus ſpecie conſtituetur. Nónne ad hanc trepidationem fiduciæ viri conſtantis æqualis in eumdem concurrit affectum confidentia cupientis æterna, & diuina trepidatio?*

Pſal.118, 161.

Clauis diuini timoris totus confixus Martyr, concupiſcit æterna præmia, coronam gloriæ, & laureolam quæ viris virtute præditis deſtinata eſt. Quòd ſi timere infirmitatis eſt, & infirmis negatur laureola, fortibus conceditur; occurrit ſapienter Ambroſius,

Laureola timoris.

ſius, qui martyris conſtantiam cum eius trepidatione coniungit. Conſtans animo vir timoratus, eſt dignus corona & laureola, qui martyrem clauis confixum exprimit in ſeipſo, & de quo canit Dauid:
Pſal. 111, 1. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius.* Hæc gloria viri timorati eſt cæleſtis remuneratio, cuius conſideratio dulce lignum, dulces clauos efficit. Myſticus Agricola clauis timoris confixus Hilarion erat,
Extrema verba morientis. qui iam moriturus dicebat: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſeruiſti* CHRISTO, *& mortem times?* Quibus in verbis ſpiritum exhalauit.

Prodeant in publicum ſpectaculum ſancti COSMAS & DAMIANVS; in quibus, velut in ſpeculo, ferentis ingratitudinem & morbum forma conſpicitur.

EM-



Arte Machaonia vitæ producere metas
Queis pia cura fuit, quî meruere mori?

EMBLEMATICA IMAGO XX.

SS. COSMÆ ET DAMIANI CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

FRATRES germani COSMAS & DAMIANVS, nobiles Medici, ægrotis ſine ſtipendio ſeruiebant: dominante Diocletiano, rogati de fide, fidei Chriſtianæ cultores ſe eſſe coram Lyſiâ reſponderunt. Quam ob cauſam in mare præcipites acti, & diuinitus liberati, ad palum tandem damnati, lapidibus impetiti, ſagittis transfixi, cæſi gladio, martyrium ſuum abſoluerunt. Venit è cælo CHRISTVS, vt miniſtraret ægrotis, quibus opitulatus gratis, loco mercedis crucem, clauos & lapides benefactor inuenit: *Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Reſpondit eis* IESVS: *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Glorioſum CHRISTI obſequium, quod humanam mercedem nec quærit, nec expectat. Pulchrè Ambroſius lib.1. de Abraham c.3. *Minuit fructum triumphi mercedis ſuſceptio, & beneficij arrodit gratiam. Plurimum enim refert, vtrùm pecuniæ, an gloriæ dimicaueris.*

Antonin. Metaph. Martyrol.

Sympathia Chriſti & Sanctorum Artificum tolerata ingratitudinis.

Ioan. 10, 31.

Alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habitus conseruatoris gloria. Maluerunt itaque martyres COSMAS & DAMIANVS conseruatorum potiùs quàm mercenariorum loco haberi, vt seruatori suo similes per omnia euaderent.

Crux COSMÆ & DAMIANI, Crux obsequij exhibiti ingratis.

Instrumentum artis benè viuendi.

CRucem suam secum humanum obsequium adfert, & exhibitum ingratis, præter crucem, ictus lapidum & sagittarum importat. Qualis sit is qui pro meritis gratiam non refert, definit Ambrosius libro 1. de Officiis cap.31. *Conferre gratiam bonum est, & qui referre nescit, durissimus.* Quòd si loco gratiæ lapides & sagittas simul mittat, summus iste labor est, summa iniuria, nec tamen propterea gratia omittenda est. Pecunia mutua non datur, si refundenda non sit, conferenda tamen gratia, quamuis irremunerata existat. Adhuc, quod amplius est, benefacere oportet homini, licet malum pro bono reddat, Deus enim compensabit. Monet hoc ipsum Augustinus lib. de Verbis Apostoli Serm.22. *Benefecisti homini? ingratus est homo? non te pœniteat benefecisse, ne fundas pœnitendo, quod impleuisti miserando. Dic in corde tuo: Non videt iste in quem feci, videt ille propter quem*

Excitatio laborantis.

quem feci. Hoc eſt militare gloriæ, vt dixerat ante Ambroſius. Militarunt gloriæ fratres COSMAS & DAMIANVS, militauit glorioſus noſter IGNATIVS, qui gratuitum obſequiū ſuum multis ingratis contulit, præcepitque Sociis, *Quæ gratis accepiſtis, gratis date.* Hanc regulam ſibi propriam ſtatuit & conſtituit in Societate, quæ Natalitiis ſanctorum COSMAE & DAMIANI ad maiorem Dei gloriam nata eſt. Matth. 10, 8.

Crux COSMÆ & DAMIANI, Crux ægrotantium.

COSMAS & DAMIANVS de ingrata eorum manu, quorum proſperam ſalutem procurauerant, mortis ſupplicium receperunt, & patienter illud portarunt. Curam ingratorū egiſti, & morbum contraxiſti adeò grauem, vt parua aut nulla ſpes ſalutis affulgeat: ad tolerantiam morbi excitant te COSMAS & DAMIANVS, quibus cura ægrotantium crucem & mortem attulit. Ambidexter vterque eſt, quando non ſolùm corporibus, ſed curandis etiam mentibus operam ſuam impendit, & inſtruit Medicos, quales ſe gerere debeant in curatione infirmorum. COSMAE & DAMIANI inſtar procedebat Euſtachius medicus apud Baſilium, de quo Epiſt. 80. ita legimus: *Eſt quidem omnium veſtrûm officium, quotquot artem*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Excitatio ægrotantis.

artem medendi exercetis, in philanthropia positum. At tibi maximè ambidextra est ista scientia, latioresque tibi ipsi philanthropiæ terminos constituis, dum non medendis dumtaxat corporibus scientiæ istius gratiam adstringis, sed & de animarum languentium restitutione cogitas. Et quidem quemadmodum salus animæ pendet à Deo, & nemo sibi eam adscribere potest; ita etiam valetudo corporalis à Deo prouenit, ac proinde Medici nec debent nec possunt attribuere sibi restitutionem sanitatis. Discant ex vtroque Martyre, vtriusque salutis auctorem Deum ipsum recognoscere. Iudicabant sic faciendum, & instruebant ægros suos vt facerent, COSMAS & DAMIANVS. Caueant ægri, ne illum committant errorem, quem damnat S. Basilius in Ascet. *Propriæ salutis spem in manus ponere Medicorum, irrationale est & absurdum, quod miseris quibusdam accidere videmus, qui Medicos non verentur suos vocare saluatores.* Saluator quidem vnus est CHRISTVS, qui Luc. 21, 19. cunctis laborantibus & ægrotantibus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Hoc fac, & viues.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx gloriosus cùm instituit sacrosanctam Eucharistiam, in ipsius institutione ingratum Iudæ animum expertus est, nec tamen propterea destitit

tit tantum Sacramentum condere, vt cùm eius ſerui indignè compenſari præſtita beneficia ſentirent, recurrerent ad Euchariſtiam, in qua malè remuneratus CHRISTVS ipſe continetur, reficit, ſolatur ac recreat malè remuneratos Chriſtianos, qui poſt eius refectionem humanæ ingratitudinis iugum leue & ſuaue inueniunt, præſertim ægri, qui, vt ingratis benefacerent, grauem ſibi morbum contraxerunt. Et quidem ſacroſancta altaris Hoſtia nominatur & eſt *gratiarum actio*, quam exhibuit Patri Filius, & exhibendam tradidit, ac reliquit, vt quod deerat in homine gratitudinis, ſua ipſe gratitudine suppleret. Hæc autem virtus ſacri Viatici eſt, vt hominis ægrotantis ingratitudini medeatur, ſoluat & compenſet per ſe, quod in homine deſiderabatur. Si quid gratitudinis erga ſe deeſſe cognoſcat infirmus, nouerit compenſare defectum, quem CHRISTVS in ipſo ſacrorum oblatione & communicatione myſteriorum omnino suppleuit. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

REx Martyrum CHRISTVS, quàm ſibi acerba fuerit ingratitudo Iudæ, declarat ipſe Pſalm. 54. *Quoniam ſi inimicus meus*, &c. Hæc paſſio adeò grauis *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.*

Psal.54,3. CHRISTO erat, vt dixerit in eodem Pſalmo: *Contriſtatus ſum in exercitatione mea*, &c. Hoc opus, hic labor confeſſoris CHRISTI eſt, *qui*, teſte Ambroſio Serm.21. in Pſalm.118. *loquatur iuſta, & non audiatur; qui loquatur plena ſalutis, & impugnetur*. Cùm hæc pars magna martyrij ſit, erit etiam cauſa præmij & remunerationis patienti viro, qui diuino ductus obſequio beneficia ingratis confert. Nam, vt Ambroſius declarat, *minuit fructum triumphi mercedis ſuſceptio, & beneficij arrodit gratiam*. Ergo vt maior exiſtat triumphus, maior corona, & laureola fiat illuſtrior, permittit interdum Deus, ne gratia pro impenſa gratia habeatur. Eapropter Eugenius Abbas ſuorum ſaluti conſulens, in puncto mortis ſuæ exhortabatur: *Oro ergo omnes & obſecro, filioli, vt accepta ac tradita Patrum inſtituta in omnibus inuiolabiliter ad gaudium meum, Sanctorumque omnium ac veſtrum, ad palmam victoriæ perducatis.*

Laureola tolerata ingratitudinis.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus VINCENTIVS; in quo, veluti in ſpeculo, fulget imago ferentis carnis paſſiones & morbos.



Nil opus est flammis, occumbam vt victima Christo:
Sat mihi diuino pectus ab igne calet.
21.

EMBLEMATICA IMAGO XXI. S. VINCENTII CRVCIFIXI EXPLICATA.

FERAX Sanctorum patria, quæ Laurentium victorem protulit, & VINCENTIVM martyrem laureatum produxit. VINCENTIVS Diocletiano & Maximiano Impp. ſub Præſide Datiano diuerſa tormenta paſſus, crucis patibulo adiudicatus eſt. Non multò pòſt è cruce iam depoſitus ſe ſubduxit, & vltrò ad crucem rediit, flammiſque ſacra eius latera concremata ſunt. Non poterat auelli à cruce, qui crucem ardenter amabat. Ablatus Martyr è cruce, de mandato Datiani in culcitra molli iacuit; aſſuetuſque glorioſæ crucis deliciis, lectuli floridi pœnas ferre non potuit. Ergo VINCENTIVS molles ac floridas delicias pertæſus, nec ferens mollitiem teneræ culcitræ Datiani, mortem delicioſæ vitæ prætulit, & glorioſè mortuus eſt. S.Ephræm de Patribus agens ait: *Vocem exſpectant quæ ipſos excitet, & inſtar florum ſuauem odorem ſpirantium efflorеſcant.* Floridus moritur, floridus excitabitur VINCENTIVS. Crux, & ſatis grauis, eſt ægro, cùm ciborum faſtidio laborat, ad eſcam capien-

Metaph. Surius. Prudent.

dam compelli : nec parua crux accedit & incumbit cæleſtibus viris diuino amore languentibus , & carnales delicias horrentibus, ſi quando ad illas captandas vi tentationis impellantur. Hæc crux VINCENTII eſt, imò & ipſius CHRISTI, qui *propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem.* Maluit CHRISTVS crucem quàm thronum, maluit VINCENTIVS crucem quàm thorum, maluit cruciatum quàm voluptatem, maluit mori quàm non pati. *Res triſtes,* vt ſcribit Baſilio Gregorius, *quæ ſponte feruntur, coactis deliciis potiores habentur.*

Heb. 12, 3. *Sympathia Chriſti & Vincentij* *Artificum contemptus voluptatis.*

Crux VINCENTII, Crux terrenæ voluptatis.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

VOluptas lenis & blanda , dura & dira crux eſt iis qui ſublimi cælo gaudent , & Deo ſuo recreantur. Arſit in cruce VINCENTIVS, cùm eius latera toſta ſunt, nec non cùm in lectulo molli iacuit: & qui carnis deliciis pulſatur, vtrumque tormentum patitur ; inflammatur cum VINCENTIO, & cum VINCENTIO decumbit. Erat in hoc ſtatu Auguſtinus , cùm inter molles flammas poſitus ac tortus diceret in Meditat. *Sæpè ſine cauſa alicuius vtilitatis cum aliquo loqui incipio , in tentationem incurro , vel vitio curioſitatis ineptæ ſuccumbo, vel malarum cogitationum*

num turpitudinis motus illicitos & impudicos in ipſis interioribus meis ſuſtineo. Væ tantæ infelicitati, tantæ perditioni! Dum enim quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quæ antè ſunt extendere me volo, ſubita, neſcio qua, miſeria relabi ad inania & noxia me conſpicio, & tamquam mors ſubita interueniens, vel quemadmodum canis rabidus, qui nec percuſſus à laceratione hominis ſe non temperat; ita delectatio perforat mentem meam. Non defuit in cruce & lecto VINCENTIO martyri Deus, non defuit Auguſtino patienti, nec deerit tentationes iſtas ſentientibus, ſi tamen mori malint, quàm earum ſuggeſtionibus acquieſcere. Huc pertinet quod Dei Mater lib.4. Reuelat. cap.16. Birgittæ ſignificauit: *Qui omnem voluntatem ſuam committunt Deo, & ſtant reluctantes diſcretè motibus carnis ſuæ, hos quaſi gallina pullos ſubiicit ſibi Deus, faciens eis iugum ſuum leue, & conſolando eos in difficultatibus.* Huc pertinet quod cap.2. de Sobriet. aſſerit Iuſtinianus: *Congruit ſtatui noſtro, vt donec peregrinamur in hac miſeriarum & periculorum valle, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſis faciamus, ſicut Apoſtolus dicit cap.5. ad Galatas: Qui autem ſunt* CHRISTI, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.*

Excitatio laborantis.

Crux

Crux VINCENTII, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

CVm ætas iuuenilis floret, Deus efficere ſolet, vt flos ille iuuentutis infirmitatibus emarceſcat. Præſtat ægro cum VINCENTIO flammas & ardentes febres ſubire, quàm blanditiis & deliciis floridæ iuuentutis perire. Cedat igitur blandus lectus Datiani aſperæ & duræ cruci. Cedat lectulo grauis & moleſtæ infirmitatis delicioſa adoleſcentia. Cuſtodia caſtitatis, ægritudo corporalis eſt, ac proinde pro eius fida cuſtodia gaudebant Sancti ſe morbis & infirmitatibus afflictari. De horum Sanctorum numero vnus, & ſatis notus propter morbos à iuuentute contractos, S. Baſilius eſt, qui plus mœroris in deliciis quàm in morbis eſſe adſtruit, cuius hæc ſententia eſt in Pſalm.33. *Oblectatio humana plus habet ſæpenumerò doloris quàm voluptatis. Deliciæ, & ſatietas, & mollis victus multos ac varios ſecum trahunt morbos, ac afflictionum varia genera.* Ex morbis itaque iuuentutis ſanitas manat, ex adoleſcentiæ deliciis vlceroſus morbus procedit, cùm Serm.146. dixerit Auguſtinus: *Periculoſum vlcus eſt iuuentutis, quod cupiditatibus igneſcit, ſpe tumeſcit, voluptatibus tabeſcit.* Detexit Auguſtinus morbum adoleſcentiæ, qui & morbo pellendus eſt, ſicut & ipſe Serm.1. de Viſitat. in-

firmorum

firmorum oſtendit, & monet: *Certè ſi toto corpore præualeres, infirmitatem medicinalem à Deo debueras omnibus votis expetere, & ne ſanitas corporis infirmitas eſſet animæ, metuere. Nihil aliud ſcio; ſed quia infirmaris, vtiliter debes gaudere; quia iuſta eſt vocatio diuina, debes ei totis niſibus lætus adeſſe.* Adfuit crucifixo VINCENTIO Deus, aderit & crucifero, *qui cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*, deprecabiturque ſuum Regem, vt & ipſe ſibi aſſiſtat: Rex glorioſe, qui propoſito tibi gaudio, paſſionem crucis prætuliſti, ac VINCENTIO præluxiſti, vt crucem ſpinoſam ſibi mallet, quàm floridum Daciani lectum; concede, vt & ego potiùs eligam tecum extremè infirmari, quàm ſine te benè habere atque valere.

Excitatio ægrotantis. Eccli. 38. 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus, qui, propoſito ſibi gaudio, paſſionem crucis tulit ac prætulit, hanc indidit vim venerabili Sacramento, in quo memoria paſſionis eius celebratur, vt quiſquis eius particeps efficiatur, crucem laboris & morbi deliciis carnalibus anteponat. Conſonat Bernardus, dum Serm. de Cœna Domini ait: *Quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum vlceris ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia ſubuenit, & vt ſecuri ſitis, Sacramenti Domi-*

Virtus Euchariſtiæ.

nici Corporis & Sanguinis pretiosi inuestituram habetis. Hæc ſacra inueſtitura cæleſtis omnino eſt. *Panem Angelorum manducauit homo*, vt deſinat eſſe homo, & Angelus eſſe incipiat, cui non officiant, ſed proficiant corporis & animæ febres. Clauus clauo truditur, & carnalis ignis igne hoſtiæ Sacramentalis exſtinguitur, ac proinde, ſic monente & hortante Damaſceno lib.4. fidei Orthodoxæ, *accedamus deſiderio ardenti, manus in Crucis modum formantis crucifixi corpus ſuſcipiamus, & apponentis oculos, & labia, & frontem diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis deſiderij eo ex carbone comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonem vidit Iſaias, carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni: ſic panis Communionis non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati.* Carbo Iſaiæ emundauit eius labia, carbo autem Euchariſticus emundat animam, vt pura degat, & munda è mundo exeat.

Pſal. 77, 25.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

CORONAM clari VINCENTII, & laureolam Laurentij demereri ſibi contendit, qui igne tribulationis, ægritudinis & tentationis probatur & afflictatur. Quiſquis in hoc ſtatu eſt, meminerit

CHRI-

CHRISTI dicentis: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis*. Expectet ſeruus fidelis dominum remuneratorem, dicit enim ſtatim ipſe: *Beati ſerui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi.* Summa hæc felicitas eſt, ſummus honor, in tali menſa diſcumbere, vbi ſeruitium ſeruitio compenſat Deus, coronatique & laureati Laurentius & VINCENTIVS ſedent. *Mortifica ergo corpus tuum, & crucifige, & accipe huius martyrij coronam.* Hæc corona VINCENTII eſt, hæc laurea vincentis Epipodij martyris eſt, qui oblatas ſibi delicias recuſauit, & dixit crudeli tyranno: *Non ita me* CHRISTI *ac fidei Catholicæ armauit affectus, vt ſenſum meum miſericordiæ tuæ figmenta permoueant. Pietas enim iſta crudelitas eſt: vobiſcum viuere, mors eſt æterna. Ceterùm à vobis perire, glorioſum eſt.* Poſt hæc Martyr glorioſus purus & mundus obiit. Myſticus certè VINCENTIVS Vrſinus presbyter erat, de quo Gregorius lib.4.Dialogor. cap.11. Hic ergo venerabilis Presbyter, cùm longam vitæ impleſſet ætatem, anno quadrageſimo ordina-

Luc.12, 35.

Luc.12, 37.

Laureola victa voluptatis.

Extrema verba morientis.

tionis ſuæ inardeſcente grauiter febre correptus, ad extrema deductus eſt. Sed cùm eum presbytera ſua conſpiceret, ſolutis iam membris, quaſi in morte diſtentum, ſi quod adhuc ei vitale ſpiramen ineſſet, naribus eius appoſita curauit aure dignoſcere. Quod ille ſentiens, cui tenuiſſimus erat flatus, quantulo adniſu valuit vt loqui potuiſſet, inferueſcente ſpiritu collegit vocem, atque erupit, dicens: *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.*

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus ALEXANDER; in quo, veluti in ſpeculo, conſpicitur forma euiſcerationis & infirmitatis.

EM-



Improbe cur imas animæ ſcrutare latebras?
22. *Quanta ſit hæc, durâ certior eſto cruce.*

EMBLEMATICA IMAGO XXII.

ALEXANDRI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS ALEXANDER martyr ſub Antonino Vero fuſtibus cæſus, donec eius viſcera diffluerent, pænè iam euiſceratus palo crucis affixus eſt. Retulit in cruce CHRISTVM, qui tempore paſſionis ſuæ viſcera charitatis ſuæ profudit. *In finem dilexit eos.* Poſt CHRISTI obitum ſacrum eius latus punctum ac perforatum eſt, & interna præcordia patuerunt, & ſimul apparuerunt exemplaria, ad quorum imitationem ALEXANDER crucifixus viſcera ſua effunderet, vt gratam de ſe victimam Deo ſacraret. Carpens auaritiam, & in auaros inuehens Eccleſiaſticus cap.10,9. ait: *Auaro nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbit terra & cinis? Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Quod vitioſum in auaro eſt, honeſtum in ALEXANDRO, quo patiente nihil melius. Cùm terra & cinis ſit, ſanctè & altè ſic ſe effert, vt crucifixo ſimilis eſſe affectet. Nihil æquius, quàm pretioſam crucem amare: hic enim & animam Deo ipſi

Beda. Vſuard. Aſto.

Ioan.13,1.

Sympathia Chriſti & Alexandri Artificum euiſcerationis.

ipſi venalem habet, quoniam in vita ſua effudit viſcera ſua, vt de præcordiis ſuis oblationem arduam & ſublimem, operoſam & laborioſam conficiat. CHRISTVS & ALEXANDER ara crucis vſi ſunt, vt in ea præcordia ſua litarent. Omnes igitur qui portatis crucem CHRISTI, *effundite coram illo corda veſtra,* vt gratum & acceptum Deo ſacrificium immoletis. (Pſal.61,9.)

Crux ALEXANDRI, Crux euiſcerationis.

Inſtrumentum artis benè viuendi. Prou.23,26. Pſal.107,2.

DEus maieſtatis rogat: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Quis ergo tam excors ſit, vt non occurrat roganti, & petenti non reſpondeat: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum,* addens deinde, *Quoniam ego in flagella paratus ſum?* Multi Deo offerunt præcordia ſua, ſed an vera eorum immolatio ſit, laborioſa crux probare debet. Ecce ALEXANDER euiſceratus in crucem agitur, & in cruce oſtendit, veram & non fictam eſſe cordis donationem & oblationem. Ad crucem per emblema erectæ ſcalæ apponuntur & appinguntur, vt qui Deo cor obtulerit, animosè in crucem aſcendat, & veraciter oſtendat, quàm certa ac vera ſit interna ſuiipſius immolatio. Oſtendit ſancta Catharina Senenſis, dum Orat.13. clamaret: *O reſurrectio noſtra, alta & æterna Trinitas, euiſcera animam meam!* (*Excitatio laborantis.*)

Crux

Crux ALEXANDRI, Crux ægrotantis.

SI facultas ægro non datur vt fundat vocales preces, præ oculis constituat sibi ALEXANDRVM, cuius viscera effusa sunt, & CHRISTO simul oblata. Lecto doloris affixus, cor suum sacrificet Deo. Dauid, cùm labiis orare posset, dicebat, *Tribulationem meam ante ipsum pronuntio*; cùm nequiret, corde solùm vtebatur, *Tibi dixit cor meum*, & audiebatur. Benè Augustinus in Psalm.124. *Quia cor quærit Deus, cor inspicit: intus testis est iudex, comprobator, adiutor, coronator. Sufficit vt offeras voluntatem, & cùm potes, ore confitearis ad salutem. Cùm autem non potes ore, corde credis ad iustitiam, corde laudas, corde benedicis, corde in ara conscientiæ victimas sacras imponis.* Quas vt præbeat æger, *cor suum dabit in similitudinem picturæ*, & ita adscendet in lectum, quasi crucem ascendat. Nemo crucem CHRISTI scandit nisi per scalam patientiæ, scalæ instar habet gradus tolerantia, per quas ALEXANDER, & similes ALEXANDRO ægri ascensus suos componunt, vt patienti se CHRISTO iungant, cuius cor in cruce patuit, & ex eo aqua & sanguis simul promanarunt. Sanguis ille semen Martyrum extitit, & etiam Confessorum Christianorum, qui patientes morbos & ægritudines cor-

Instrumentum artis benè moriendi.

Psal.141, 3.

Psal.26,8.

Excitatio ægrotantis.

Eccli.38, 28.

porum, imitatores Martyrum euaſerunt. Quòd ſi accidat, vt æger difficultatem patiatur in detegendo corporis morbo quo laborat, conſideret apud ſe, quid acciderit ALEXANDRO, quando ſecreta præcordia propter amorem CHRISTI patuerunt, & conſideratione eius martyrij conetur pudorem ponere, imò & vincere, cùm oportet, in qua quidem victoria multum ſolet eſſe difficultatis iis, quibus innata verecundia eſt. Tunc glorioſior, cùm pro animæ ſalute quidquid intus in corde habet, effundit in confeſſione, quam morti vicinus facit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Euchariſtia. REx glorioſus, cuius in cruce cor patuit, viſcera amoris ſui aperuit, & effudit in Euchariſtia, qua dignus ille eſt qui nouerit cordis ſui penetralia examinare, & in confeſſione Sacramentali explicare, cùm dicat Apoſtolus: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* (1. Cor. 11, 28.) Edat de pane altaris, in quo non ſolùm CHRISTVS aperit viſcera ſua, ſed aperta clauibus confeſſionis præcordia mirabiliter recreat. Vnde & communicans dicit: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* (Pſal. 83, 3.) Habet ars medica certa quædam in apotheca remedia, quorum vſu per violentiam renitentes intus humores foras attrahat;

attrahat; ars verò ſanctæ Crucis inuenit & dedit Confeſſionis Sacramentum, cuius virtus nec torquet nec extorquet viſcera, ſed ſponte ac voluntariè aperit & reſerat. Vnde monetur vnuſquiſque noſtrûm: *Probet autem ſeipſum homo*; & omnibus ſuadetur, *Effundite coram illo corda veſtra.* Psal.61,9. Cùm vltimum vale dicunt, ſolent homines notis & amicis ſua ſecreta detegere, & quamuis viri Chriſtiani, ſani & incolumes ſua corda aperuerint in Confeſſione, tunc maximè id præſtent, cùm extremum vale dicunt, & ſacrum accepturi ſunt Viaticum. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

CRux euiſcerationis, qua ſeipſum immolat Deo, martyrium ſecum importat. Auctore Iſidoro lib.7. Originum cap.11. *Duo ſunt martyrij genera, vnum in aperta paſſione, alterum in occulta animi virtute.* *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.* Talis eſt qui tanto eſt animo præditus, vt quod intus in corde habet, effundat exteriùs, & commiſſa ſua Deo & eius Vicario aperiat. Rubet cruore martyrium, rubet & roſeo ſanguine vultus verecunda confeſſio, vt & ipſa martyrium colore, præmio, & remuneratione referat & æmuletur.

Pulchrum monitum Eccleſiaſtici: *Pro anima tua ne* Eccli.4,24.

ne confundaris dicere verum. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam. Euiſcerata confeſſio, & veræ pœnitentiæ erubeſcentia atque confuſio glorioſam ſecum adducit coronam vitæ. Quapropter Pacianus agens de Pœnitentia & confeſſione, inquit: *Deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Peccator erubeſcat perpetuam vitam præſenti pudore mercari?* Nec ſolùm dignus eſt corona gloriæ, qui ſic aperit præcordia ſua, ſed etiam laureola triumphatoris, cùm S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Baptiſmo, idem argumentum vertat in eius elogium, qui detegit conſcientiam ſuam: *Hoc quoque ſempiterni illius ſupplicij pars eſt, atque perſpicuum facies, te ſeriò atque ex animo peccatum odiſſe, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, deque eo triumphum agis.* De tanto hoſte triumphus dignus palma, dignus laureola eſt. Hunc eumdem celebrem triumphum agens de peccato Leo Martyr, morti vicinus dicebat: *Lætor iis, quæ facta ſunt, nempe quòd pro meis prioribus peccatis nouum Viaticum accipio martyrium.*

Laureola victi pudoris.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus THEODORVS Dux; in quo, veluti in ſpeculo, carentis ſuperiore & laborantis capite forma conſpicitur.

EM-



Funereas agedum lunate in vulnera taxos;
23. *Dummodo de patulo vulnere vita fluat.*

EMBLEMATICA IMAGO XXIII.

S. THEODORI DVCIS CRVCIFIXI EXPLICATA.



ANCTVS THEODORVS Dux & martyr fub Licinio Imperatore, delatus quòd pauperibus fracta idola diftribuiffet, elatus in crucem, fagittis transfixus, capite tandem truncatus in cælum receptus eft. THEODORVS crucifixus pro CHRISTO, & pro CHRISTO capite plexus, ornamentum fuum amifit, vt ab eodem CHRISTO in cæleftibus ornaretur. Quò maior ornamenti iactura in terris, eò maior ornatus in cælis eft. Pertinet huc quod Serm.20. in Pfalm.118. de capitis portione affirmat Ambrofius: *Caput eft, vt formam generis humani confideremus, quod fouet membra omnia, & dirigit, atque implet fenfibus; fenfus enim fapientis in capite eft. Inde ductus venarum, meatufque fpiritus, fanguinis vires, & totius corporis partes deriuantur. Luftrat omnia, ornat omnia. Sublato capite corpus fine nomine eft, non agnofcitur, nec vlla fupereft vfura viuendi. Propterea, qui in aliquo damnantur crimine, eò quòd ornamentum eft totius corporis, capite abdicatur.* Miferum fine capite corpus, totum informe, totum indecorum

Metaph. Nicephor. Martyrol.

Eccleſ.2, 14.

decorum eſt. Magna & ſumma miſeria, ingens labor, cùm corpus Reipublicæ, exercitus, & etiam domus ſine capite eſt, ac truncum è cruce priuatum regimine pendet. Hunc eumdem laborem Eccleſia experta eſt, cùm CHRISTVS eius ſponſus defecit, cuius defectum plorans & lamentans Ieremias, clamabat: *Recordare Domine, quid acciderit nobis, intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Hereditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos. Pupilli facti ſumus abſque patre, matres noſtræ quaſi viduæ.* concludit: *Cecidit corona capitis noſtri.*

Sympathia crucis Eccleſiæ & Theodori Artificum patientiæ in iactura ſuperioris. Thren. 5, 1.

Crux THEODORI, Crux amiſſi capitis regentis.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

CORpus, ſi capite careat, cunctis opprobriis exponitur: ſic expoſita ſine viro mulier, ſine Duce exercitus, ſine Principe Reſpublica, quibus omnibus dira ac dura crux iſta eſt. Quam ob rem ſeptem illæ mulieres Rempublicam Hebræorum adumbrantes, nec pares crucem ferendo, apprehenderunt virum vnum, atque dixerunt: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodò inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Hoc idem periculum, hoc diſcrimen imminere ſolet Reipublicæ, cùm Princeps officio ſuo non vacat, guber-

Iſai. 4, 1.

gubernationem deſerit, ac publica negotia quaſi aliena omittit, arma non attendit, nec curat. Clamat populus, nec Princeps audit. Clamores verò populi Deus non reſpuit, prouidebit de capite, totumq́ue Reipublicæ corpus, ne pereat, ipſe ſeruabit. Et quidem THEODORVS Dux, & qui ſimilis illi eſt, non carent optimo capite, ſi Deum apud ſe habent, quemadmodum de recta viuendi ratione monet Ephræm: *Quemadmodum inter corporis tui membra nullum eſt tibi præſtantius capite, & ſiue lapide, ſiue claua, ſiue etiam gladio petaris, reliqua tui corporis membra obiicis, vt ictum à capite repellas, certò ſciens te abſque illo non poſſe viuere; ita rebus tibi anteponenda eſt omnibus fides ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, quòd ſine ea vitam, quæ verè vita ſit, viuere nemo queat.* *Excitatio laborantis.*

Crux THEODORI, Crux ægrotantis.

HVmana vita ſpecies militiæ eſt, in qua ducatum ſuum gerit caput, quod imperat, ordinat & diſponit ceterorum aciem membrorum. Quòd ſi ingruente & ſimul ſæuiente infirmitate, ſuo officio & ſimul functionibus caput priuetur, corpus totum quaſi truncum eſt: lecto affixum, ictibuſq́ue dolorum transfixum refert Ducis THEODORI corpus, quod truncum capite in cruce apparet. *Inſtrumentum artis benè moriendi.*

Cùm caput ſuis functionibus caret, iam deſiit eſſe, roganduſque corde CHRISTVS, vt vices capitis gerat. Dicat æger: Rex glorioſe, qui caput omnium gentium es, adeſto mihi ægrotanti, vt qui functionibus capitis ſum omnino deſtitutus, à te, qui meum caput es, non deſtituar, ſed inſtituar, quo pacto corpus infirmum regere ac moderari valeam. Ergo, cui forma huius regiminis deſit, quæ in capite conſtituta eſt, *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ,* & eam ſibi formam reſumet, & loco capitis ſubſtituet, quam aſſignat Ambroſius lib. 1. de Iacob & vita beata, cap. 8. *Illam formam iuſti quis abnuat, vt nihil metuat, nihil reformidet, niſi virtutis diſpendia, aliorumque vanas formidines comprimat, quas habeat è periculorum ſollicitudine, mortis timore, corporis infirmitate, vt doceat diſſolui in corpore, & cum* CHRISTO *eſſe melius, vt oſtendat, quia merita non impediuntur debilitatibus corporis, ſed augentur.* Augentur capitis ipſius diminutione, ſi tamen non minuatur, ſed potiùs creſcat patientia, in qua ſalus & vita animarum ſita eſt, dicente CHRISTO: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Serpens, cuius tota vita pendet à ſuo capite, illud omnibus modis ſeruat, & reliquum corpus periculis opponit & obiicit; patiens verò ægrotus, cùm non tam à capite quàm à virtute patientiæ pendere

Eccli. 38, 28.

Luc. 21, 19.

dere ſciat ſalutem ſuam, more THEODORI, non capitis, ſed patientiæ potiùs ſedulam curam habeat. Nihil metuat, nihil reformidet niſi virtutis diſpendia. Cùm è duobus vnum amittere debeat quis, vel caput corporis, vel virtutis ac patientiæ iacturam facere, præſtat caput amittere, quàm virtutem perdere patientiæ, quandoquidem ſine capite vita animæ ſtare poteſt, ſine patientia verò ſtare nequit, cùm dixerit CHRISTVS: *Jn patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Luc. 21, 19.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus, qui caput eſt corporis Eccleſiæ ſuæ, defecit in paſſione ſua, cuius memoria recolitur in Euchariſtia, & in ea deſtitutis capite ſubuenit. Nec ſolùm Sacramentum condidit, vt mœſtos de abſentia ſui conſolaretur, ſed etiam triſtes de amiſſione chari ſui ſuperioris recrearet. Quiſquis boni ſui rectoris iacturam fecit, reficiat ſe venerabili Sacramento, & ſemel refectus dicet: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Siue caput politicum deſit, ſiue naturale caput deficiat, cuius regimine corpus gubernatur & adminiſtratur, nihil refert, ſi ſacra Hoſtia ſumatur, qua dignè ſumpta, viuimus in CHRISTO,

Virtus Euchariſtiæ.

Pſal. 22, 1.

mouemur & ſumus. Viuimus, ne vmquam pereamus; mouemur, ne vmquam deficiamus; ſumus, ne vmquam emoriamur. Quòd ſi agamus iam animam, & omne ſubſidium deficiat, quod nobis noſtrarum rectores animarum ſubminiſtrabant, & ſenſus omnis, qui reſidet in capite, deſit, nihil nobis deerit, cùm adſit Deus, quem, Viaticum ſumendo, accepimus, & capitis loco illum elegimus, vt nos difficili mortis hora, qua ceſſat humanum penitus gubernaculum, ipſe nos regat, ipſe nos gubernet. Hinc pulchrè S. Dionyſius ſacram hanc communionem & ſynaxim *Sacramentum Sacramentorum*, & ſpiritale noſtrum *caput* appellat, dicens: *Ceterorum Hierarchicorum ſymbolorum participationibus ex diuinis huius perfectiuiſque muneribus accedere conſummationem.* Et paulò pòſt ibidem ait: *Finis autem omnium eſt, & caput, cùm eum qui initiatur, præcipuorum Dei myſteriorum participem efficiat.*

Viaticum.

Eccl. Hierarch. c. 3. Parte 1.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Coloſ. 1, 18.

CApitis myſtici ablatio tolerata propter Deum, ſecum martyrium affert. Haud dubiè CHRISTVS (de quo teſtatur Apoſtolus, *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*) cùm ſacra præſentia moriens Eccleſiam ſuam

ſuam priuauit, martyrio illam addixit. Eapropter, cùm totius Eccleſiæ forma virgo MARIA foret, ex ſancta Crucis paſſione euaſit Regina martyrum, ſic & ipſe CHRISTVS glorioſus Rex Martyrum extitit. Corpori itaque myſtico myſtici capitis amiſſio ſimilis martyrio eſt, & idcircò cùm populus Turonenſis priuandus eſſet Præſule ſuo Martino, dixerunt diſcipuli: *Cur nos, pater, deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces.* Inuadent lupi, gregem tuum mactabunt, & diro martyrio afficient.

Cùm caput myſticum Eccleſiæ Eccleſiam ſuam reliquit, vt de mundo ad Deum Patrem tranſiret, & in cælum aſcenderet, magna fuit occaſio gaudendi, cùm dixerit ipſe: *Vado parare vobis locum.* Locum cæleſtem parauit, coronas & corollas adaptauit. Magna fuit cauſa gaudendi, cùm Serm.1. de Aſcenſ. annuntiauerit Leo: *Quia igitur* CHRISTI *aſcenſio, noſtra eſt prouectio, & quò proceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis: dignis, dilectiſſimi, exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non ſolùm paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cælorum in* CHRISTO *ſuperna penetrauimus.* Magna hæc conſolatio eſt, cùm ſanctum moritur caput, Princeps, aut paſtor in regnum cælorum vocatur;

Ioan.14,2.

vt in eius prouectione, & ſimul coronatione corpus myſticum, quod in terris deſerit, aſſumatur ſurſum in ipſo, & in ipſo tamquam in ſuo capite coronam gloriæ recipiat. Ergo, vt ceteri commilitones ſequerentur Ducem ſuum, proximus morti THEODORVS in hæc verba illos monuit: *Fratres, ne ſuccenſeatis Licinio, eſt enim miniſter patris ſui diaboli, & me de cetero oportet ire ad Dominum meum.* Deinde cruce ſacra ſe obſignauit, & plexus capite, victoriam martyrij ſui conſummauit.

Laureola iactura tolerata ſuperioritatis.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus THEODORVS miles; in quo, veluti in ſpeculo, ferentis CHRISTI militiam & morbi malitiam forma conſpicitur.

EM-



Nunc Gradiue vale, tibi bellica cingula pono:
24. *Virtutis cotem crux mihi chara dabit.*

EMBLEMATICA IMAGO XXIV. S. THEODORI MILITIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS THEODORVS miles apud Pergen in Pamphilia, Antonino Imperatore, Præside Theodoto, pro tuenda veritate cruci suffixus est. Totus in armis, totus fortis de carnis imbecillitate triumphauit. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium* CHRISTI. Natura nostra genuit infirmos & inermes homines, gratia verò virtutibus armatos ac munitos generat. Quid aliud virtutes nostræ sunt, quàm animæ nostræ arma? Armatus miles in crucem THEODORVS ascendit fide, charitate, virtutibusque munitus, vt in patibulo crucis cum morte ipsa confligeret. Conflixit & in cruce CHRISTVS: *Mors & vita duello conflixere mirando*, munitusque sua diuinitate, & armis virtutum ornatus, duellum pariter & triumphum egit. Commendatur à CHRISTO ipso cælestis Angelus apud Birgittam lib. 1. cap. 36. quòd

Metaph. Nicephor. Martyrol.

2. Cor. 10. 4.

Sympathia Christi & Theodori

Artificum militiæ nostræ.

ſemper armatus cauſam animarum egerit. *Tu es quaſi miles Domini, qui numquam depoſuit galeam ſuam propter tædium, & qui præ timore numquam diuertit oculos ſuos à prælijs.* Commendetur & THEODORVS, qui vixit ſemper in armis, & in armis obiit, ſe ipſum vincens, & calcans ſuæ carnis imbecillitatem pariter & infirmitatem. Commendetur miles CHRISTI, de quo Bernardus Serm. 61. in Cantic. *Vult bonus dux deuoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerantiam fortiorem.*

Crux THEODORI militis, Crux militiæ Chriſtianæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

LAborioſa militia eſt, quæ milites ſuos ſemper vigiles, ſemper armatos requirit. Hæc eſt militia Chriſtiana, in qua promulgatum eſt, *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Memor officij ſui, & memores nos omnes reddens Bernardus, loquitur in hæc verba Serm. 2. de S. Andrea: *Nos miſeri & miſerabiles vicinis tot ſerpentibus, & igneis telis vndique volantibus, inſurgentibus inimicis; nihilominùs pernicioſa ſecuritate, & negligentia dormitamus, torpentes otio, vanitatibus & ſcurrilitatibus*

1. Pet. 5, 8.

rilitatibus indulgemus, pigri ad ſpiritalia exercitia, ac ſi iam pax ſit & ſecuritas, & non ſit militia hominis ſuper terram. Concludit: *Propterea obſecro vos, dilectiſſimi, ipſa nos excitet hoſtium malitia peruigil, & inſtantia eorum maligna, qua tam ſeduli tam ſolliciti ſunt in noſtram perditionem, nos quoque ſollicitos faciat & circumſpectos, vt in timore & tremore noſtrorum ipſorum ſalutem operemur. Ecce enim in cruce ſalus noſtra tantùm, vt ei viriliter inhæreamus.* Viriliter inhæret ſuæ cruci armatus THEODORVS, & ſimilis THEODORO Chriſtianus, qui crucifer CHRISTI, & CHRISTO totus armatus, viuens & moriens carnis infirmitatem peſſumdat & calcat, dicitque: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Myſticum THEODORVM armis omnibus munitum deſcribit Iuſtinianus lib.1. de Inter. conflict. cap.7. & agens de galeâ dicit: CHRISTVS *caput tuum veluti ſpiritualis galea ſalutis ab inimicorum protegat iaculis. Hac quippe galea ſi fueris decenter ornatus, corporis animæque tuæ cuſtodies ſenſus, non poterit mors habere ingreſſum, vbi vita ſuum collocauerit domicilium.* Cum hoc eodem loquitur S.Ephræm agens de agone ſpirituali: *Cupis in agone ac luctamine decertare? Indue te armaturâ Dei, ſicut veſtimento. Indue te virtutibus animæ, caue exuas.*

Excitatio laborantis.

Phil.4,13.

Crux THEODORI, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

DVrus ac dirus mortis conflictus expectat nos omnes: aut vincendi à morte ſumus, aut mortem victuri. Si velimus eſſe victores, curemus ne inermes & nudos nos vltima hora deprehendat, vltimus finis reperiat, mors inueniat. Quòd ſi THEODORVS miles non niſi munitus & cinctus internis potiùs quàm externis armis, cum morte certamen iniit, quis audeat lectum doloris aſcendere, & cum morte manus conſerere, niſi totum prius ſe ſpiritualiter communierit? Chriſtianum militem æger in lecto ſe præbeat, & quidem militem agebat Iobus, in cuius elogium Ambroſius cap. 1. de Secunda interpellat. Dauidis aſſerit: *Quaſi athleta fortis in ſtercore ſedens, in tantis vibicibus, & ſæuis doloribus vulneris, totum corpus diris perfuſus vlceribus myſticè loquebatur, nec acquirendis propriis remediis ægritudinis, ſed ſacris vacabat ſermonibus. Fortiores itaque ſermones ægri hominis, quàm illorum qui non ægrotabant.* Quanta ſit hæc ſæuientis morbi militia, vel ex hoc intelligi poteſt, quod in Pſalm. 5. dicit S. Chryſoſtomus: *Morbi tempore huius maximè pugnæ tempus eſt, quando dolores vndique perturbant animum, quando triſtitiæ obſident, quando adeſt diabolus incitans, vt acerbum aliquod verbum dicamus.*

camus. Incitat diabolus, vt acerbum verbum proferamus in Deum, qui nobis infirmitates immittit; in homines, qui nobis ægrotantibus aſſiſtunt. CHRISTVS econtrà nos excitat ad tolerantiam, ſuadet vt gratias agamus Deo, qui noſtrorum eſt auctor morborum, patientiâ nos componit & armat, vt victoriam de diabolo reportemus. Excitat quoque nos, vt & aſſiſtentibus gratos nos exhibeamus, & cupiamus benefactoribus noſtris officia accepta rependere & compenſare. Hæc lex militiæ Chriſtianæ eſt, vt, qui nobis in lecto aſſiſtunt, gratitudinem noſtram ſentiant & experiantur, quemadmodum CHRISTO aſſiſtentes in cruce Mater, Ioannes & bonus Latro, eius beneficentiam experimento didicerunt. Nec vnus perſecutorum, nec tortorum acerbum aliquod verbum à CHRISTO iam cruci affixo excepit. Tunc maximè apparuit benignus, cùm humana crudelitas magis in eum ſæuiebat. Ergo vt per omnia militem THEODORVM referamus, *præbeamus nos veluti milites ſtrenuos pro Rege noſtro promptè alacriterque mortem appetentes*, quemadmodum hortatur agens de Patientia & Pœnitentia Ephræm.

Excitatio ægrotantis.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx glorioſus, qui non venit pacem mittere, ſed gladium, & prodiens in campum cum morte ipſa digladiatus eſt, prouidit de militari annona Euchariſtiæ, vt qui eius caſtra ſequuntur, tanti Sacramenti virtute ferre labores militares queant. Gratum & fauſtum nuntium ſanis & ægris, qui in caſtris CHRISTI verſantur, vt ſe Euchariſtia reficiant, & nouas vires acquirant, quales in vltima in- *Viaticum.* firmitate poſt ſumptum Viaticum D. Franciſcus acquiſiuit, & non multò pòſt, militariter loquendo, *Pſal. 141, 8.* *Educ de cuſtodia animam meam*, ſanctam animam exhalauit. Hæc ſacra Hoſtia, hæc militaris annona extra ſanctæ Eccleſiæ caſtra nec inuenitur, nec datur. Conceditur Chriſtiano militi, qui viuit ſemper armatus; nec arma ſua deponit, niſi deponat vitam, & tunc porrigitur in Viaticum ſacer panis munitionis, quo munitur contra mortem, & vallatur contra hoſtem.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi. SAcrum ſuum martyrium CHRISTVS vocauit *Luc. 12, 50.* *Baptiſmum.* ait enim: *Baptiſmo habeo baptizari, &*

quomodo

quomodo coarctor vsque dum perficiatur? Hinc ortum & originem habuit, vt sacrum Confessorum martyrium *Baptismus sanguinis* appellaretur. Christianus miles sanctæ se militiæ adscribit, & castris CHRISTI tunc assistit, cùm tingitur aqua lustrali, cuius lauacrum miram habet consonantiam cum sacrosancto martyrio. non enim solùm titulo & nomine, sed re ipsa martyrium nominatur Baptismus, & est. Eapropter professori artis militiæ Christianæ Homil. de Machabæis dicit Leo: *Renuntia voluptati, auertere ab immunditia, pelle luxuriam, & cùm videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator Martyrum numerosam quære victoriam.*

Cùm homo militiæ adscribitur per Baptismum, admittitur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. 28, 19.
in quarum visione diuinarum personarum corona gloriæ consistit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* Marc. 16, 16.
saluus erit: sed ita saluus fiat, vt candidato numero Martyrum aggregetur, sicut aggregata Paula Romana est, de cuius morte dolentem atque lugentem consolatur filiam D. Hieronymus in hæc verba: *Secura esto, Eustochium, magna hereditate ditata es. Pars tua Dominus, & quò magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est.* Hæc Paula, & Paulus necdum *Laureola militia nostra.*
à Nerone adiudicatus morti, sibi martyrij laureo-

lam

lam promittebat, cùm miles iam emeritus assereret:
2.Tim.4,8. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Magnum certamen morientis, cuius extremo agoni corona iustitiæ respondet. vnde & agonizans, & cum morte simul luctans Antoninus Florentinus diuinum implorat auxilium:
Psal. 37. 69. *Deus in adiutorium meum intende*: & præ oculis coronam iustitiæ habens subiungit, *Seruire Deo, regnare est.*
Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum spectaculum sancti MARCVS, MARCIANVS, & SOCII; in quibus, velut in speculo, constantiæ in labore & morbo forma conspicitur.

EM-



Crux mentem haud ſatiat; variant tormenta Tyranni.
25. *Quidlibet ut varient, Crux tamen iſtud erit.*

EMBLEMATICA IMAGO XXV.

SS. MARCI, MARCIANI, ET SOCIOR.

CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

SANCTI Martyres MARCVS & MARCIANVS ſanguine & ſpiritu fratres, cum Sociis, imperante Maximiano, variis ſunt affecti ſuppliciis; vna pars addicta flammis, altera in mare præcipitata, nonnulli capite plexi, MARCVS & MARCIANVS recto corpore crucifixi, inuerſo capite alij crucibus adacti ſunt. Martyres ſiue recto ſiue inuerſo corpore cruci inhæreant, ſemper ſtant: quoniam ad CHRISTI formam & ſimilitudinem crucifiguntur. Neſcit patientia ruinam, crux CHRISTI caſum ignorat: cruci affixus ſemper ſtat, ſtatumque ſuum vir patiens ſemper conſeruat. Conſonat his S. Bonauentura dicens: *Seruum Dei crux defendit, comprehendit & oſtendit vitam rectitudinis.* Quos nos habemus antipodas corpore inuerſo primo aſpectu, primo iudicio cenſemus; ſed cùm res ſe aliter habeat, & reipſa nobiſcum ſtent, in prima illa cenſura planè noſtra mens lapſa eſt: omnes quidem recti ſtamus, quoniam in

Euſeb. Martyrol.

Sympathia Chriſti crucifixi & crucifixorum Artificum conſtantia.

vno eodemq́ue terræ globo verſamur, & cæleſtem orbem eodem modo ſpectamus. Cernimus ſtantes ac rectos MARCVM & MARCIANVM, Socioſq́ue inuerſos in effigie contemplamur, ſed Martyres omnes recti reipſa ſunt, vel ex eo maximè, quòd vnam & eamdem IESV CHRISTI crucem ferunt, & eumdem crucifixum reſpiciunt atque ſectantur. *Sic ſtate in Domino, chariſſimi.* Iterùm Paulus 1. Corinth. 15. *Stabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Accedit & Auguſtinus Serm. de Decoll. Ioan. *Si procella tempeſtatum fremuerit, ſtabiles eſtote in Domino. Nolite ab ipſo cadere, qui ſemper ſtat, & pugnantem exſpectat, & adiuuat nos, vt ſtando & pugnando vincamus, & tunc demum coronandi veniamus.*

Phil. 4, 1.

Crux MARCI, MARCIANI, & Sociorum, Crux magnæ conſtantiæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

ARdua res eſt ſtatum hominis mutari, & hominem non mutari; res difficilis, ſurſum ac deorſum omnia verti, & hominem ſemper ſtare, ſibi conſtare ac non peruerti. Confirmat Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 38. *Quid tam difficile, quàm deſpicere tamquam ex arce ſapientiæ opes, aliáque omnia quæ pleriſque videntur magna & præcelſa? Deinde, vt iudicium*

tuum ſtabili ratione confirmes, & quæ iudicaueris leuia, tamquam nihil profutura contemnas? Deinde, vt ſi quid acciderit aduerſi, idque graue & acerbum putetur, ita feras, vt nihil præter naturam accidiſſe putes, cùm legeris, Nudus ſum natus, nudus exibo, quæ Dominus dedit, abſtulit. Et vtique filios amiſerat & facultates. Serueſque in omnibus perſonam ſapientis & iuſti, ſicut ille ſeruauit, qui ait: Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Confirmat quoque Auguſtinus in Pſal. 86. *Attendite ſimilitudinem quadrati lapidis; ſimilis debet eſſe Chriſtianus: non cadit; & ſi impellitur, & quaſi euertitur, non cadit, nam quacumque quadratum lapidem verteris, ſtat. Sic ergo conquadramini ad omnes tentationes, parati quidquid impulerit vos non euertat. Stantem te inueniat omnis caſus. Fortis*, vt ait Cyrillus in Leuitic. lib. 12. *omnia tolerat, omnia ſuffert, & numquam cadit.* Huc pertinet quod lib. de Prouidentia vel Ethnicus Seneca docuit: *Non video quid habeat in terris Iupiter, ſi conuertere animum velit, quàm vt ſpectet Catonem, iam partibus non ſemel fractis ſtantem, nihilominùs inter ruinas publicas rectum.* Accedit Baſilius Epiſt. 166. *Etenim qui animo ſunt inconſtanti, illis haud immeritò & vita eſt inconſtans; quibus verò animi ſententia eſt ſolida, ſemper conſtans ac eadem, conſentaneum eſt iſtos vitam agere ſimili propoſito congruentem.*

Iob 1,21.

Iob 1,22.

Excitatio laborantis.

Crux Marci, Marciani, & Sociorum, Crux ægrotantium.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Corpus, quod variis rerum mutationibus, temporumque varietatibus non cedit, idem ac ſibi ſimile validum perſeuerat: anima quoque, quæ modò has modò illas patitur in carne ſua infirmitates, & inter diuerſas viciſſitudines morborum eadem ſemper manet, nec deiicitur, ſed ſemper firma ſtat, benè habet, licet corpore non valeat, ſicut de ſeipſo cenſuit Auguſtinus Epiſt.149. quam iacens in lecto ſcripſit: *Quoniam & Domino placet, quid aliud dicendum eſt, niſi quia rectè ſumus.* Conſonat Auguſtino Baſilius, & ipſe æger, Epiſt.60. *Ne igitur ad decertandos pietatis agones defatigemur, neque per deſperationem, quæ iam decertata ſunt, amittamus (non enim vno actu fortitudinis, neque modico quodam labore conſtantis animi ſpecimen datur; ſed quia corda noſtra probat, longa nos ad prorogata probatione vult iuſtitiæ coronam adeptos demonſtrare) dumtaxat conſtans ac fidelis ſeruetur animus noſter, fidei noſtræ propoſitum in* CHRISTVM *cuſtodiatur immotum.* Conſtantia laborantium atque ægrotantium ſine patientia conſiſtere nequit. Haud dubiè languidum conſtantia reddit patientem, reddit patientia conſtantem. CHRISTVS ipſe ſummus ſerua-

Excitatio ægrotantis.

tor

tor patientiæ, constantiæque magister, firmus in cruce stetit, & tamen totus mundus versus & inuersus est, clareque satis ostendit inter mundanas varietates ac mutationes virtutem constantiæ atque patientiæ posse seruari. Solet interdum Deus domesticum rerum statum sursum & deorsum vertere, solet humores & qualitates corporum immutare, vt animum patientem & constantem exploret. Accidit hoc B. Iobo, in cuius elogium Spiritus sanctus ait: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille simplex* Iob 1, 1.
& rectus. Vir vnus erat, quia sibi similis, rectus, quia eiusdem tenoris, ac propositi tenax erat, cùm tamen bonis omnibus ac valetudine corporis esset omnino priuatus. Quisquis malè habet, rectusque esse cupit, *cor suum dabit in similitudinem picturæ.* Satis benè Ambrosius Epist. 82. *Assuesce vnus esse, vt vita tua quamdam picturam exprimat, eamdem seruans imaginem quam receperat.* Eccli. 38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus, qui constantiæ suæ, dum pateretur, præclarum dedit argumentum, & simul exemplum, vt redderet sibi similes laborantes & ægrotantes, sacram condidit Eucharistiam, in qua sibi semper similis est, tenet eamdem formam, & *Virtus Eucharistiæ.*

rectam

Cant.2,9. rectam quidem, in Hoſtia, cùm ſtet perpetuò. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Reſpicit ac proſpicit per feneſtras & cancellos accidentium, & excitat ad conſtantiam in labore & morbo ſuos. CHRISTVS in Euchariſtiâ ſic conſecratus eſt, vt ſi frangatur Hoſtia, calix vertatur, inuertatur & effundatur, eius ſtatus & ſtatura non minoretur, non minuatur: manet ſemper idem, & idem omnino in CHRISTO,

Ioan.6,58. qui CHRISTVM participet in Sacramento. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Septem alia Sacramenta certis verbis formantur, conficiuntur ac perficiuntur, & ſtatim deſinunt, Sacramentum verò altaris poſt factam conſecrationem permanet ac perſeuerat, vtpote conſtantiæ ſymbolum, cuius admirabili virtute ſtantes atque conſtantes homines in finem vſque

Viaticum. perdurant, & in fine vitæ, ſumpto Viatico, conſtantiam ſuam confirmant.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

CONſtantia Martyrem facit: fecit & puerum Machabæum, qui cùm variis promiſſis & minis alliceretur & deterreretur, vt vero Deo cultum debitum

debitum negaret, coleret falſos deos, audacter & ſimul conſtanter reſpondit, *Non faciam.* Hæc viri conſtantis reſponſio, cùm tentatione graui pulſatur vt à Deo ſuo deficiat, & ſuis obſequium deferat. Hoc propoſitum laudabile, vt inſtar Martyris dicat; *Non faciam*: firmum & perpetuum votum; *Juraui, & ſtatui cuſtodire iudicia tua.* Hæc firmitas & conſtantia ornauit martyrem Stephanum, qui vidit ſtantem in regno cælorum CHRISTVM, & ipſe ad eius exemplum ſtetit. Satis benè Ambroſius in Pſalm. 61. *Sacerdos præteriit, Leuita pertranſiit, ſtetit ille, qui inflicta vulnera curauit.* Concludit: *Ideò Sacerdos non potuit coronari, Leuita non potuit, quia tranſierunt, & tamquam vmbra præterierunt. Stephanus autem martyrio coronatus eſt, quia ſtantem videbat Dominum* IESVM, *immobilem, non prætereuntem. Jmmobilis ergo fide Stephanus immobilem* CHRISTVM *videbat; nullo erat mortis timore commotus. Non mouit ſe Stephanus, non mouit &* CHRISTVS.

2. Machab. 7, 8.

Pſal. 118, 106.

Dignus corona & laureola, qui ſtetit immobilis, nec ipſe inſtantis mortis timore ſe turbauit, ſed fixus ac firmus permanſit. Præceſſit ille martyrio & virtute conſtantiæ ſimul coronatos laureatoſque crucifixos & cruciferos, de quibus diuina Sapientia loquitur: *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos,*

Laureola conſtantiæ.

Sap. 5, 1.

qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Cùm perfidi homines præter ſpem videbunt eos laureatos & coronatos, clamabunt: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Hæc dignitas, hæc ſors glorioſa virorum conſtantium eſt. Præditus virtute conſtantiæ Ambroſius, qui cùm rogaretur à ſuis vt Deum pro longiore vita oraret, conſtantiſſimè reſpondit: *Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere; nec timeo mori, quia bonum Dominum habemus.*

Sap. 5, 4.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum Exercitus DECEM MILLIVM crucifixorum; in quibus, veluti in ſpeculo, vitæ humanæ & infirmitatis forma conſpicitur.

EM-



Macte animis generosa phalanx, noua bella capesse:
26. *Vincitur hic letho vita, labore quies.*

EMBLEMATICA IMAGO XXVI.

EXERCITVS DECEM MILLIVM CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

SVB Cæſare Hadriano exercitus DECEM MILLIVM Chriſtianorum primùm flagellis cæſus, poſteà ſpinis coronatus, deinde in terra proſtratus, in ea extenſus, clauis confixus eſt. Miſeri peccatores in terram ſic deiecti corruunt, vt in ſua miſera ruina conterantur & confringantur. *Contritio & infelicitas in viis eorum.* Felices iuſti, quos vis humana deiicit, nec tamen deiecti læduntur, nec colliduntur: *Cùm ceciderit iuſtus, non collidetur.* Ad dexteram Dei iuſtus cadit, peccator ad ſiniſtram ruit: felix eſt caſus iuſtorum, infelix peccatorum. Exercitus DECEM MILLIVM Martytum in terra confixus iacet, iacet ad dexteram Dei. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Rex glorioſus, flagellatus, coronatus, & crucifixus copioſum Martyrum fructum ſibi per omnia ſimilem in terra produxit. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Dum in ter-

Antoninus in Chronico. Vincent. in Speculo.

Pſal.13,3.

Pſal.36,24.

Pſal.90,7.

Sympathia Chriſti & Decem millium Martyrum Artificum toleratæ mortalitatis.

Ioan.12,24.

terra ſumus & viuimus, in conſortio ſacrorum Martyrum terreni corporis crucem nobiſcum ferimus & portamus. Accepimus ex Annalibus Eccleſiaſticis, Chriſtianorum perſecutores grande & graue tormentum inueniſſe, vt Martyres viuos cadaueribus mortuorum alligarent, & alligatos tenerent, donec in mutuo complexu Martyres viui animam ſuam efflarent. Mortales omnes corporibus innexi ſumus, & quid ſimile patimur, dicente Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Mori crux eſt, crux etiam & cruciatus eſt ita viuere. Accedit Bernardus de Modo benè viuendi, Serm.10. *Vita præſens mors eſt, quia eſt plena miſeriis.* Hinc fit, vt Pontius Diaconus, ſicut in actis paſſionis S. Cypriani legimus, cùm eſſet adiudicatus iam morti, clamauerit: *Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis abſoluere dignatur.*

Rom. 7, 24.

Crux Exercitus DECEM MILLIVM, Crux vitæ humanæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

TErream crucem ſinguli nobiſcum geſtamus, terrena quippe vita pondus & onus eſt, quod ſentiebat Iob in ſe, cùm diceret: *Factus ſum mihimetipſi grauis.* Sub crucis huius onere gemebat Dauid, *Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem.*

Iob 7,20. Pſal.37,7.

Nouit

Nouit suam conditionem in Panoplia S. Ephræm, oratque: *Respice Domine, & vide, quia terra sum & puluis, nihilque sustinere valeo.* De cruce vitæ humanæ hæc accipe ex D. Bernardo Serm. de Obed. patient. & sapientia: *Nunc in regione corporum habitantes corporibus sumus obnoxij, & ex quo dissipauerunt legem Domini parentes nostri, non modò faciendi tempus est, sed etiam patiendi, & omnium nostrûm amplius labor & dolor. Durus quidem cibus est hordeaceus panis, sed offenso Rege pulsus palatio miles, quamuis delicatus, ad vnum fortè, quem solum habet, seruulum diuertere opus habebit, ibi fouere latebras, & insolita capere prandia, apud eum regales delicias pultibus rusticanis, ac nobiles status sterquilinio mutari seruili, iuxta illud Propheticæ lamentationis: Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Ibique hoc maximè Propheta deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam: nec modò non reputare quod tolerant, sed tamquam bona magna amplecti, quæ paulò minùs extrema sunt mala. Propterea siquidem & de seipso ait: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Gemamus nos sub hoc onere, fratres, & præsentes deploremus ærumnas, frequenter quisque nostrûm in vocem piæ querimoniæ erumpat & clamet: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nihil ergo miri, quòd

Excitatio laborantis.

Thren. 4, 5.

Thren. 3, 1.

Rom. 7, 24.

quòd cùm S. Elisabetha in extremis versaretur, & sorores flentes cerneret, miserata humanam earum vitam dixerit, vt tradit Seraphica historia; *Nolite super me flere: magis autem super vos fletu madescite.*

Crux Exercitus DECEM MILLIVM, Crux ægrotantium.

Instrumentum artis benè moriendi.

CVm premitur homo ægritudine, perpendat, quot millia terra sustineat, quæ eamdem crucem patiuntur. Cùm sint milleni & milleni, qui malè habentes, peiores moribus fiunt, quique meliores & sanctiores efficiuntur: his se militibus CHRISTI adiungat, vt composito cum illis agmine super terram, more DECEM MILLIVM Martyrum, vim regno cælorum inferat. Humana castra validos ac fortes milites postulant, ægrotos verò & infirmos reiiciunt; castra verò cælestia debiles & humiles quærunt, si tamen animosè se gerant, sicut Paulus se gerebat, cùm diceret: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Concludit inde Ambrosius in Psalm.37. *Noli ergo timere carnis infirmitatem, quia sanctus cùm infirmatur, potens est.* Admonendus est æger, ortum ex limo duxisse suum, ex terra habuisse principium, & in terram futurum eius regressum, ac proinde cùm regreditur, præ oculis terram habere, & eam contem-

Excitatio ægrotantis.
2.Cor.12, 10.

plari debere. Conſideret ſibi datam & innatam conditionem, quam ſcribit & deſcribit Paulus cap.8. ad Romanos: *Vanitati creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc.* Hæc penſio humana eſt, detrectet nemo, nemo recuſet ferre naturæ crucem, quam terra ipſa, ex qua ortus eſt humilis homo, producit ac generat. Si quis crucem ferre vel ſanus vel æger detrectauerit, occurrit recuſanti Cyrillus lib. 12. in Ioan.cap.27. *Dominus quidem noſter* IESVS CHRISTVS *debitã nobis baiulans crucem, & hoc propter nos, non erubeſcit: nos autem calamitoſi, quorum mater hæc terra eſt, qui ex nihilo ad eſſe producti ſumus, non audemus labores vel paruos pro pietate ſuſcipere: ſed ſi fortè pro* CHRISTO *quidpiam nobis acciderit, erubeſcimus. Ita inanem huius mundi gloriam ſequentes in ſuperbiam incidimus. O temeritatem maximam!* Ad hanc deponendã ægri cor ſuum aptabunt picturæ, quamdiu ſub vexillis CHRISTI in caſtris militabunt mundanis. Ad hanc formam Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis mori voluit, de quo Gregorius Turonenſis: *Ad ſepulchrum Martyris Aramanthi diu orauit ſolo proſtratus: deinde expanſis manibus & brachiis ſuper pauimentum, ſpiritum cælo reddidit.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ. REx glorioſus, cùm pro nobis pateretur, non ſolùm deleuit quod erat contra nos chirographum decreti, ſed & terram ipſam deleuit, ac proinde *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, vt virtute paſſionis ſuæ terram in cælum conuerteret. Huius conuerſionis memoria recolitur in Euchariſtia, de qua Chryſoſtomus Homil.24. in 1.ad Corinthios aſſerit: *Dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cælum ſit, facit hoc myſterium.* Ergo qui in terra laborat, in terra infirmatur, reficiat ſe cæleſtibus Sacramentis, vt onere, quod patitur, liberetur. Et quidem Paulus, cùm eſſet in tertio cælo, & ab infirmitate eripi deſideraret & rogaret, ad ſacram Euchariſtiam remiſſus eſt, cùm dicat ipſe: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Accepit quidem in cælo, quod terræ tradidit Euchariſticum myſterium, vt qui participes eius forent, deſinerent eſſe terreni, cæleſtes fierent: *Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Cæleſtis totus CHRISTVS in Euchariſtia eſt, & vt Chriſtianos ſuos cælicos omnino faciat, è terris iam decedentes Viatico cæleſti donat. *Viaticum.*

Luc.23, 44.

1.Cor.11, 23.

1.Cor.15, 48.

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

BReuis vita humana est, & simul prolixa mors, cuius compendio Martyres vitam æternam possident. Hoc mortis compendium quærebat & appetebat cùm exclamaret Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Cùm mortalis omnis, dum viuit & degit in terris, secum gerat corpus mortis à natura sibi impositum, artem crucis & patientiæ profiteatur necesse est, vt non tam vitam quàm mortem acceptam offerat Deo, qui inflictas iustè pœnas nouit in præmia conuertere. Breuitas humanæ vitæ in prolixam mortem abiit propter primum Adæ delictum. Venit in terras CHRISTVS, & docuit Martyres suos non modò mortalem vitam, sed etiam mortem corpoream Creatori consecrare, & quidem cum aureæ coronæ & laureolæ remuneratione.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Rom. 7. 24.

Canit propterea Ecclesia in elogium S. Stephani primi ac primicerij Martyrum: *Patefactæ sunt ianuæ cæli* CHRISTI *martyri beato Stephano, qui in numero martyrum inuentus est primus. Et ideò triumphat in cælis coronatus: mortem enim, quam Saluator noster dignatus est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit Saluatori.* Cùm

Stephanus vitæ ſeu potiùs mortis humanæ accepit vſuram, pœnam infectæ atque vitiatæ naturæ in ſeipſo expertus eſt; ſed edoctus CHRISTI paſſione, didicit abnegare ſe & ſuam mortalem vitam, vt non iam mortem Adami, ſed illam quam Saluator noſter dignatus eſt pro eo ſubire, eamdem ipſam Saluatori redderet; triumpharetque propterea in cælis coronatus & laureatus. Similis huic per omnia eſſe optabat Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis, qui poſitus in extremis, coram crucifixi imagine proteſtatus eſt: *Tu noſti Domine, quòd, ſi placeret, omnia opprobria atque tormenta, & ipſam denique mortem pro te paratus ſum tolerare; & ſicut tu noſti me vera dicere, ita quæſo memineris mei, quia tibi commendo animam meam.* Dum commendaret animam Remaclus Epiſcopus, accedebat ad numerum DECEM MILLIVM Martyrum, & dicebat: *Mors vltima rerum linea eſt. Puluis & vmbra ſumus.*

Laureola mortis oblata.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus LYCARION; in quo, veluti in ſpeculo, ſalutis animæ & infirmitatis corporis forma conſpicitur.

EM-



Fruge beet campos Nilus Memphitidos oræ:
27. *Lætior ex isto sanguine messis erit.*

EMBLEMATICA IMAGO XXVII.
S. LYCARIONIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS LYCARION apud Hermen in Ægypto cruci adſtrictus, membratim in ea cæſus eſt, vt virum dolorum CHRISTVM ad viuum exprimeret. Hanc ſortem ſibi cupiebat Ignatius martyr cùm diceret: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm* CHRISTO *fruar.* Cùm veſtis rumpitur, & corpus intactum manet, totum corpus ſanum eſt: cumque caro veſtis humana ſit, quamuis illa laceretur, tota LYCARIONIS anima integra perſeuerat. Non frangunt patientis animum labores, pœnæ, dolores, quin potiùs per myſticam antiperiſtaſin carnis infirmitatibus ſpiritus roboratur. Hoc myſterium ſacroſanctum primus omnium CHRISTVS inuenit, primus ſenſit. *Spiritus*, inquit, *promptus eſt, caro autem infirma.* Quò maiores & acerbiores cruciatus CHRISTVS experiebatur, eò maiores, eò ſublimiores animos in ſua paſſione gerebat & oſtendebat. Hoc ſublime ſacramentum in tertio cælo

Martyrol. Menolog.

Sympathia Chriſti & Lycarionis Artificum ſalutis animæ.

Matth. 26, 41.

cælo Paulus nouit, cùm CHRISTVS ibi respondit:
2. Cor. 12, 9. *Virtus in infirmitate perficitur.* Perficitur in LYCARIONE, dum caro in cruce infirmatur, disrumpitur, dilaniatur. Multi sæua tormenta pro salute corporis patiuntur, quid ni Christianus homo pro animæ suæ salute pœnas atroces ferat? Hoc argumento vtitur Augustinus lib. de Patient. *Intueamur, quanta in laboribus & doloribus homines sustineant, dura pro rebus quas vitiosè diligunt, & quantò se his feliciores fieri putant, tantò infeliciùs concupiscunt.* Concludit: *Deinde, vt illud dicam quod culpabile non est, si tanta suffert pro salute carnis inter manus secantium & vrentium Medicorum, quanta debet sufferre pro sua anima inter furores quorumlibet inimicorum.*

Crux LYCARIONIS, Crux saluationis animæ.

Instrumentum artis benè viuendi.

POst primum lapsum mulier partus doloribus addicta est. *In dolore paries filios.* nec illos enitiGen. 3, 18. tur, nisi priùs doloribus angatur & discerpatur. Natalitia sua post obitum viri cælestes celebrant, qui quodammodò ex seipsis generantur atque oriuntur, necesse idcircò est, vt antequam cælo nascantur, more LYCARIONIS infirmentur, pœnas atque doIoan. 16, 21. lores sustineant. Consonat dictis CHRISTVS: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem*

autem gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos triſtitiam habebitis. Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. **Excitatio laborantis.**

Crux LYCARIONIS, Crux ægrotantis.

AVguſtinus lib. de Grat. noui Teſtam. q.2. *Cùm caro in doloribus eſt & in pœnis, profectò anima tunc habet magnum agonem patientiæ, in quo ne deficiat, laborandum & orandum eſt.* Oraſti, nec tamen meliùs habuiſti; recipe verba eiuſdem Auguſtini in Pſalmum 21. *Multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur, vt intelligat homo Medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus vreris, ſecaris, clamas. Non audit Medicus ad voluntatem, ſed ad ſanitatem.* Sectiones & aduſtiones patientem viſitat idem Auguſtinus ægrotum, & Serm.1. de Viſitat. infirmor. addit : *Vis ſcire quia infirmitas corporis ſalutem animæ parturit? audi Dominum Apoſtolo reſpondentem: Virtus in infirmitate perficitur. ac ſi dicat : Complectere quam pateris infirmitatem, quia ita proficies de virtute in virtutem. Sed in infirmitate virtus augmentatur : virtus enim*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Excitatio ægrotantis.

2.Cor.12, 19.

enim ſalus eſt animæ, infirmitas corporis; quandoquidem per virtutem animæ parit ſalutem, donum Dei eſt. Quòd ſi æger non ſolùm corpore, ſed etiam animâ ſecatur & aduritur dum ægrotat, audiat Baſilium in Aſceticis. *Quemadmodum in curandis corporibus inciſiones, vſtiones, & acerba pharmaca ſanitatis gratiâ toleramus, ita & in animarum cura inciſiones reprehenſionum, & amara increpationum pharmaca, vt & illæ curentur, admittere debemus.* Debet itaque æger admittere pro animæ curatione inciſiones Confeſſarij reprehendentis, & amara etiam pharmaca eius culpas increpantis. Quiſquis hæc patitur, non ſolùm exteriùs, ſed etiam interiùs myſticus LYCARION eſt, totúmque ſe componens in picturæ eius ſimilitudinem, ſaluationis ſuæ cauſam aget, & virtute patientiæ ſuæ opus perficiet, perficiet meſſem, quæ non ſine falce aut ſectionibus metitur & colligitur, nec ſine ſectionibus eam LYCARION collegit & meſſuit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistia.

REx glorioſus, cùm eſſet affixus cruci, vitæ corporalis ſuæ curam non habuit, habuit tamen ſummam de ſalute animarum noſtrarum ſollicitudinem, quam adhuc in ſacra ſua Euchariſtia ſeruat. Propter nos homines & noſtram ſalutem deſcendit

è cælis, & in crucem aſcendit, & propter eamdem animarum ſanitatem deſcendit ſæpè ſæpiùs in altare, vbi memoria eius recolitur. Hinc ſalus, hinc vita pendet. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan.6,60.
Qui multa pro ſalute animæ patitur, ſalutare habebit in Euchariſtia leuamen, guſtabit & clamabit, *Dic* Pſal.34,3.
animæ meæ: Salus tua ego ſum. & addet: *Dominus ſolli-* Pſal. 39, 18.
citus eſt mei. Cùm quis ſollicitus eſt, neſcit quieſcere. Parens iunioris Tobiæ ſæpè recurrebat ad vias, per quas chariſſimum filium ad propria rediturum arbitrabatur. Frequens quidem itus & reditus in locum eumdem eſt ſignum & argumentum magnæ ſollicitudinis. Cùm toties è cælis CHRISTVS deſcendat, quoties in altari conſecratur, perſpicuum eſt, quàm ſit de ſalute humana ſollicitus. Eapropter conſecratam Hoſtiam Sacerdos oſtendit populo non ſolùm in cultum & venerationem, ſed etiam in teſtimonium deſcenſus, itus & reditus CHRISTI, & eius curæ ac ſollicitudinis de ſalute animæ noſtræ, vt dicat vnuſquiſque noſtrûm: *Dominus ſollicitus eſt mei.* Tunc maximè ſollicitus eſt, cùm affixus lecto ægrotus, diris tormentis exponitur, doloribus variis diſrumpitur, & ne ſalus animæ periclitetur, in eius cuſtodiam de ſacro Viatico prouidet. *Viaticum.*

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Ioan. 12, 25.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Laureola salutis animæ.

Psal. 115, 19.

REx Martyrum ait: *Qui perdiderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Custodit animã, vt corona decoretur: custodit animam, vt etiam ornetur laureola, si tamen pro eius salute tantum patiatur agonem, vt Martyribus, imò & Regi Martyrum assimiletur. Et quidem *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius est*, non illa solùm qua Martyres affici solent, sed etiam illa qua zelator salutis suæ occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum. Laudabilis ex hac parte S. Benedictus Anglus, in cuius Homilia Beda venerabilis ait: *Sic longis virtutum studiis exercitatus, longo insuper anno semper infirmitatis martyrio excoctus, post centupla gratiæ præsentiũ munera ad vitam transiuit æternam.* Hanc vt acquireret Epipodius martyr, lubens corpus suum secandum ferro & offerebat, dicebatque zelator salutis suæ: *Nos pro anima aduersus corpus bella suscipimus, nos pro anima aduersus vitia dimicamus.*

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum spectaculum sanctus LVCELLIANVS; in quo, veluti in speculo, ferentis prauæ naturæ habitus & morbos forma conspicitur.

EM-



Numinibus vanis Panchæa meße litaram:
28. Parce precor, tibi nunc ſanguine, Chriſte, lito.

EMBLEMATICA IMAGO XXVIII.
S. LVCELLIANI CRVCIFIXI EXPLICATA.

LVCELLIANVS ſub Aureliano Imperatore falſorum ſimulacrorum ſacrificulus, ac deinde cæleſtis Numinis cultor, Conſtantinopoli poſt varia alia tormenta miſſus in ardentem rogum, mirabiliter euaſit, ac denique actus in crucem, in crucis ara ſe ſuáque omnia pariter immolauit. Dixerat Moyſes Exodi cap. 8. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.* Fecit idem ipſum LVCELLIANVS, qui eumdem profanum habitum, in quo idolis antè ſeruierat, vero Numini crucifixus immolauit. Nec timuit, vt ingredienti cælum ſibi diceretur, *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Ornatur veſte nuptiali, qui nouit in cruce Deo abominationes gentium immolare. *Qui ſunt* CHRISTI, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Habitus prauos vitiorum ſecum homo crucifigit, cùm prauæ naturæ motibus ac paſſionibus reluctatur. CHRISTVS ſuper Adami ſepulchrum crucifixus eſſe traditur, & quidem in forma Adami crucem ipſe paſſus eſt, vt

Martyrol. Menelog. Metaph.

Matth. 22, 12.

Gal. 5, 24.

Sympathia Chriſti & Lucelliani Artificum crucifixa natura praua.

nos

nos omnes informaret, veteris hominis carnem cum vitiis ac vitiosis concupiscentiis crucifigendam, & in ara crucis, more LVCELLIANI, mactandam & immolandam. Ergo hoc ipsum quod Ambrosius libro de Fuga sæcul. cap. vlt. asseruit, è cruce sua loquitur LVCELLIANVS: *Etenim vetus ille homo noster affixus est cruci, distractum est peccatum, obtusus aculeus, vacuata culpa, vt vlterius seruire flagitiis desinamus.*

Crux LVCELLIANI, Crux praui habitus.

Instrumentum artis benè viuendi.
Rom. 7, 21.

CRucem praui habitus expertus Paulus aiebat, *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ad crucem istam portandam tolerandamque se excitabat; proponens sibi diuinum exemplar CHRISTI, in quo *vetus noster homo crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato.* Infert ex dictis Apostolus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Anselmus in Commentariis: *Non ait, Non sit, sed, Non regnet peccatum; quippe in corpore mortali non prohibuit esse, sed regnare, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest.*

Excitatio laborantis.
Rom. 6, 6.
Vers. 12.

Hoc

Hoc ipſum namque de peccato tentari, ei peccatum eſt. Quo, quamdiu viuimus, perfectè omni modo non caremus. Apoſtolus verò quoniam hoc expellere plenè non potuit, ei de cordibus noſtris regnum tulit, vt appetitus illicitus, etſi plerumque bonis noſtris cogitationibus occultè ſe quaſi fur ingerit, ſaltem, ſi ingreditur, non dominetur. Si verò diu dominetur iniquitas, accidet id quod ſcribit Baſilius in 1. Pſalm. *In peccatis diuturnitas habitum quemdam vix mobilem conſtituit in animis. Antiquus enim animi morbus, & mali exercitatio longitudine obdurata, vix remedium, vel potiùs nullum reperiet.*

Crux LVCELLIANI, Crux ægrotantis.

MAgna virtus ſanctæ Crucis, quæ in profano etiam habitu virum religioſum facit. LVCELLIANVS indutus veſte profana cruci affigitur, & in ea tantus Dei cultor exiſtit, vt poſſit eſſe ſitque norma cunctorum Religioſorum. Magna quoque virtus lecti, cui æger aliàs profanus affigitur, & religiosè diſponitur ac componitur. Nouit Deus per morbos peccatores iuſtos reddere, nouit conuerſos corporea ſanitate donare. Quòd autem viros profanos reddat iuſtos, pios, religioſóſque ægritudo, teſtis eſt nobis Chryſoſtomus Epiſt.4. in qua ſolatur Olympiadem ægrotantem, ac dicit: *Tantum bonum*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

 iſtud

Excitatio ægrotantis. *iſtud eſt iis qui forti ac ſtrenuo animo ferunt, vt etiamſi hominem aliquem, qui maximis peccatis ſeſe deuinxerit, nanciſcatur, grauiſſima peccatorum ſarcina eum liberet.* Haud dubiè per morbos & infirmitates peccatis ac paſſionibus noſtris Deus ſapientiſſimè medetur. Deus quippe, teſtante hoc D. Baſilio in Aſceticis, *aliquos cum morborum moleſtia certare permiſit, probatos eos per experientiam reddens. Ita & nos aliquando inuiſibiliter in occulto contingit, ſi quando id animabus noſtris prodeſſe cognouerit, aliquando etiam corporalibus remediis ad curandas paſſiones noſtras vti dignatur, curandi prorogatione diuturnam gratiæ ſuæ memoriam efficiens, vel formam quamdam, vt dixi, curandarum animarum proponens.* Sentiebat in ſe vel ipſe Apoſtolus Paulus moleſtam carnis paſſionem, cui medicamen infirmitatis Deus medicus animarum adhibuit & appoſuit,
2.Cor.12, 9. dixitque infirmo Paulo, *Virtus in infirmitate perficitur;* vt morbum ſibi inflictum æſtimaret, & medicamento eius vteretur, vt paſſione carnis liberaretur. Cùm iacet in lecto æger, nudus iacet, & externis veſtibus exuitur & ſpoliatur, ſed nequit ita nudari, vt prauis paſſionibus exuatur: proinde decumbit æger in lecto, ſi introſpicias eius animam, ſicut apparet in cruce ſua LVCELLIANVS habitu profano indutus, quem cum vita ipſa depoſuit. Deponet & æger;

æger; interim tamen *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*, vt qui ex prauo naturæ habitu infirmatur, patientia LVCELLIANI firmetur. Eccli. 38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus in ſacra ſua paſſione cruci ſe totum addixit, vt veterem hominem cum actibus & habitibus ſuis crucifigeret, & crucifixit quidem, ac docuit virum Chriſtianum, vt veteri homini & eius paſſionibus renuntiaret. Lignum arboris, & eius fructus, veterem hominem induxerunt & inuexerunt: nouum hominem crearunt & perfecerunt crux CHRISTI & eius fructus ac cibus, cuius refectionis virtute ſeipſo homo ſpoliatur, CHRISTVM ſumit, & in CHRISTVM totus transformatur. Aſcendit æger in lectum, vt in eo conſtitutus veſtem humanam deponat, & vt illam facilè exuat, ſacrum Viaticum ſumit, ſine cuius adiumento ſua ſe natura ac vita nudare atque ſpoliare nullus mortalis nouerit. *Virtus Euchariſtiæ.* *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

QVi carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixerunt, voluerunt haud dubiè ſpoliari, non ſuperueſtiri, & vt prauo naturæ habitu ſpoliaren- *Honor aliæ artem benè viuendi & moriendi.*

rentur, vſi ſunt ſanctæ Crucis inſtrumento, quod tantæ virtutis eſt, vt hominem paſſionibus nudum & liberum reddat. Interim tamen, donec mortalis homo ad eum ſtatum perueniat, neceſſe eſt, vt crucietur & torqueatur. Torquebatur Apoſtolus, & clamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hoc habebat in cruciatu ille ſolatium: *Compatimur, vt glorificemur.* Qui prauas affectiones ſibi ſubiicit, eas terit, & victor agit triumphũ, inſignem aurea corona, illuſtrem cæleſti aureola, nobilem ſtola gloriæ, quæ crucifixis & cruciferis in cælo exhibetur.

Rom. 7, 24. Rom. 8, 17.

Laureola deuicti praui habitus.

Pulchra itaque ars ſanctæ crucis & patientiæ quæ ſic naturam reformat. *Huiuſcemodi arte,* teſtante Iuſtiniano cap. 7. de Caſto connub. *propitiante gratia, debilitatur conſuetudo inueterata, & natura rebellis reformatur in melius.* Conſonat Iuſtiniano patiens pro iuſtitia Epipodius, qui cùm eſſet in theatro, & afficiendus extremo ſupplicio foret, *Mihi,* inquit, *vita non tollitur, ſed mutatur in melius. Nec intereſt, infirmitas corporea quo fine ſoluatur, dummodò anima cælis inuecta ad ſuum reuertatur auctorem.*

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus VENANTIVS; in quo, veluti in ſpeculo, ferentis impios & morbos forma conſpicitur.

EM-



Iam mihi non vno torsistis corpora fumo:
29. *Nam tormenta mihi præuia fumus erant.*

EMBLEMATICA IMAGO XXIX. S. VENANTII CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS VENANTIVS martyr, quindecim annos natus, primùm fustibus cæsus, deinde feris obiectus, denique capite inuerso cruci affixus est, igni supposito, vt eius fumo obrutus suffocaretur. Passus est sub Decio Imperatore. Crux grauis, impiorum hominum iactantiam, & eorum vanos & inanes fumos tolerare. Nouit tamen Deus elatum sopire fumum, nouit & humilitate suorum tumentem arrogantiam retundere. Hinc apud Isaiam: *Vide vt sileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Interim verum & satis verum est, quod affirmat Dauid, *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Pauper iste CHRISTVS est, qui dicit de se, *Respice in me, & miserere mei, quoniam vnicus & pauper sum ego.* Superbiebat valdè impius, cùm esset in cruce pauper & dolens CHRISTVS, & per eius arrogantiam inflammabatur & pariter obruebatur. Pauper quoque iste VENANTIVS est, qui fumigante superbia, ipse accenditur, ipse suffocatur. Rutilantis

Metaph. Surius. Prudent.

Isai. 7, 4.

Psal. 9, 23.

Psal. 24, 16.

Sympathia Christi & Venantij Artificum tolerata impietatis.

lantis ignis ſplendorem fumus præcedit, & poſt fumi obſcuritatem ſplendor flammeus ſuccedit. *Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Fulgebit VENANTIVS, fulgebit & ille, qui nouerit mores prauorum hominum ſuſtinere, & eorum arrogantiam humilis & humiliatus portare.

Sap. 3,7.

Crux VENANTII, Crux alienæ impietatis.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

QVanta crux iſta ſit, conſiderat Auguſtinus libro de Vera innocent. cap.122. & poſt ſedulam conſiderationem concludit: *Magnus labor bonorum eſt, mores tolerare contrarios; quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet iuſtum aliena iniquitas, quantum recedit à ſua.* Probantur inter prauorum mores cruciferi IESV CHRISTI: qui fumo non offenduntur, parum proficiunt; & quidem ad profectum iuſtorum crux alienæ impietatis data eſt. Accipe luculentum teſtimonium B. MARIAE lib.1. Reuelat. S.Birgittæ, cap.22. *Conſidera quòd mali viuere permittuntur ad bonorum probationem, vt ex eorum moribus exaſperati patientiæ fructu remunerentur, ſicut etiam per exemplum intelligere poteris. Roſa enim ſuauiter redolet, pulchra eſt viſu, lenis tactu, & tamen non creſcit niſi inter ſpinas, quæ ſunt aſperæ tactu, deformes viſu, nihil boni redolentes. Sic etiam boni & iuſti homines, licet*

Excitatio laborantis.

lenes ſint patientia, pulchri moribus, ſuaues bono exemplo, non tamen poſſunt proficere vel probari, niſi inter malos. Proficit roſæ elegantia inter ſpinas aculeatas, proficit inter tetros & tetricos fumos luminis claritas: perit fumus, ſplendor manet. *Nouit Dominus dies immaculatorum, & hereditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur: quia peccatores peribunt. Inimici verò mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Non deficit iuſtus, qui omnem à ſe nouit iniquitatis fumum propulſare. Pertinet huc quod ait Ephræm, agens de cordis compunct. *Quî fieri poteſt, vt fumum arceamus, quò minùs per eas quæ patent egrediatur fores, igne contrà aſſiduè ſuccenſo? Quòd ſi fumum repellere velis, fores obſerato, ne tua per res ſenſibiles nigreſcat domus.*

Pſal. 36. 18.

Crux VENANTII, Crux ægrotantis.

QVid rei homo eſt? Humus & fumus. Humus, quæ calcatur & atteritur; fumus, qui extenuatur & euaneſcit. Cùm ita ſit, vana vitæ ſpecie homo decipitur, ſi quid maius ſe eſſe arbitretur. Incipiet ſapere, cùm in lectum deiiciatur, & more VENANTII iam æger conditionem ſuam meditetur, & ſe nihil aliud præter humum & fumum eſſe deprehendet.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

det. Pulchra hæc meditatio eſt, de qua Nazianzenus Epiſt.70. ſcribit : *Honeſtum eſſe cenſeo, dolori reſiſtere, atque animo vel nunc maximè expurgari : at morbum nihil aliud eſſe ducere quàm vtilem quamdam inſtitutionem, hoc eſt, vt corporea omnia, & quidquid fluxum eſt & caducum, aſpernans, totum cæleſti patriæ addicas, ſed futuro æuo viuas, mortiſque meditationem, vt ait Plato, hanc vitam exiſtimes.* Lucidus ignis eſt, cui Deus obſcurum adiunxit & ſimul appoſuit fumum, vt cedat luminaribus cæli, nec cum illis de ſplendore contendat. Prouidet quoque Deus, vt qui virtutum fulgore promicant, aliquando infirmentur, ne ſe efferant ac ſuperbiant. Rutilabat Apoſtolus Paulus, & ne ſe extolleret, infirmitate detinebatur & deprimebatur. Teſtatur hoc ipſum de ſe 2.Corinth.12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Loco fumi ſtimulus carnis erat, & hic ipſe morbus erat : cùm rogaret liberari, reſponſum habuit, *Virtus in infirmitate perficitur.* vnde & Paulus concludit : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus* CHRISTI. Nec ſolùm rutilantibus virtute ac ſanctitate infirmitas corporalis accidit, ſed etiam poteſtate ac dignitate fulgentibus, vt fumum & humum naturæ ſuæ conſiderantes, deſinant ſuperbire. Hanc ob

Excitatio ægrotantis.

2.Cor.12, 9.

ob causam in lectum decidunt qui regnant & dominantur. Et quidem quisquis naturæ fumo sic tangitur, & morbo pulsatur, *cor suum dabit in similitudinem picturæ*, referetque VENANTIVM, caput non extollet vt superbiat, inuertet capitis sublimitatem, vt humilis existat, & in omnibus se submittat. Eccli. 38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus impietatem, & simul infirmitatem humanam expertus in cruce est, in cuius Passionis memoriam condidit sacram Eucharistiam, in qua pro vtroque malo salutare antidotum remediumque reliquit. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* dum superbit morbus, accenditur & inflammatur æger, accensusque & inflammatus recurrit ad Eucharistiam, in qua inuenit ventum roris flantem, dissipantem fumos, extinguentem incendium, & sopientem ardentes morborum flammas. Non sic refrigerat nix in summis caloribus æstus, quàm recreat in magnis ardoribus febrium Eucharistiæ Sacramentum. Ergo quisquis sic in lecto iacet, vt febriles ignes ferat, & naturæ humanæ fumum patiatur & experiatur in se, sacrum sic Viaticum sumat, vt balnei temperati loco habeat, cuius virtute liber ab igne & à fumo *in refrigerio erit*.

Virtus Eucharistiæ.

Psalm. H. 10, 2.

Viaticum.

Sap. 4, 7.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem bene viuendi & moriendi.

QVi sua priùs insequitur more VENANTII, submittitur & humiliatur : & qui aliena carpit peccata zelo amoris, exemplo eiusdem Martyris accenditur, inflammatur, & martyrium sine ferro patitur. Dignum sanè corona & laureola martyrium, cui cæleste refrigerium promittitur & conceditur: *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Erit in refrigerio VENANTIVS, & similis VENANTIO martyr, qui habitat in medio prauæ nationis, & improbos eius mores sustinet, sicut & sustinuit ille, de quo Sapiens : *Consummatus in breui, expleuit tempora multa : placita enim Deo erat anima illius : propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Hac ipsa consideratione solabantur se Paulus & Iuliana, qui immolandi iam per martyrium, ambo vno ore, vna voce dixerunt : *Saluasti nos ab affligentibus nos, & odientes nos confudisti.*

Sap.4,7.

Laureola sustinentis prauos aliorum mores.

Sap.4,13.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum spectaculum sanctus TIMON Diaconus; in quo, veluti in speculo, candoris vitæ & morbi forma conspicitur.



Si μισανθρώπῳ Timoni vita negatur;
30. *Anne φιλανθρώπῳ vita neganda fuit?*

EMBLEMATICA IMAGO XXX.
S. TIMONIS DIACONI CRVCIFIXI EXPLICATA.



ANCTVS TIMON è ſeptem Diaconis vnus, aſſumptus eſt vt ſocius & adiutor Apoſtolorum eſſet. Memorat eius aſſumptionem & electionem B. Lucas cap. 6. Actor. *Conuocantes duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, &* TIMONEM, *& Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum.* Electus TIMON menſis & altaribus inſeruiuit. Cùm in ſacro Miſſæ Officio Diaconus cantat Euangelium, Crucis ſignum ſuper ſanctum librum format, vt vel ipſum Euangelium ſigno crucis obſignatum eſſe oſtendat. Hoc Regio, hoc magnifico ſigillo miniſterium ſuum Euangelicum TIMON clauſit & ornauit, qui & crucifixus

Beda. Vſuard. Ado.

cifixus obiit candido habitu indutus. Quid ſic? Reſpondet Iſidorus lib.2.de Offic.cap.8. *Diaconi propterea altari albis induti aſſiſtunt, vt cæleſtem vitam habeant, candidique ad hoſtias immaculatique accedant, mundi ſcilicet corpore, & incorrupti pudore. Tales enim decet Dominum habere miniſtros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, ſed potiùs eminentia caſtitatis ſplendeant.* Qualis ergo Dominus, talis & miniſter, Dominus *candidus & rubicundus.* Candidus, propter vitæ candorem; rubicundus, propter ſanguinis effuſionem: miniſter verò candidus & rubicundus, quia candorem morum cum paſſione ſua coniunxit.

Cant. 5,10.

Sympathia Chriſti & Timonis Artificum candoris vitæ.

Crux TIMONIS, Crux candoris vitæ.

CAndor vitæ paſſione acquiritur, tolerantiâ comparatur. Nouerat Dauid myſterium, & dicebat: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Niueus candor hyſſopum paſſionis ſequitur. Quam ob rem beata Agnes apud Birgittam lib.3. Reuelat. cap.30. concludit: *Deus eſt ſicut optima lotrix, quæ pannum immundum ponens inter procellas, vt ex motione aquæ fiat purior & candidior, diligenter cauet ictus vndarum, ne ſubmergatur pannus: ſic Deus ponit in præſenti amicos ſuos inter procellas paupertatis & tribulationis, quibus ad æternam vitam purgentur,*

Inſtrumentum artis benè viuendi.

Pſal. 50,9.

Excitatio laborantis.

tur, custodiens eos diligenter, ne vel nimia tristitia vel tribulatione intolerabili demergantur. Emerserunt viri gloriosi, quos in sua Apocalypsi contemplatus est Ioannes. Vidit in candido & splendido habitu Diaconatus proceres cæli. *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* cui Angelus: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Cælestis Sanctorum candor pendet à Sanguine Agni, à tribulatione & cruce, cui adhærens apparet in albis TIMON, apparet candidatus æternitatis. Apoc. 7, 13.

Crux TIMONIS, Crux ægrotantis.

AVctor naturæ Deus tempore brumali, cùm malè tellus habet, mittere niues solet, quibus totam candidã reddit. Deus ipse gratiæ auctor, cùm homo aduersa vtitur valetudine, nouit & eius animam dealbare, vt æger affixus lecto TIMONEM affixum cruci referat & imitetur, vnde citatus nuper dixerat Nazianzenus: *Honestum esse censeo dolori resistere, atque animo nunc maximè expurgari.* Expurgandus animus est, vt ipsis niuibus purior & candidior fiat. Hoc exigebat ab Eudoxio suo, & quidem ægro, idem ipse Nazianzenus Epist. 118. apud Basilium: *Nolo te, neque honestum arbitror, cùm philagios sis, inque diuinis* *Instrumentum artis benè moriendi.* *Excitatio ægrotantis.*

excellenter instructus, eodem modo affici cum reliqua mortalium multitudine, neque mox malè affecto corpore consternari, aut velut immedicabilem afflictionem deplorare, sed in passione tolerantem esse, & mentem nunc maximè expurgare. Linea tela primùm aspergitur aquis, deinde ad æstum solis exponitur, vt nitidum ac candidum colorem induat. Quisquis candidari desiderat, parare se debet, vt & aquam laborum & æstum febrium & morborum patiatur. Subierunt aquam & æstum laborantes & ægrotantes, qui dixerunt: *Transiuimus per*
Psal.65, 12. *aquam, & ignem.* Nec quidem vna sola aspersione, vel vno ardoris æstu linteamina candidantur; multis indigent ablutionibus, plurimis æstibus, vt tandem nitescant & refulgescant. Nec satis est semel subire laborem, semel morbum tolerare: necesse est laboribus ac morbis variis hominem exerceri, vt in eum statum veniat, quem candidus in cruce TIMON repræsentat. Repræsentarat hunc eumdem CHRISTVS ipse, qui & rogandus: Rex gloriose, qui candidus & rubicundus es, & tales cupis esse ministros, dealba me, & munda cor meum, vt in Sanguine tuo candidatus, laboribus ac simul morbis dealbatus, fiam de numero eorum qui venerunt de tribulatione magna, & cælestibus stolis induti, toti albi & toti candidi in oculis maiestatis tuæ comparent.

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus candidus & rubicundus in paſſione ſua apparuit, vt oſtenderet ſine ſanguine non poſſe fieri peccatorum remiſſionem, quæ eſt animæ purgatio, & ſpiritus dealbatio. Hinc CHRISTVS ipſe candidus in Hoſtia eſt, in calice verò rubicundus, vt in Sanguine Agni candidi ſpiritus noſter candidetur & purgetur. Vnde & Sacerdos celebraturus, cùm induit ſe Alba nitente, dicit: *Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in ſanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar ſempiternis.* Hæc veſtis nuptialis eſt, quæ Baptiſmo candidatur, pœnitentiâ reparatur, decoratur Euchariſtiâ, quam accipit decedens è viuis homo ad cæleſtes Agni nuptias vocatus & inuitatus, nec licet ad eas ingredi ſine nuptialis veſtis candore atque nitore.

Virtus Euchariſtia.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

CVm Rex Martyrum ſacræ ſuæ impenderet ſe paſſioni, *frigus erat.* Ad huc hiems non abierat, quæ condit in cælo niues. Patitur mundus in hieme, vt adueniente vere, floribus ornetur. Patiebatur frigoris tempore CHRISTVS, vt candidas ſe-

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Ioan. 18, 18.

cum niues inueheret in Ecclesiam, quibus sacros suos ministros virtute suæ passionis dealbaret. Hunc appetebat candorem Rex ille, qui dicebat: *Asperges me hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.* Postquam iam hiemales niues cessarunt, coronatur annus solaris, sicut & ipse Rex declarat: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, &c.

Psal. 50, 9.

Psal. 64, 12.

Post niues crucifixis ac cruciferis, qui suarum candori animarum student, accessus datur securus ad coronam: Rex enim Martyrum patienti animæ dicit: *Imber abiit & recessit, surge, propera amica mea, & veni.* Vocatur illa ad coronam & laureolam, *Veni de Libano, veni coronaberis.* Libanus à niuibus nomen habet. Inde anima inuitatur; vt & ipsa dealbata, candidatum Martyrum numerum in sua coronatione referat, & comitetur. Vocabatur huc S. Laurentius Iustinianus, qui proximus morti suos monuit: *Hactenus, filij, per iocum res acta est, seriò nunc agitur. Propè est sponsus, eundum illi obuiàm*: & sublatis oculis in cælum, *Venio*, inquit, *ad te Domine* IESV. Venit ad sponsum vita candidus, moribus purus & mundus.

Cant. 2, 11.

Cant. 4, 8.

Laureola candoris vita.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum spectaculum sanctus FAVSTVS; in quo, veluti in speculo, propter iustitiam laborantis & ægrotantis forma conspicitur.

EM-



Faustus ero, si non biberint tua tela cruorem:
31. *Si largum biberint; tum mage Faustus ero.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXI.
S. FAVSTI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS FAVSTVS ſub Decio Imperatore crucis patibulo adiudicatus, ſuſpenſuſque, ſpatio quinque dierum ſuperſtes fuit, vt, quò pœna productior, eò maior eſſet remuneratio. Fauſtus & *beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur.* Mortales omnes expoſiti infortuniis ſumus. Quis adeò fortunatus & felix, vt aliquando infelix non ſit? Quis ſemper fauſtus, quis beatus ſemper exiſtat? Crucis ligno annexa proſperitas, annexa eſt beatitudo perpetua. Quapropter canit quidam: *Crux præcedat omnem actum, & ſuccedat proſperè.* Crux olim typus infortunij erat, poſtquam verò CHRISTVS in ea paſſus eſt, imago felicitatis euaſit, & qui illam pro iuſtitiâ patiuntur, fauſti ſunt ac fortu-

Metaph. Martyrol. Menolog.

Pſal. 1, 1.

Sympathia Chriſti & Fauſti Artificum iuſtæ paſſionis.

Matth. 5, 10. fortunati. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Conſonat

1. Petr. 3, 13. & D. Petrus: *Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Non officit ſagittarius, nec ſagitta nocet,

1. Petr. 3, 14. *ſed, & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati.*

Crux FAVSTI, Crux iuſtitiæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

Iacob. 5, 11.

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt, & quidem in venerando Miſſæ Sacrificio paſſionem CHRISTI *beatam* nuncupamus. dicimus enim: *Vnde & nos memores, Domine, ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem Filij tui Domini noſtri tam beatæ paſſionis.* Ideò beatam appellamus, quia non ex culpa, ſed ex iuſtitia patientis ortum & originem habuit. Multùm diſcrepant inter ſe iuſtitia & culpa; conueniunt tamen in eo, vt ſectatoribus ſuis portandas cruces imponant. Quanta inter cruces differentia reperiatur, ſanctus Auguſtinus exponit in Pſalm. 45. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla eſt maior tribulatio, quàm conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vulnus non ſit, ſanumque ſit intus hominis, quod conſcientia vocatur, vbicumque alibi paſſus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & inueniet Deum.* Accedit & Bernardus lib. de Conſiderat. *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius eſt & ſecurius bonâ conſcientiâ? Damna rerum non metuit,*

Excitatio laborantis.

metuit, non verborum contumelias, non tormentorum cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur quàm deprimitur. Peccatum quidem mortem stimulat, vt sui auctores interimat, *Stimulus mortis peccatum.* Vbi peccatum deest, stimulus etiam abest: ex quo fit, vt vir iustus non tam morte deprimatur, quàm deprimat ipsam mortem, & non tam ab ipsa instimuletur, quàm ipse illam instimulet. Nouerat ita esse S. Ignatius martyr. Ad Romanos scribit ille: *Vtinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicium, & allici ad comedendum me, ne, sicut aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere! Quòd si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer.*

1. Cor. 15. 59.

Crux FAVSTI, Crux ægrotantis.

QVisquis propter excessum ægrotat, infaustus est, cùm morbus ex culpa procedat. Qui languidus suapte natura est, sanctus censeri non debet, cùm non ex virtute infirmetur, sed ex vitio naturæ laboret. Faustus & felix æger, qui morbum ex diuino beneplacito, virtute & charitate contraxit. Laborabat hoc morbo Eudoxius apud Basilium Epist. 118. cùm diceret: *Gratias tibi ago Pater, ô conditor hominum, quòd nos etiam inuitos beneficiis afficis, & per externum homi-*

Instrumentum artis benè moriendi.

Excitatio ægrotantis.

nem internum purgas, & per aduersa ad beatum nos finem rationibus tibi notis perducis. Hæc Eudoxius è lecto, in quo iacens decumbebat: laborabat etiam hoc morbo Enochius, ad quem Epist. 91. scribit in hanc sententiam Nazianzenus: *Quomodo corpore habes? De anima, quomodo illa valeat, non rogabo: noui enim, quòd admodum rectè, quandoquidem præclarè in illis, quæ corpus concernunt, philosopharis; vt qui quod accidit pro virtutis experimento, non ipsius materiæ disturbatione habeas, vt beatior sis dum malè afficeris, quàm alij dum sani sunt.* Faustus ac beatus æger est, qui sic laborat & orat: Rex gloriose, qui iustus ab iniustis passus es, vt beatam tuam redderes passionem, beatos ac faustos eos qui participes eius forent, concede mihi ægrotanti, vt morbum, quem iacens in lecto patior, non ex mea iniquitate, sed ex virtute, sanctaque tua voluntate feram. Feret ægrotus in hanc formam suas infirmitates, si cor eius similitudinem referat picturæ, & faustum se atque beatum, cùm lecto affixus fuerit, iudicauerit, & in diuinas se manus resignauerit, vt de se vitaque sua pro libito & beneplacito suo Deus decernat atque disponat. Quisquis ad hunc modum se componat, felicior seipso est cùm malè afficitur, quàm cùm benè habet & valet.

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus Martyrum primus omnium propter iuſtitiam paſſus eſt, quem poſteà Martyres omnes ſecuti ſunt, quibus ipſe in Euangelio ait, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Ad has perſecutiones ferendas & ſuſtinendas quantum proſit Euchariſtia, vel ex hoc intelligi poteſt quod ſcribit Cyprianus Epiſt.54. *Vincentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis & Corporis* CHRISTI *muniamus.* Hoc munimento Martyres excitati ad certandum pro iuſtitia ſe committebant, & victores exiſtebant. Hoc ſecuri munimine patientes propter iuſtitiam redduntur & efficiuntur in extremo mortis articulo ſancti viri, quos hoſtis inuadit, & eorum ſanctitatem & iuſtitiam miris modis oppugnat, non expugnat.

Virtus Euchariſtiæ.

Matth.5, 10.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

MArtyr fauſtus, & Martyrium ſimul felix, cui vel in ipſa Crucis paſſione conceditur beatitudo; *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* vnde pulchrè ait Ambroſius: *Si opprobrium tuum glo-*

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Matth.5, 10.

in Pſ.118.

gloria est, Domine IESV, *quanta est gloria tua? Tuæ igitur participatione quid erimus, cuius sumus opprobrio gloriosi.* Tanti hoc faciebat dedecus, vt tenax eius assereret, *Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium Crucis Domini* IESV, *quo nostra auferuntur opprobria.*

Si tanta gloria hæc est, quanta erit gloria tua, Domine IESV, quam beatæ tuæ passionis sectatoribus
Psal. 35, 9. eiusdemque imitatoribus parasti, & reseruasti? *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis*
Laureola iustitiæ. *tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Donec illud lumen veniat, latet necessariò magnitudo sublimis coronæ gloriæ, & eminentia laureolæ triumphalis, quæ viris patien-
1. Cor. 2, 9. tibus propter amorem iustitiæ decreta est. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Propter amorem iustitiæ profitebatur pati se Patroclus martyr, cuius
Extrema verba morientis. fuit extrema vox: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum: tu enim scis Domine, quòd propter nomen tuum has patior pœnas.*

Prodeat in publicum spectaculum sanctus PIONIVS; in quo, velut in speculo, apparet effigies ferentis incentores malorum & morbos.

EM-



Smyrna fuit quondam Plutoni σμύρνα: ſed ecce
32. *Oblita Pionij ſanguine σμύρνα Deo eſt.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXII.
S. PIONII PRESBYTERI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS PIONIVS Presbyter ſub Decio Imperatore delatus, quòd Chriſtianus & CHRISTI Sacerdos eſſet, cruci & ſimul flammis addictus, ſuiipſius ſacrificio Sacerdotium conſummauit. Cæleſtis CHRISTVS cæleſtes nos omnes voluit. *Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Cælum quidem, cùm calores æſtuſque magis vigent, magis niteſcit, magis ſplendeſcit: cæleſtis quoque PIONIVS torretur & inflammatur, & tortus ſimul & toſtus magis emicat & effulgeſcit, ſimilis B. Laurentio, qui martyr æſtiuus extitit, totuſque cæleſtis effectus reſpondit Datiano: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* CHRISTVS Dei Agnus in ara crucis torridus extitit, & ex ſe tantum ſplendorem emiſit, vt omnium oculos illuſtraret. Nec CHRISTO nec Chriſtianis deſunt nec deerunt vnquam perſecutores & incentores malorum, quales apparent in effigie PIONII. Fouent & accendunt ignem perſecutionis, qui mala præſtant officia. Fouerunt paſſionis ignem Pontifices & Sacer-

Metaph. Euſeb.

1. Cor. 15, 48.

Sympathia Chriſti & Pionij Artificum tolerata criminationis.

Sacerdotes, cùm CHRISTVM innocentem fortiter accuſarunt, & ita pertinaciter vrſerunt & inſtiterunt, vt morte crucis damnaretur. Incenderunt rogum PIONII, qui flammis & ignibus materiam ſubminiſtrarunt: iſtos verò alij incentores præceſſerunt, qui & eum apud iudicem detulerunt, quòd Chriſtianus & Sacerdos CHRISTI foret. Grauis Sanctorum crux, cùm apud viros potentes proceresque delatores & criminatores ſe inſinuant, vt ipſis noceant & officiant.

Crux PIONII, Crux incentoris malorum.

Inſtrumentum artis benè viuendi. Daniel. 3.

CRucem PIONII paſſi ſunt tres Hebræorum pueri, quos apud Regem ſuum malorum perfidia accuſauit & denigrauit. Fouerunt ignem, & flammas accenderunt, quibus de Regis mandato addicti fuerunt. Notat Ambroſius Serm. 20. in Pſalmum 118. duplicem eſſe fornacem, ferream vnam, auream alteram: vnam, in qua ſectatores ſuos mundus vrit & conſumit; alteram, in qua Deus aſſeclas ſuos tamquam aurum probat, excoquit, & purgat.

Deut. 4. 20.

Hebræi quamdiu in Ægypto erant, in fornace erant ferrea. vnde ſcriptum eſt, quia eduxit eos de fornace ferreâ ex Ægypto. Fornax erat ferrea, quia nullius adhuc in Ægypto opera plena virtutum elucebant, nullius aurum illic fuerat

fuerat comprobatum, nullius plumbum iniquitatis exustum. Dura fornax, fornax noctis perpetuæ. Quam fornacem nullus poterat euadere, quæ omnes consumeret, in qua esset solus dolor & luctus. Hæc crux, hæc fornax mundanorum est. *At verò fornax, in qua Ananias, Azarias, Misaël hymnum Deo canebant, fornax illa aurea non ferrea, per quam toto orbe sapientia fide deuotionis illuxit. Erat etiam hæc fornax in Babylonia, vbi aurum non erat nisi spiritale, nisi fortè captiuum: captiuam enim duxit captiuitatem. Hoc erat aurum in Dei Sanctis, qui captiui erant apud Babylonios corpore, spiritu autem liberi apud Deum, soluti vinculis captiuitatis humanæ, iugo gratiæ spiritalis innexi.* Hæc Crux, hæc fornax eorum, qui criminatores & incentores malorum, more CHRISTI & PIONII martyris generosè patiuntur.

Excitatio laborantis.

Psal. 62, 29.

Crux PIONII, Crux ægrotantis.

DEus pius ac clemens, qui non vult mortem peccatoris, ante mortem præmittit ignes febriles, vt cùm illos delibauerit peccator, æternos ardores timeat & effugiat. *Descendant*, Psaltes ait, *in infernum viuentes.* Quòd si cultores iustitiæ infirmi existant, indigeantque purgatione, ne acribus Purgatorij flammis mancipentur, febriles ignes patiantur: & si puri ac mundi sunt, ardor febrium ad splen-

Instrumentum artis benè moriendi.

Psal. 54, 16.

Excitatio ægrotantis.

dorem deseruiat animarum. Consonant sibi morbus & martyrium PIONII: consonant sibi rogus & ignis Purgatorij, quemadmodum CHRISTVS ipse suæ Birgittæ exposuit libro 6. cap. 35. *Vidisti animam illius Monachi defuncti in specie stellæ, & meritò, quia idem in vita sua lucidus & ardens erat quasi stella, quia me præ omni creatura dilexit, vixit & in obseruantia Præpositi sui. Hæc etiam anima ostendebatur tibi, antequam moreretur, in statu illo in quo tunc fuit, quando monstrabatur tibi, & hoc fuit quando ipsa venit ad vltimum terminum vitæ suæ, & quando signa ægritudinis demonstrantia mortem aderant. Hæc ergo cùm ad vltimum terminum mortis appropinquaret, venit ad purgatorium, & illud purgatorium erat corpus suum, vbi purgabatur doloribus & infirmitatibus. Et ideò quasi stella in vase aperto demonstrabatur tibi, & hoc fuit, quia arsit charitate mea, & ideò nunc est in me, & ego in ea.* Nec quidem talis anima euasisset, nisi inter ardores febriles cor suum in similitudinem picturæ efformaret, patientiæ virtute fulgeret, splendesceret charitate.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistiæ.

REx gloriosus passus est grauium incentores malorum. Accenderunt illi rogum, in quo torridus Agnus apparuit ipse, & ipse se comedendum patien-

patientibus incentores malorum & morborum præstitit, vt eorum malignitatem magis tolerabilem sua virtute redderet. Sacra Eucharistia cæleſtis roris inſtar eſt iis, qui igne accenſo probantur. Et quidem dum lecto affixus febribus ardet homo, non caret incentoribus malorum, cùm in ſe habeat humores, qui accendunt flammas & ignes, vt intus & foris crucietur & concremetur. Socrus Simonis in hoc ipſo ſtatu erat, cùm ingreſſus eius domum CHRISTVS Dominus *imperauit febri, & dimiſit illam.* Dimiſit illam ad tempus, in tempore reditura. Cùm verò CHRISTVS morientis domum ingreditur, & in Viaticum accipitur, imperat morbo, imperat febri, imperat incentoribus vtriuſque, vt relinquant ægrotantem, & liberum abire ſinant in terram illam viuentium, vbi clamor vltrà non erit, *nec vllus æſtus.* Non percutientur ab æſtu, quorum exitum comitantur Sacramenta illa cæleſtia, quæ diuina paſcua ſunt, & tantæ quidem virtutis, vt omnem animarum eſuriem tollant, omnem ſitim planè extinguant.

Luc. 4, 39. *Viaticum.* Apoc. 7, 16.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

MArtyrium PIONII vir patiens ſuo experimento facilè diſcit verum eſſe quod dicit de in-

incentore malorum cap.28, 11. Ecclesiasticus: *Homo iracundus incendit litem*, &c. *& lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducit mortem*, vt qui eius tyrannidem patitur, martyr esse censeatur, dignus profectò præmio confessoribus destinato, si tamen ignem patienter ferat, Deo suum sanguinem offerat, & inflictam mortem subeat.

Laurea tolerata criminationis.

Hoc illud præmium coronæ aureæ & laureolæ, cuius meminit Dauid Psalm.30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum*. Sub hac protectione erat martyr laureatus, cui cùm diceret tyrannus, *Resipisce, atque sententiam muta, & auferentur claui*; respondit martyr: *Eos inesse sensi.* Et cùm paulisper cogitabundus mansisset; *Idcircò*, inquit, *dormire festino, vt celeriùs surgam.*

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum spectaculum sanctus APOLLONIVS; in quo, veluti in speculo, ferentis perpetuos labores & morbos forma conspicitur.

EM-



Facta perennarint tua si malefacta, Perenni;
33. *Mors tibi, martyribus vita perennis erit.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXIII.

S. APOLLONII CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS APOLLONIVS Iconij ſub Præſide Perennio paſſus crucis ſuſpendium, vitam abſoluit, cæloque donatus eſt; ſub Perennio paſſus eſt, vt incorrecta perſecutoris malitia, & inuicta Confeſſoris patientia magis innoteſcerent. CHRISTVS cùm eſſet affixus cruci, non admiſit, ſed reiecit iniquorum Iudæorum conſilia dicteriaque ſuadentium atque dicentium, *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Videbantur quodammodò optare, & ſimul conari, ne perpetua crux CHRISTI eſſet; CHRISTVS verò mentis alterius erat, ne deſereret, vt & redemptionem noſtram abſolueret, & nos ad crucis perpetuitatem vocaret & excitaret. Ergo ſi quis aliquando ſuggeſſerit, vt paſſionem intermittas, & de patientia remittas, ne eius ſuggeſtionibus acquieueris, memor CHRISTI & APOLLONII, quorum crux perpetua fuit. Sub Præſide Perennio patitur, quem ſemper hoſtis infeſtat, opprimit ſemper & torquet, ne crux vmquam deſit, ſed neque deeſſe oportet, cùm S. Leo dixerit Serm. 9.

Metaph. Martyrol. Menolog.

Sympathia Christi & Apollonij Artificum perpetua patientia. Matth. 27, 42.

Qua-

Quadrag. *Nemo eſt, dilectiſſimi, cui per conditionem temporis ſocietas huius gloriæ denegetur, tamquam tranquillitas vacua ſit occaſione virtutis, Apoſtolus enim prædicat* 2.Tim.3, 12. *dicens: Omnes, qui volunt in* CHRISTO *piè viuere, perſecutionem patiuntur; & ideò numquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi numquam deſit obſeruantia pietatis.*

Crux APOLLONII, Crux perpetui laboris.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

HAbet cum aqua tribulatio conſonantiam, & quidem plures tribulationum quàm aquarum fontes ſunt. Perennis fons laboris, & tribulationis Crux CHRISTI eſt, de qua loquitur Auguſtinus Serm.12. de Sanct. & ait: *Crux Domini non tantùm illa dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur, ſed illa etiam, quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur.* Accedit & Clemens Alexandrinus, qui lib.7. Stromat. in hæc verba myſticum Apollonium deſcribit: *Qui cùm vera religione vitam inſtituerit, maximam inter homines dignitatem conſecutus, nec ſic quidem eò perueniet, vt dicatur in carne perfectus, quoniam hanc appellationem præoccupauit vitæ finis, cùm, qui eſt martyr ex cognitione, iam eò peruenerit, vt perfectum opus oſtenderet, ſanguine per charitatem ex cognitione profectam, benignè donatum amittens ſpiritum.* *Excitatio laborantis.* *Beatus hic fuerit, & iure perfectus vocetur, vt ſublimi-*

tas

tas poteſtatis ſit Dei, & non ex nobis. Accedit & Iuſtinianus cap.2.de Sobriet. *In hac ſobrietatis cruce per totam iſtam vitam quæ in mediis tentationibus poſita eſt perpetuò debet pendere Christianus.*

Crux APOLLONII, Crux ægrotantis.

HOc APOLLONII, imò & veri Apollinis CHRISTI oraculum eſt: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Pulchrè Bernardus, qui ſemper ægrotus vixit, Serm.1. in die Paſchat. dixit: *Non ceſſemus tollere crucem noſtram, donec dicet Spiritus, vt requieſcamus à laboribus noſtris.* Deus quidem, donec mundus abſolueretur, more ſuo laborauit, poſteà verò quieuit, præluxitque exemplo homini, vt donec ipſe mundo, in quo viuit, abſoluatur laboret & infirmetur, expectetque donec poſt obitum in requiem cæleſtem admittatur. *Tunc temporis abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Conuenit APOLLONIVS cum CHRISTO dicente: *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt.* Cùm è cruce iam penderet, opus ſuum abſoluit ac dixit: *Conſummatum eſt.* Diem igitur totum in Patris obedientia poſuit, & ſanctæ crucis paſſione ac patientia opus ſuum omnino

Inſtrumentum artis benè moriendi. Matth.24. 13. *Excitatio ægrotantis.* Apoc.21, 4. Ioan.9,4. Ioan.19, 30.

nino perfecit. Conueniat & æger cum CHRISTO, & anteactæ vitæ labores, dum iacet in lecto, laudabili suæ infirmitatis tolerantia perficiat & consummet. Finis coronat opus, & transactam iam vitam mors gloriosa superueniens honorat & illustrat. Huc venerat iam moriturus Abbas Pambo, & post perpetuos labores adstantibus sibi viris ait: *Ex quo veni in hunc locum solitudinis, & fabricaui mihi cellam, & habitaui, extra laborem manuum mearum non recolo me comedisse, nec pœnituisse de sermone quem locutus sum vsque ad hanc horam. Et sic vado ad Dominum, quomodo qui nec initium fecerim seruiendi Deo.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus Eucharistia.

REx gloriosus ingrediens in hunc mundum, obtulit se passioni, & à primo momento creationis cœpit laborare, nec quieuit, donec in cruce expirauit. In memoriam tantæ passionis sacram Eucharistiam condidit, vt perpetua eius patientia coleretur, & cultores ac communicatores omnes acciperent tolerantiam, qua labores & infirmitates perpetuas sustinerent. Hæc natura, hæc conditio est venerabilis Sacramenti, vt quæ in eo colitur virtus, communicantibus illam dispenset ac tribuat. Requies laboris perpetui sacrosancta Hostia est, & tunc

maximè

maximè ſuam oſtendit vim, cùm natus ad laborem homo ſacrum percipit Viaticum, cuius cæleſti officio ac beneficio mors ipſa finis laborum eſt, & poſt moleſtum ac laborioſum humanæ mortalitatis iter placida quies & requies promiſſa datur viantibus & laborantibus, qui *in Domino moriuntur*: qui in exitu viæ ac vitæ illum in Sacramento percipiunt.

Viaticum.

Apoc. 14, 13.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

PErpetuum quoddam martyrium profeſſori artis viuendi indicitur: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* quin potiùs ſemper mortificari, vti cum Dauide teſtatur Apoſtolus ſcribens ad Romanos cap. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate* CHRISTI? *tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.)* Vel ob hanc cauſam S. Lucam celebrat Eccleſia, cuius hæc oratio eſt: *Interueniat pro nobis, quæſumus Domine, ſanctus tuus Lucas Euangeliſta, qui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore pro tui nominis honore portauit.*

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Quem ferat fructum continua & perpetua mortificatio, teſtatur Apoſtolus 2. Corinth. cap. 4, 8. *In om-*

omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; deiicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem IESV *in corpore noſtro circumferentes, vt & vita* IESV *manifeſtetur in corporibus noſtris.* CHRISTVS Rex viuit & regnat perpetuò, ex quo ſit, Chriſtianum virum, in cuius corpore vita eius patefit, debere corona æterna illuſtrari; cumque illa perpetua ſit, perpetuis debet laboribus comparari. Accedit Iuſtinianus de Caſto connub. cap.7. *Quoſdam ſupra communem modum, & vltra humanas vires Dei ſapientia tentari permittit, vt illos continua & acerrima pugna præ ceteris glorioſiores faciat. Neque ad momentum permittuntur quieſcere, vt deuicto triumphatoque hoſte iucundiùs in perpetuas gaudeant æternitates:* gaudeant coronati, triumphent laureati. Interim tamen dum perpetuò laborant & ægrotant, ſit eorum ſupplicatio, quæ fuit Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis extremè iam ægrotantis: *Domine, da mihi hîc modò patientiam, poſteà indulgentiam.*

Laurea perpetui laboris.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus THEODVLVS; in quo, veluti in ſpeculo, ferentis iniquam ſeruitutem & infirmitatem forma conſpicitur.


EM-



Obsequium Domino fidum Theodule dedisti:
34. *Nil potis es factis addere: liber eris.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXIV.

S. THEODVLI CRVCIFIXI EXPLICATA.



SANCTVS THEODVLVS, Diocletiano & Maximiliano Imperatoribus, fidus ſeruus Præſidentis Firmiliani, pro ſuo in herum ſeruitio crucis tormentum paſſus, mercedis loco ſuſpendium crucis inuenit, inuenit & apud Deum, cui fideliter inſeruierat, cæleſtis vitæ ſtipendium. Conditionem probi ſerui declarat iniqua ſeruitus. Caſtitatem & modeſtiam modeſti & caſti Ioſephi heræ ſuæ impudicitia ſatis oſtendit. Seruiebant Hebræi Ægyptiis, & dominorum ſæuitia virtutem ſeruorum prodidit. Laudabilis ſeruus, qui vel iniquo domino in rebus decoris obſequium debitum præſtat; in rebus verò indecoris ſuum denegat famulatum. THEODVLVS Firmiliani mandatis obtemperauit, quamdiu æqua & honeſta ille imperabat: abuſus eſt dominio ſuo, & fidelis ſeruus infidele recuſauit imperium, defecit à Firmiliano, qui & eum ſupplicio immeritæ crucis affecit. Diſce, qui ſeruitio alieno adſtringeris, more CHRISTI, dominanti, etiam iniquo, ſedulam obedientiam

Euſeb. Martyrol.

Sympathia Chriſti & Theoduli Artificum tolerata iniquæ ſeruitutis.

tiam præstare, si tamen imperata, si iussa fuerint æqua; sin minùs, mandata detrecta, nega obedientiam. Nouit Deus obsequia debita heris iniquis æterna mercede soluere, cùm iura virtutis seruantur. Auctor est mihi Augustinus libro de Vera inuocat. cap.34. *Ita à plebibus Principes, & à seruis domini sunt ferendi, vt sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, & sperentur æterna: auget enim meritum virtutis, qui propositum non violat religionis.*

Crux THEODVLI, Crux iniquæ seruitutis.

Instrumentum artis benè viuendi. 1.Pet.2, 18.

AD THEODVLI crucem vocat Apostolus, cùm dicit: *Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis; hæc est enim gratia* CHRISTI Domini nostri. Non tam æqua quàm iniqua, non tam suauis quàm aspera seruitus virtutis meritum auget: vbi maior iniuria, maius est in præmium ius. Eapropter Paulus Apostolus seruis omnibus commendat, vt non modò blandis & mitibus, sed etiam diris ac duris Principibus humile suum obsequium impendant. *Hæc est enim gratia* CHRISTI Domini nostri, qui existens in forma Dei, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,* vt sub forma

Excitatio laborantis.

Phil.2, 6.

ma ſerui non Deo Patri ſolùm, ſed & impiis ac ingratis dominis ac Principibus vſque ad mortem, mortem autem crucis inſeruiret. Nec dubium, quin gratiâ CHRISTI diſpoſitum ſapienter ſit, vt THEODVLVS foret ſub dominio Firmiliani, quandoquidem ex iniqua ſeruitute glorioſum eius martyrium ortum habuerit. Benè cenſet ac iudicat Iſidorus libro 3. Sentent. cap.47. dum ſic definit: *Melior eſt ſubiecta ſeruitus, quàm elata libertas. multi enim inueniuntur Deo liberè ſeruientes ſub dominis conſtituti flagitioſis, qui etſi ſubditi ſint illis corpore, prælati tamen ſunt mente.* Sub domino iniquo ac flagitioſo erat Lucius, cuius meminit Nicephorus lib.3.cap.3. Martyr hic egit gratias Præfecto, gaudens *à malis ſe dominis liberari, & ad Deum Patrem, & ad Regem optimum tranſire.*

Crux THEODVLI, Crux ægrotantis.

SEruitutem corruptionis, & illam ſatis iniquam, omnes homines patiuntur. Nam, vt pulchrè Dionyſius Eccleſ. Hierarch. cap.3. Parte 3. §.11. ait, *naturam humanam, ab initio diuinis bonis imprudentiâ ſuâ ſpoliatam, vita paſſionibus obnoxia, & tetræ mortis exitus excepit: vnde homo miſerè æternitatem cum mortalitate commutauit, & qui originem à corruptibili generatione acceperat, ad interitum origini ſuæ conſentaneum iure merito* *Inſtrumentum artis benè moriendi.*

 pro-

Eccli.8,6. *properauit*. Quare *memento quoniam omnes in corruptione ſumus*, ait Eccleſiaſticus. Et Paulus Apoſtolus capite 8. ad Romanos hoc ipſum confirmat: *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Hæc dura & dira, hæc iniqua ſeruitus eſt, à qua eximitur nemo, nemo excipitur: hæc nos lecto ægros, ſepulchro mortuos nos addicit. Cùm ægrotamus, & morimur, iura huius iniquæ ſeruitutis ſoluimus: nec in lecto ſolùm, ſed etiam in ipſo ſepulchro debitum à nobis corruptionis exigitur, in corpore luimus, & illud pendimus. Huius ſeruitutis impa-
Rom.7, 24. tiens patientiſſimus Paulus exclamabat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Corpus mortis appellat, corruptioni omnino ſubiectum. Nec quidem caro noſtra mortalis proprietatis iure ſolùm, ſed etiam iure poſſeſſionis & apprehenſionis
2 Reg.13, 14. ad mortem iam pertinet, quandoquidem *omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.* Interim dum homo corrumpitur & moritur, captus tenetur ſpiritus, &
Excitatio ægrotantis. cupit diſſolui, & eſſe cum CHRISTO. In hoc ſtatu erat Baſilius, cùm Epiſt.60. ſcriberet ad Eccleſiam Antiochenam: *Quis dabit mihi alas inſtar columbæ? Nunc verò non ſolùm alis deſtituor, ſed ipſo quoque corpore,*

pore, quod & longa iamdudum ægrotatione, & nunc continuis laboribus prorſus attritum eſt. Attrita veſtis corporis erat morbis atque laboribus; quæ mutanda iam in æternæ incorruptionis ornamentum ſperabatur. Pater noſter Deus eſt, qui cùm veſtes charorum ſibi filiorum iam tritas & corruptas videt, de indumentis incorruptionis dandis cogitat, vt habitum ſeruilem in glorioſum ornatum commutent. Commutauit eum THEODVLVS, commutabit & æger, ſi cor eius in ſimilitudinem euadat picturæ, & in ſtatu corruptionis ſuæ incorruptis moribus Deo ſanus & æger ipſe inſeruierit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus veluti verus Ioſeph ante filios Iſraëlis miſſus eſt, vt iniquam ſeruitutem pateretur, & exemplo præluceret iis, quos eadem expectabat conditio ſeruitutis. Quòd ſi Ioſephus fratribus de annona prouidit, vt ingredientes Ægyptum alerentur, & ſimul excitarentur ad ſeruitutis Ægyptiacæ tolerantiam; verus Ioſeph nobis condidit Euchariſtiam, qua refecti, iugum ſeruitutis humanæ, etſi iniquæ, laborantes & ægrotantes æquo animo feramus, donec, ſumpto iam Viatico, ex mundi Ægypto exeamus. Quàm bonus eſt ille exitus, in quo

Virtus Euchariſtiæ.

Viaticum.

CHRISTVS ducem ſe conſtituit, & offert diram & ſæuam carnis ſeruitutem patienti, atque in extremis dicenti: *Deduces me, & enutries me.* Quem ſacra ſua carne fouet CHRISTVS & nutrit, hunc eumdem per viam mortis arduam, dubiam & periculoſam ducit ac regit. Prouidit Deus olim de Angelo incluſo nube, qui præiret & præcederet Hebræos, cùm euaderent iam liberi ex captiuitate Ægyptiaca, nec illos deſereret, donec eos in tuto ſiſteret & ſtatueret. Excedit hoc beneficium maiorem in modum Euchariſtica gratia, cuius fauore non Angelus è cælis mittitur, qui abeuntem comitetur, ſed ipſe Rex Angelorum nube candida Hoſtiæ incluſus, adhæret obeunti, vt ducatum ſuum illi præſtet qui ex Ægypto mundi egreditur, & eius lateri adhærens, nuſquam deſerat, donec per auia & inuia mortis itinera in patriam cæleſtem reducat, vbi ſumma libertas eſt, & vbi ſolemnis ſemper agitur de iniqua ſeruitute triumphus.

Pſal. 30, 4.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

SAtis graue iniquæ ſeruitutis martyrium, quod paſſus & expertus eſt vetus ille Patriarcha, cuius meminit Dauid, & martyrium eius expoſuit Pſalmo

mo 104, 17. *Misit ante eos virum, in seruum venumdatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius.* Ferrea hæc seruitus erat, cuius meritum adhuc in ipso seruitutis loco Deus clemens compensauit. *Eloquium Domini inflammauit eum: misit rex, & soluit eum; princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Ut erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Subiungit deinde Psaltes: *Et intrauit Israël in Ægyptum.* Ingressus Ægyptum est, vbi iniquam passus populus est seruitutem, cuius præcursor extitit priùs Iosephus, præco simul & vates præmij & remunerationis, quæ ferentibus hanc crucem diuinitus promittitur & conceditur, postquam iniqua seruitus patienter tolerata exitum suum habuerit.

Psal. 104, 19.

Vers. 23.

Habuit exitum gloriosum seruitus illa Hebræorum, quandoquidem in egressu terræ Ægyptiæ, & transgressu maris Rubri donati iam libertate, voce consona cecinerunt: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.* Canticum hoc gloriosum non solùm in littore Rubri maris, sed etiam in regno cæli sonant ac resonant Israëlitæ, de sæua mundi huius seruitute so-

Exod. 15, 1.

lemnem triumphum agentes ac celebrantes, cùm cap. 15. Apocalypſis Ioannes dicat: *Et vidi tamquam mare vitreum miſtum igne, & eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei, & canentes canticum Moyſi ſerui Dei.* Canunt victores coronati & laureati, ac celebrant ſuam ab iniqua ſeruitute liberationem. Coronatus & laureatus canit hymnum triumphalem THEODVLVS, cuius extrema vox erat in martyrio ſuo: *Veſtimenta quidem à corpore diuellere poteris, mentis autem fidem non auertes in æternum.*

Laureola iniquæ ſeruitutis tolerata.

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum ſpectaculum Sancti SCILLITANI, ſpeculum & forma eorum, qui laboribus & morbis vndique affliguntur.

EM-



Dum videt in stadio paribus tot currere fatis
35. *Christus; Non vni, Paule, βραβεῖον, ait.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXV.

SS. SCILLITANORVM CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

SANCTOS SCILLITANOS, Seuero Imperatore, Saturninus Præfectus cruci addixit, & affixit. Nomina Martyrum ſunt: *Speratus, Natalus, Cythinus, Beturius, Felix, Aquilinus, Lætatius, Januarius, Generoſa, Beſſia, Donata, Secunda*, qui omnes ab inſula Scilla Nomenclaturam ſuam acceperunt. Quid paſſio CHRISTI eſt, niſi vaſtus & magnus Oceanus? *Veni*, inquit crucifixus, *in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Habet mare inſulas ſuas, habet & pelagus ſacræ paſſionis inſulanos, & SCILLITANOS ſuos, in quorum martyrio Deus honoratur, Deus glorificatur. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. Qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius; inſulæ, & habitatores earum. Subleuetur deſertum, & ciuitates eius: in domibus habitabit Cedar. Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nuntiabunt.* Contemplare SCILLITANOS in inſulam quamdam re-

Beda. Martyrol.

Sympathia paſſionis Chriſti & Scillitanorum.

Pſal. 68, 3.

Iſai. 42, 10.

dactos : hinc & inde crucibus plena omnia, sicut in effigie apparet : apparet & apertum cælum, vnde subsidium expectatur. Insula cingitur mari, & cùm quis passionibus CHRISTI obsidetur, & vndique laborum fluctibus impetitur, similis SCILLITANIS est.

Crux SCILLITANORVM, Crux vndique afflictorum.

Instrumentum artis benè viuendi.

QVi degunt & habitant in insulis vasti Oceani, nihil extrà considerant, nisi sæuum mare, fluctus, procellas & tempestates : sunt & afflictæ animæ, quæ ex omni parte vexantur : quidquid vident extra se molestum sibi, graue & laboriosum est. Redacti ad insulam sunt, & tamquam cum insulanis colloquitur Bernardus in Psalm.90. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem : quoniam vndique circumdati estis tentationibus : vnde & legistis, quia vita*
Iob 7, 1. *hominis tentatio est super terram. Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, vt non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari; peruigili circumspectione opus est, ne inducamur in eam : vnde & est illud in Oratione Domini-*
Matt.6,13. *ca, Et ne nos inducas in tentationem; quia vndique cir-*
Excitatio laborantis. *cumdatus sic es tentationibus, scuto circumdabit te veritas*
Psal.90,5. *eius, vt quemadmodum vndique bella, ita & vndique sint præsidia.*

præsidia. Attende. Ex insulis quidem non solùm mare despicitur, verùm etiam cælum prospicitur: ex mari labor ascendit, ex cælo verò fauor omnis descendit. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu.* Psal. 90, 1. Hæc vox SCILLITANORVM, & vndique afflictorum est. In hoc statu Basilius erat, ad quem Epist. 39. scribit Gregorius: *Non sum veritus, vt aliquid alienum à Philosophia in hisce rebus tristibus designares: sed arbitror nunc potissimùm Basilium meum conspicuum futurum, illumque quam Philosophiam mecum amplexus est, insultusque velut altos quosdam fluctus superaturum, ac reliquis perturbatis immotè perstiturum esse.*

Crux SCILLITANORVM, Crux ægrotantium.

SImiles SCILLITANIS iudicandi ægri sunt, quibus ad instaurandam valetudinem omnes viæ intercluduntur: cibus nocet, potus officit, medicinæ non prosunt, desperant Medici, morbus ingrauescit. Quisquis ita malè habet, capitur vndique morbis, vndique tenetur & obsidetur, ne subsidium corpori infirmo accedat: patet tamen cælestis via, per quam remedium descendat. In hunc statum redactus erat Chrysostomus, & ipse æger, cùm Epist. 13.

Instrumentum artis benè moriendi.

Excitatio ægrotantis.

ſcribit ad Olympiadem : *Triginta propemodum dies, aut etiam ampliùs , cùm acerbis febribus colluctari non deſtiti , atque ita longum hoc & moleſtum iter agebam, aliiſque item grauiſſimis ſtomachi morbis obſeſſus.* Benè
Pſal.40,4. precatur iacenti in lecto Dauid , cùm ait , *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius.* Conſiderat Dauid cinctum vndique doloribus & languoribus hominem ægrotantem , qualis ciuitas eſſe ſolet , cùm ab hoſtibus arctam obſidionem patitur. Hoſtes naturæ noſtræ morbi ſunt, à quibus illa obſidetur, capitur, tenetur in lecto , in morte, & in ſepulchro iacet. Nouit Deus ſic obſeſſis auxilium , ſubſidium &
Pſal.33,20. opem ferre. *Multæ tribulationes iuſtorum, ſed de his omnibus liberabit eos Dominus.* Baſilius in hunc locum: *Si quando in morbis, in corporis mutilatione, orbitatibus, plagis , ignobilitate , omni denique egeſtate , ac bonorum amiſſione , iuſtos homines conſtitutos videris , reminiſcere verbi huius quòd multæ ſunt tribulationes iuſtorum , & ex omnibus liberabit eos Dominus.* Confluant vndique hoſtes , vndique & morbi compoſito agmine inuadant, non eſt cur timeat æger, ſi tamen cultor iuſti-
1.Pet.3,13. tiæ ſit. *Quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis ?* Muniat ſe ſcuto patientiæ , quo ſe CHRISTVS communiuit , vt ſaluus & incolumis ex morbo ſuo euadat , curſum vitæ peragat , & brauium cæli capiat.

piat. Redactus ad insulam erat S. Ephræm, dum loquitur in Testamento: *Omni ex parte langueo atque dissoluor, & ferre nequeo, doloresque me grauiùs conficiunt.* Dum impetum immanem morborum miser homo totus afflictus patitur, opem à Deo imploret, precetúrque totus supplex: Rex gloriose, qui nostra circumdatus infirmitate, semper vixisti & obiisti, adesto misero ægro, quem vndique morbi inuadunt, circumdant, ac simul conturbant.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus potestati sæui maris dominatur, & frementes eius fluctus imperio suo sedat ac mitigat. In signum huius dominij apud Matthæum cap. 8. *Surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Idem ipse venit in altitudinem maris passionis suæ, vt ostenderet se dominatum & imperium in pelagus tribulationum & morborum habere & exercere, quandoquidem seruis suis afflictis vndique virtute sanctæ Crucis & Eucharistiæ succurrit. Mirabilis Agnus Dei in Eucharistia est, qui sedat mirabiliter sæuum mare, componitque imperio suo animos afflictorum, ne afflictionum timeant fluctus & ictus tribulationum & dolorum non solùm illæsi excipiant, sed etiam incolumes *Virtus Eucharistiæ.*

omnino eos repellant & frangant. Nouit ſumma Dei omnipotentia effræne comprimere mare, nouit turgidum claudere & concludere pelagus, ac proinde Deus agens de potentia ſua in mare teſtatur:
Iob 38,10. *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia. Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Pulchrè ad hunc locum Gregorius lib.28. Moralium cap.9. *Quid,* inquit, *eſt mare niſi cor noſtrum furore turbidum, rixis amarum, elatione ſuperbiæ tumidum, fraude malitiæ obſcurum, cui Deus terminum poſuit, ne omnia bona animæ ſubrueret. Circumdat illud terminis ſuis, quia cor noſtrum tentationibus timidum, occultis donorum diſtributionibus mitigat, ne ad conſenſum mali veniat. Hinc dum electus quiſque tentatur vitiis, & tamen facere mala ſuggeſta renititur, quaſi mare clauſum tenetur, quod mare quidem in tumorem ſe erigit, ſed dum fixa deliberatione cordis illiditur, fractum redit.* Turgebat & tumeſcebat magnum
Pſal.68,3. paſſionis mare, de quo CHRISTVS: *Veni in altitudinem maris.* Hoc ipſum terminis Euchariſticis concluſit, & poſuit vectem & oſtia, ne per panis & vini accidentia daretur locus paſſioni, acceſſus & ingreſſus prohiberetur. *Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Huc vſque venit, & ampliùs non procedit ſæuum

ſæuum dolorum mare, cuius tumentes fluctus virtute ſacræ Euchariſtiæ confringuntur, præſertim cùm tempeſtas mortis aſſurgit, & ſacri Viatici vi deiicitur & diſſoluitur. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

DIuus Bernardus docuit & oſtendit ſacrum ac validum ſcutum veritatis, quo cingitur vndique homo, cuſtoditur ac defenditur contra concurſum aquarum, & contra confluxum turgentium tumentiumque in mari fluctuum, quibus vir patiens impetitur & verberatur. Scutum inuenit Bernardus datum & oblatum à Rege Hebræorum Dauide, qui redactus ipſe in inſulam, & ſimul concluſus dicebat: *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus.* & rurſus: *Circumdederunt me dolores mortis.* Expertus ipſe diuinum protegentis Dei auxilium, dixit afflicto vndique homini: *Scuto circumdabit te veritas eius.* *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.* Pſal. 39, 13. Pſal. 17, 5. Pſal. 90, 5.

Poſt hæc in eodem Pſalmo Dauid tentatum vndique & afflictatum iubet ſperare benè de Deo, qui amanter cum eo loquitur: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Pſal. 90, 14.

Longi-

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Loquitur cum mystico Iobo, cui bona hæc contigerunt; agensque cum eo Dauid, certum reddit, nullum nocumentum mala inflicta paritura, allatura potiùs coronam & laureolam gloriosam. *Non accedet ad te malum.* Basilius in Scholiis: *Diabolicos insultus vinces, nec damni quidquam ex illis patieris. Ad hunc modum domum Job diuina gratia obsepsit. Et testis huius est hostis ipse clamans: Numquid tu obuallasti interiora & exteriora eius? Ut verò Deus permisit, mox & satan malitiam suam ostendit, & athletam iustus index victoriam consecutum coronauit.* Coronauit & Martinum, cuius lecto cùm accedere tentaret sæuus & immanis hostis, eum expulit infirmus. *Quid*, inquit, *adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.*

Laureola omnimoda afflictionis.

Psal. 90, 10.

Iob 1, 10.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum spectaculum sanctus PETRVS BALSAMVS; in quo, veluti in speculo, religiosi status, & simul morbi forma conspicitur.

EM-



Balsama ne functum stipent tibi, Balsame, corpus:
36. *E ligno vitæ nulla putredo venit.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXVI. S. PETRI BALSAMI CRVCIFIXI EXPLICATA.

DIVVS PETRVS, qui cognominatus est BALSAMVS, imperante Maximiano roſeum balſami colorem in ſe præferens expreſſit, & in odorem ſuauitatis, fracto corporis alabaſtro, in crucis ara ſpiritum ſuum effudit. Faceſſat hinc proditor Iudas, nec dicat, *Ut quid perditio hæc?* Niſi glorioſus PETRVS in cruce balſamum vitale effudiſſet, ac perdidiſſet, actum de illo eſſet, & periiſſet. *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Euaſit ſuo prototypo ſimilis, qui totum ſeipſum dedit, vt nos acquireret ſibi. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Prior CHRISTVS pretioſi balſami inſtar in cruce ſeipſum profudit, edoctuſque ab ipſo BALSAMVS, ſe cruoremque ſuum in cruce deuouit, monuitque cruciferos omnes, *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* Quæ verba verſans & explicans Auguſtinus Epiſt. 45. ſcribit: *Etſi non vouiſſes, quid aliud tibi*

Surius in Ianuar.

Matth. 26, 8.

Ioan. 12, 28.

Ioan. 12, 24.

Sympathia Chriſti & Balſami Artificum perfectionis religioſa.

Pſal. 75, 12.

ſuadendum fuit, aut quid melius ab homine fieri poteſt, vt ei reſtituat à quo inſtitutus eſt, præſertim quia charitatis erga nos Dei tantum apparet atque illuxit indicium, vt Filium ſuum vnigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur. Quid ſi monaſticam vitam ingreſſus, & in ea profeſſus, vota religioſa paupertatis, obedientiæ & caſtitatis emiſeris? Cruci CHRISTI te adſtrinxiſti, vt myſticus balſamus eſſes, & incruento martyrio te totum Deo ſacrares, mancipares, & afflares gratam tam Deo quàm hominibus fragrantiam. *Competit itaque tali viro, vt reliquos ad te pertrahas, ac quoſdam appropinquantes tibi pretioſi cuiuſdam vnguenti fragrantiâ, morum tuorum comitate adimpleas.* Hæc Baſilius Epiſtola 45.

Crux PETRI BALSAMI, Crux hominis Religioſi.

Inſtrumentum artis benè viuendi. Matth. 19, 27.

PEtrus Apoſtolus cunctorum Religioſorum vices & partes agens aſſerüit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Non coactè, ſed ſpontaneè omnia reliquimus. Benè Chryſoſtomus Homil. 42. in Geneſ. *Dominus noſter, non quanta dentur, conſueuit attendere, ſed voluntatis largitatem, & ob hoc etiam parua magna facit.* Secuti ſumus te non neceſſitate compulſi, ſed attracti voluntate, quæ nos in tui poteſta-

tem

tem transtulit. Benè Augustinus lib.1. Soliloq.cap.7. *Constanter Deo crede, eique totum te committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate, sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum esse profitere. Ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Secuti sumus te, non imperio, sed consilio, castas animas offerentes, quæ sint templum Spiritus sancti. Benè rursus Augustinus in Psal.131. *Quid vouimus Deo, nisi vt simus templum Dei? Nihil gratius ei possumus offerre, quàm vt dicamus ei quod dicitur in Isaia, Posside nos.* Pretiosum balsamum est, quod sponte sua ex arbore profluit, & in possidentis manus venit. Hoc PETRI BALSAMI sacrificium est, & hoc ipsum in ara crucis religiosæ Deo immolandum est, cùm CHRISTVS dicat: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Excitatio laborantis.

Luc.9,23.

Crux PETRI BALSAMI, Crux ægrotantis.

NAtura necessitate, voluntate gaudet gratia. Si naturam tuam consideres, necesse est vt malè habeas, & ex hac vita discedas: si verò gratiâ ducaris, id efficias, vt quod necessarium est, spontaneum & voluntarium reddatur. Nouerat Paulus, necessa-

Instrumentum artis benè moriendi.
Excitatio ægrotantis.

Heb.9,27. riò ſibi moriendum, cùm dixerit, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* : & neceſſitatem hanc libera voluntate præueniens aſſerebat, velle ſe *diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO. Redolebat balſamum Paulus, vnde & dicit: CHRISTI *bonus odor ſumus in omni loco*, ac proinde inſtar balſami deſiderio CHRISTI ſua ſponte liquefactus deperibat. Redolet balſamum æger, qui inuiſentes ſe virtutum & bonæ ædificationis odore reficit ac pariter recreat, vnde cum ægrotis ſuis agens ſanctus noſter Patriarcha, Regul.50. Summarij præſcribit: *Qui ægrotat, humilitatem & patientiam præ ſe ferendo, non minorem ædificationem dum morbo laborat, iis qui ipſum inuiſent, & cum eo verſabuntur & agent, quàm dum valebat corpore, ad maiorem Dei gloriam præſtare curet verbis piis & ad ædificationem facientibus, quæ oſtendant ægritudinem acceptam, vt donum de manu Creatoris : quandoquidem non minus donum eſt quàm ſanitas*. Et quidem lectus ægritudinis quædam forma Religionis eſt, quam & ipſe CHRISTVS in lecto ſuæ Crucis condidit & inſtituit. CHRISTVS in cruce dicit, *Ego ſum pauper & dolens*. Apparuit Virginis Filius, iuxta quem Virgo MARIA ſtetit: totus obediens fuit, *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*. Mundus paupertati, corpus caſtitati, dæmon obedientiæ reluctantur ; & qui nudus in

Phil.1,23. 2.Cor.2,15. Pſal.68,30. Phil.2,8.

lecto

lecto iacet, inſtar luctatoris cum iis tribus hoſtibus manus conſerit. Caueat igitur qui decumbit, ne ſuccumbat, ſed hoſtes ſuos proſternat, quos BALSAMVS in cruce ſua proſtrauit, & odore ſacrificij ſui omnem cupiditatem & arrogantiam fugauit, & attraxit ad ſe Deum, cui ſe totum dedit & obtulit in odorem ſuauitatis.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus non ſolùm formam Religioſi ſtatus in cruce ſua conſtituit, ſed eamdem etiam inſtituit in veneranda Euchariſtia, ſiquidem Sacerdotis conſecrantis voci obtemperat, nihil de mundo accipit, munditiem omnem præ ſe fert, quam etiam in ſe ſumentibus exigit. Sumat æger Religioſus ſacroſanctam Euchariſtiam, vt pro ſtatu ſuo etiam in ægritudine ſua religioſam habeat conſolationem, & conſolatorem eum, cui ſe in odorem ſuauitatis obtulit, & religioſè conſecrauit. Hæc lex religioſa eſt, vt quod naturæ neceſſitate tandem futurum eſt, cùm mortis tempus imminet & vrget, ſpontanea priùs & voluntaria mortificatione fiat. Quis vocanti Deo non obtemperat in morte? Quis in morte carne ſua non exuitur? Quis omnibus fortunæ bonis non priuatur & ſpoliatur? Hic ſtatus obe-

Virtus Euchariſtiæ.

obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, quem mors neceſſariò inducit, mortificatione fit ſpontaneus & voluntarius, vt cùm homo moriturus iam ſit, ne detrectet vocanti Deo acquieſcere, bonis temporalibus exui, carne propria ſpoliari. Præludium igitur mortis in ſtatu ſuo vir religioſus agit, vt cùm illa venerit, inſtructum & paratum inueniat, & ſpontè acceptet id, quod aliàs neceſſarium eſt. Præmiſit Euchariſtiam CHRISTVS, in qua futurum Iſai. 53.7. ſuæ mortis ſtatum præſignauit, & deinde *oblatus eſt, quia ipſe voluit*: & qui Religioſus eſt, præmunitur *Viaticum.* Euchariſtia, vt non coactè, ſed ſpontaneè mortem, quæ propriæ voluntatis, corporis & bonorum ſpoliatio eſt, acceptet & amplectatur.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

BALSAMVS martyr in cruce vir Religioſus eſt, qui bonum & ſuauem odorem paupertatis, obedientiæ & caſtitatis emittit ex ſe, quandoquidem Thomas Kempenſis Serm. 12. dixerit: *Poteſt quilibet in ordine & ſtatu ſuo religiosè & deuotè viuendo, palmam martyrij obtinere, ſi contra vitia ſua fortiter dimicat, ſi caſtitatem illibatam ſtrenuè ſeruat, ſi obedientiam vſque ad mortem exemplo* CHRISTI *cuſtodit, ſi de omnibus*

bus terrenis & necessariis huius vitæ semper minùs quàm plus habere desiderat, si beneplacitum Dei sequitur, & suum velle relinquit.

Adhuc & ipse post multa: *Cùm piger aliquis laborare cogitur, tunc manibus & pedibus ad locum martyrij traditur: & si obedierit ad omnia sibi iniuncta, præmiabitur cum martyribus, quorum manus vinculis fuere ligatæ, & pedes in equuleo suspensi. Cogitare ergo debet bonus obediens Frater, quia proprij corporis non habet potestatem, sed Prælatus, cui propter Deum se resignauit liberè, vt eat & faciat quod ille iusserit, pro animæ suæ salute. Sic enim obtinebit cum Martyribus patientiæ palmam, & æternæ vitæ coronam.* Balsamum, quod sponte sua fluit, maiore pretio æstimatur, & quidem pretiosa est mors mystica sanctorum Religiosorum, qui non necessitate, sed propria voluntate se diuinis obsequiis per paupertatem, obedientiam & castitatem manciparunt. Hæc quidem viuendi ratio, institutio quædam est futuræ mortis, in qua summa paupertas erit, perfecta obedientia, & omnimoda carnis denudatio: quæ certè tria mortem naturalem comitantur. Eapropter qui benè atque religiosè instituuntur, planè & plenè disponuntur, vt quod necessarium est, nimirum mori, hoc voluntarium & spontaneum fiat, & sit vel ex hac parte *pretiosa in conspectu Domini mors*

Laureola victoria Religiosa.

Psal. 115, 15.

Sanctorum eius. Pretioſa mors Proſperi Aquitanici, qui dum voluntariè moritur, ait: *Ea eſt meta ad quam diu propero, & ad quam ſemper omnia contuli vota.* Cùm ad hanc veniſſet metam Seruulus paralyticus, cuius meminit Gregorius lib. 4. Dialogor. cap. 14. ad cantum ſuos vocauit, & cùm ipſe ſimul cum illis caneret Pſalmos, *Tacete*, inquit. *Numquid non auditis quantæ reſonent laudes in cælo?* Concludit Gregorius in myſtici præfati Balſami elogium: *Dum ad eaſdem laudes, quas intus audierat, ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Qua ſcilicet exeunte, tanta illic fragrantia conſperſa eſt, vt omnes, qui illic aderant, inæſtimabili ſuauitate replerentur.*

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum ſpectaculum ſancti THEOPHIMVS & THALVS; in quibus, velut in ſpeculo, culturæ labores & ægritudinis forma conſpicitur.

EM-



Immortale bonum quisquis ſectare salutis,
37. *Hæc tibi calcanda eſt ſemita trita crucis.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXVII.

SS. THEOPHIMI ET THALI CRVCIFIXORVM EXPLICATA.



SANCTI THEOPHIMVS & THALVS Laodiceæ ſub Diocletiano Imperatore pro tutanda fide CHRISTI multa tormenta paſſi, tandem crucifixi ſunt. Habes in effigie Sanctorum vnam & alteram ſacræ paſſionis crucem, habes & tortorem malleatorem, habes regulam ac malleum, quibus viui Sanctorum lapides excoluntur, vt, cùm exculti iam fuerint, locis cæleſtibus inſerantur. Hoc ſonat, hoc cantat, hoc modulatur Eccleſia: Metaph. Martyrol. Menolog.

Scalpri ſalubris ictibus,
Et tunſione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc ſaxa molem conſtruunt,
Aptiſque iuncta nexibus
Locantur in faſtigio.

Saxa ſiue lapides, qui domorum vſibus parantur & aptantur, mortui ſunt, & tamen cùm ferro tanguntur & feriuntur, ſonum & ſtrepitum edunt: lapides

verò qui excoluntur & aſſumuntur in aulæ cæleſtis fabricam, viui ſunt, & tamen cùm ferreo malleo tunduntur, & cruci affiguntur, tacent, & omnino ſilent. *Non murmur reſonat, non querimonia, ſed corde impauido, mens benè conſcia, conſeruat patientiam.* Qui regula crucis aptatur, & malleo quatitur ac tunditur, viuus lapis eſt, & in aulam cæleſtem aſſumitur, ſi tamen grauia nouerit in ſilentio pati. CHRISTVS ipſe primus ac primarius lapis crucem & malleum expertus, ſiluit in paſſione ſua, *ſicut mutus non aperiens os ſuum*, vt angulari capiti mirabiliter inſereretur, & inſertus eſt. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Sympathia Chriſti & Martyrum Artificum ſanctificationis.

Pſal. 37, 14.

Pſal. 117, 23.

Crux THEOPHIMI & THALI, Crux culturæ Sanctorum.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

NOuit Deus ex terra debili fortes lapides conficere, nouit ex puluere Adami robuſtos viros efformare, vt cælorum ſedibus annectantur. Antequam pro ſtructura ſacri templi lapides aduehe-rentur, iuxta mandatum Salomonis poliebantur. Myſterium erat, in quo adumbrabatur, quid facto opus viuis & electis lapidibus, vt in fabricam templi gloriæ diſponerentur. Non aptantur ſine malleo

3. Reg. 5, 6.

myſtici

myſtici lapides. Quapropter Apoſtolus omnes ac ſingulos Patriarchas paſſionibus preſſuriſque elaboratos eſſe oſtendens, concludit: *Alij diſtenti ſunt, non ſuſpicientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Crucem & malleum tulerunt, & vtrumque nos ferre oportet. Ad crucem & malleum nos Auguſtinus hortatur Sermone 7. de Ædificat. Eccleſ. *Conquadramini, dolamini in laboribus, in neceſſitatibus, in vigiliis & ieiuniis, ad omne opus bonum paramini, vt in æterna vita velut in compage, in ſocietate Angelorum requieſcere mereamini.* Ad malleum Cruciferos CHRISTI vocat agens de Patientia Ephræm: *Simus tamquam incudes quædam, quamuis cædamur, non tamen lædamur, neque notas in nobis admittamus.*

Heb. 11, 35.

Excitatio laborantis.

Crux THEOPHIMI & THALI, Crux ægrotantium.

VIui Sanctorum lapides etiam in lecto excoluntur, vbi & regula crucis lectus doloris eſt, & morbus malleus. Sub cruce & malleo æger diuus Franciſcus erat, cùm à cellula in cælum aſſumendus in puncto mortis cantauit, more cæleſtis cygni: *Vo-*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Pſal. 141, 1.

ce

ce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum. & concluſit: *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.* dein cæleſti fabricæ inſertus eſt. Acce-
Excitatio ægrotantis. dit & Gregorius 3. Paſtoral. admonit. 13. *Dicendum eſt ægris, vt ſi cæleſtem patriam ſuam eſſe credunt, neceſſariò in hac labores velut in aliena patiantur. Hinc eſt enim, quòd lapides extrà tunſi ſunt, vt in conſtructione templi Domini abſque mallei ſonitu ponerentur, quia videlicet nunc foris per flagella tundimur, vt intus in templum Dei poſtmodum ſine diſciplinæ percuſſione diſponamur, quatenus quidquid in nobis eſt ſuperflui, modò percuſſio reſecet, & tunc ſola nos in ædificio concordia charitatis liget.* Sub hoc malleo Paulus erat, cùm in Aſia excoleretur, & iam excultus ſcriberet ad Corin-
2.Cor.1,8. thios: *Supra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit,* &c. Quiſquis ergo ſub malleo eſt, patitur THEOPHIMI & THALI crucem, & excolitur cum Paulo, vnde quod præſtitit Apoſtolus, & ipſe præſtet, recurrat ad preces & orationes, & oret. Laborabat cùm teſtamentum ſuum conderet Ephræm, & ſub malleo erat, cùm oraret: *Rogo atque obſecro te ſeruator meus, ne me affligens miſerum reddas, & conterens*

me

me dolore afficias, atque condemnes. Roget ſub malleo æger: Rex noſter crucifixe, qui lapis malleo percuſſus, & in cruce ſancta excultus, excultor Sanctorum tuorum es; cultor patientiæ tuæ ego ſum, tunſionibus atque preſſuris dolorum atque morborum redde me expolitum lapidem, vt in glorioſi templi tui fabricam tandem aſſumar.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus, cùm à Patre ſuo feriretur, malleo quoque Hebræorum percuſſus eſt, ad ſolatium Sanctorum ſuorum, qui tamquam lapides viui in eamdem omnino formam excoluntur & expoliuntur. Commentum Hebræorum fuit, repertum à Rege Salomone vermem, cuius ſanguine lapides pro ſtructura templi blandi ac molles redderentur, vt faciliùs malleo & regula dolarentur. Hoc certum & verum eſt, CHRISTVM affirmare de ſe, *Ego ſum vermis, & non homo*, cuius pretioſus ſanguis effuſus & conſecratus viuos lapides emolliat, vt pro cæleſti fabrica meliùs elaborentur & perficiantur. Cùm viui lapides eſſe debeant, qui fabricæ cæleſti deſeruiant, virtute ſacræ Hoſtiæ obdurantur contra labores & morbos, & ſimul ſpiritaliter viuificantur, vt poſt acceptum Viaticum ſuis locis collocentur & connectantur.

Virtus Eucharistiæ. Pſal. 21,7. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Heb. 11. *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.*

PAulus inter hanc incudem crucis & malleum tribulationis poſitus quatiebatur & excolebatur, nihilominùs inter reciprocos ictus mirabiliter geſtiebat, cùm aduerteret ſe de eorum numero fore, qui teſtimonio fidei probati, acceperunt in cælis repromiſſionem, & ſimul coronationem, necdum quidem perfectam, donec qui adhuc ſunt ſub crucis incude & malleo penitus excolantur. Tunc conſummata erit gloriatio, erit perfecta coronatio, cùm

Laurea cultura Sanctorum.

omnes Crucifixi atque Cruciferi de incude ad lauream, de malleo ad coronam peruenerint, vt cum Rege ſuo glorioſo agant ſolemnem triumphũ. Cùm eſſet iam in procinctu Carilephus presbyter ad cæleſtem hunc triumphum apud Deum celebrandum,

Extrema verba morientis.

liber à malleo & incude dicebat: *Proficiſcor à morte ad vitam, à labore ad requiem, ab afflictione & mœrore ad gaudium, à fame ad epulas, de tenebris ad lucem, de ignominia ad regnum & gloriam ſempiternam.*

Prodeant in publicum ſpectaculum ſancti LEONTIVS & CARPOPHORVS; in quibus, velut in ſpeculo, curationis animæ & corporis forma conſpicitur.

EM-



Vni si veteres non sat plausere Poëtæ
38. *Carpophoro, geminos quo satis ore canam?*

EMBLEMATICA IMAGO XXXVIII.

SS. LEONTII ET CARPOPHORI CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

NOBILES & illuſtres Medici LEONTIVS & CARPOPHORVS ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus palo crucis alligati, lapidibus impetiti, telis confoſſi, capite demum plectuntur. Bona medicinæ ars, quæ circa vitam ſalutemque negotiatur. Præſtantior ars crucis eſt, de qua Apoſtolus: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. Ars Medica ſæpè deficit, ſæpè fallit ac fallitur, loco ſalutis & vitæ morbum ſæpè auget, & mortem adfert. Quàm alia CHRISTI crux eſt! numquam errat, numquam labitur, nec decipit aut decipitur, certum remedium ſalutis, vitæ ac reſurrectionis eſt. Canit hoc ipſum non nemo, inquiens: *Crux eſt mundi medicina, per quam bonitas diuina facit mirabilia. Crux eſt optima medela contra zabolonis tela, valdè ſalutifera.* Cedit ars medici cruci, qua ſola cæleſtis Medicus vſus eſt, vt animas noſtras ſanaret & curaret. Salus noſtrarum ani-

Martyrol. Menolog.

Gal. 6, 14.

Sympathia Chriſti, Leontij & Carpophori Artificum curationis ſpiritalis.

animarum tunc perdita, cùm proceres naturæ nostræ vetitum ligni fructum degustarunt. Notauit tunc temporis Deus lignum,

Vt medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat.

Recipe crucem, si sanus esse cupis. Sic monent LEONTIVS & CARPOPHORVS, qui per passionem crucis suæ in primis saluti propriæ, dein verò alienæ consulunt, & monent extrema pro salute animæ agenda. Facessant hinc profani Medici, quos damnat Concilium Lateranense c.22. *Cùm anima multò sit præstantior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicus pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.*

CRUX LEONTII & CARPOPHORI, Crux curandæ animæ.

Instrumentum artis benè viuendi. Luc 4,23.

EVangelicum illud prouerbium, *Medice cura teipsum*, in vnoquoque nostrûm, qui medicus propriæ animæ est, locum habet, vt & illam à culpa præseruet, & si lapsa interdum fuerit, animæ ægrotæ succurrat. Quàm difficilis & ardua ista curatio sit, declarat Spiritus sanctus. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Non dixit, agoni-

Excitatio laborantis. Eccli. 4, 33.

agonizare pro corpore, ſed, pro anima tua, vt & illa iuſta ac ſana fiat. Hinc illa vox Vitalis martyris ad Vrſicinum Medicum paululùm in tormentis titubantem : *Vrſicine Medice, qui alios curare ſolitus es, caue ne te mortis æternæ iaculo conficias.* Compoſuit de medicina animæ celebrem ſermonem Auguſtinus, ex quo pauca hæc delibanda ſunt. *Noſtis, fratres chariſſimi, omnes homines ſanitatem corporis quærere. Quæ quamuis ſit bona, multò tamen melior eſt ſanitas cordis. Vnde omnes Chriſtiani ſemper debent orare, vt anima incolumis aſcendat in cælum. Nam qui ſolùm pro corporis ſanitate ſollicitè ſe gerit, ſimilis eſt beſtiis. Et quàm multi ſunt, quod peius eſt, qui ſi infirmari cœperint corpore, dolent : ſi autem in anima non ſolùm vulnerentur, ſed etiam moriantur, non ſolùm non dolent, ſed nec ſentiunt?* Addo & alia ex eodem Auguſtino in Pſalm.115. *Salus animæ facit, vt fiat quod faciendum eſſe cognoſcitur, & vſque ad mortem corporis, ſi hoc flagitat extrema tentatio, pro diuinorum teſtimoniorum veritate certetur.* Certarunt pro ſalute animæ LEONTIVS & CARPOPHORVS, certemus & nos, vt ſpiritu valeamus. Legimus in libro Apophthegmat. ſanctorum Patrum, quòd cùm vrgeret matrem filius pro venia intrandi monaſterium, ac diceret : *Saluare volo animam meam,* tandem obtinuit. Factus monachus, vixit geſſitque ſe negligenter.

genter. Mortua eſt mater, & filius magna infirmitate vexatus, mentis exceſſum paſſus, raptus eſt ad iudicium, cui mater aderat, & aiebat; *Quid eſt hoc fili? Vbi ſunt ſermones tui, ſaluare volo animam meam?* Confuſus ille rediit ad ſe, & vitam aſperam egit: cúmque rogaretur vt ſibi temperaret, reſpondit: *Si improperium matris meæ ſuſtinere non potui, quomodo* CHRISTI, *& Sanctorum accuſationem & obiurgationem potero in die iudicij ſuſtinere?*

Crux LEONTII & CARPOPHORI, Crux ægrotantium.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

LEONTIVS & CARPOPHORVS affixi crucibus, ſaluti animarum conſulunt. Cùm ægritudo ingraueſcit, omnes impedit functiones, vt vna tantùm ſit de ſpiritali valetudine cura. Antequam LEONTIVS & CARPOPHORVS crucibus affigerentur, ſanandorum corporum habebant curam: iam verò crucifixi, Medici ſpiritales ſunt, & affixos lecto monent, vt illam ſalutem velint, illam quærant, quæ in cruce & CHRISTO crucifixo poſita eſt. Hic ille cæleſtis Medicus, de quo virgo Eliſabetha Epiſtola 7. ſcripſit ad ſororem Bonon. *Sapiens Medicus concupiuit ſanare languores animæ veſtræ, primùm apponens acerbitatem, & poſteà leuiter palpans, & ſuaue vnguentum*

guentum imponens, & sic alligauit vulnera vestra, sicut olim venit Saluator sanare ægrotos. Nolite à vobis repellere Medicum salutis, quoadusque sanitatem recipiatis. Alliciendus est hic Medicus, non repellendus; vocandus, & etiam rogandus: CHRISTE sancte, nostræ salutis amator, & curator nostræ ægritudinis, qui LEONTIVM atque CARPOPHORVM salutarem crucis artem docuisti, iuxta hanc salutis methodum medere animæ meæ, propitiare omnibus iniquitatibus meis, *sana animam meam, quia peccaui tibi.* Quisquis secundùm salutarem artem crucis interiùs cupit sanari, curare non debet, si exteriùs morbis vexetur; quandoquidem medicina animæ & spiritus infirmitas corporalis est. Eapropter cùm quidam Monachus S. Ioannem Abbatem, vti refert in Vitis Patrum Hieronymus, rogaret, vt se à morbo & ardentissima febre, qua laborabat, liberaret, responsum accepit, *Rem tibi necessariam cupis abiicere. Vt enim corpora linimentis abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus aliisque huiusmodi castigationibus purificantur.* Hanc tibi purgationem CHRISTVS è cruce offert, cùm laboras & ægrotas, recipe ac serua, qui quæris & affectas animo benè habere & valere.

Psal. 40, 5.

Excitatio ægrotantis.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Eleuata virtus sacra Eucharistia.

REx glorioſus princeps eſt medicinæ ſpiritualis, quæ ſine crucis & paſſionis amaritudine non fit, ſed eius amaritudo myſterio Euchariſtico mirabiliter dulceſcit. Amara potio melle & ſaccharode ſua acrimonia aſperitateque remittit; remittit quoque de rigore & ſeueritate ſua crux laborioſa, ſi non ſola capiatur, ſed cum melle & ſaccharo ſacræ Euchariſtiæ ſumatur. Hæc ſacræ Euchariſtiæ virtus eſt, vt amaritudinem tollat, & contra venenum, & veneno infectas ſagittas præſentaneum antidotum ſit. Amara mors eſt, & eius iacula venenata omnino ſunt, ſed qui hunc panem manducat, dulcem mortem, eiuſque ſalutares ſagittas experietur, per quas anima ſana redditur. Ergo qui curandæ animæ vacas, monente ſic Iuſtiniano Serm. de Euchar. *Hoc cibo ſanctificato, hoc cæleſti vtere pane, ne peregrinationis huius laſſeſcas in via, neque ſpiritualis mortis ſuccumbas articulo.* Nec carnis nec ſpiritus morti ſuccumbit homo, qui cibo hoc ſanctificato alitur & paſcitur.

Viaticum.

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

CVratur per corpus anima, cuius salus in corporis infirmitate est. Aphorismus Dei est: *Virtus in infirmitate perficitur*: & iuxta hunc aphorismum de se ipso Paulus loquitur: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Ne superbiret caro, & anima malè haberet, carnifex sibi Paulus erat, & se martyrio afficiebat. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo.* Cùm morbida dominatur in corpore qualitas, donec illa subiiciatur, ægrotat necessariò homo; & dum prauitas carnis humanæ dominium habet in animam, necesse est, vt spiritus malè valeat: ac proinde castigandum corpus est, donec in debitam redigatur seruitutem, ex qua salus tota pendet. Carnem suam morbidam nouerat Rex, qui dicebat, *Non est sanitas in carne mea*; & vt saluti animæ suæ consuleret, minimè sibi parcebat, qui & aiebat: *Castigatio mea in matutinis.*

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

2.Cor.12, 19.

1.Cor.9, 27.

Psal.37,4.

Psal.72, 14.

Hæc punitio & castigatio similis est martyrio, quod multiplex & varium pro varietate pœnarum, quibus addicit se homo, vt propriæ animæ consulat, & prouideat valetudini. Multiplex hoc martyrium vna CHRISTI crux importat, cùm dicat Pau-

Gal.6,14. lus: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI, *in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quam ſaluati ac liberati ſumus.* Vbi crux Dominica eſt, ibi ſalus, ibi vita, ibi ſaluatio, ibi corona, ibi laureola eſt. Nec coronabitur, niſi per corporis detrimenta fecerit homo curationem animæ ſuæ, & per carnis infirmitatem ſalutem ſpiritus quæſierit & obtinuerit. Quæſiuit & obtinuit curationem ſuæ animæ per carnis detrimenta Iuſtinianus, qui in extremo ſuo morbo dolebat ita ſibi prouideri, & dicebat: *En quanta ob huius ſacci vilis ſanitatem parantur, cùm intereà pauperes* CHRISTI *non panem, non ſtratum, non ignem habent, vbi calefiant.*

Laureola ſalutis animæ.

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum ſpectaculum ZOTICVS & Diſcipuli; in quibus, velut in ſpeculo, feſtinantis & ægrotantis forma conſpicitur.

EM-



Ad vexilla crucis vobis qui voce præiui,
39. *Dum vocat, accelero: vos sociate gradus.*

EMBLEMATICA IMAGO XXXIX.
S. ZOTICI ET DISCIPVLORVM EXPLICATA.

SANCTVS ZOTICVS & diſcipuli ſub Cæſare Maximiano in Pontica regione capti, extremoq́ue addicti ſupplicio, viam crucis aggredientes magnis paſſibus, ſicut oſtendit effigies, cælum intrarunt. Præcucurrit omnium primus magiſter ZOTICVS, ſicut datur in imagine, & vt feſtinent diſcipuli, monet, hortatur, & iubet. Præceſſit CHRISTVS omnes, omnes curſu ſuo ſuperauit. Niſi quis ſeipſum accingat, ſuoſq́ue affectus conſtringat, non feſtinat. Quapropter diuites & opulenti, cum faſtu & pompa incedentes, vt iter in cælum faciant, opus eſt vt ſe nudent exuantq́ue; ſin minùs, in via hærebunt, & numquam portum attingent. *Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Patiuntur ſimul hanc difficultatem, qui vanæ ſapientiæ opes iactitant, turgeſcunt & intumeſcunt, ſicut olim Philoſophi intumeſcebant & ſuperbiebant, de quibus Sermone 45. Auguſtinus in hæc

Menolog. Martyrol.

Sympathia Chriſti & Martyrum. Artificum diligentia.

Luc. 18. 24.

hæc verba: *Fuerunt quidam Philoſophi de virtutibus & vitiis ſubtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinationes acutiſſimas concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis crepitantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus, Sequimini nos, ſectam noſtram tenete, ſi vultis beatè viuere; ſed non intrant per oſtium.* Veniunt onuſti, veniunt onerati & grauati, nequeunt feſtinare, porta clauditur, foris manent.

Crux ZOTICI & diſcipulorum, Crux feſtinantium ad aſtra.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

AMbroſius Sermone 10. *Hæc noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, vt amantibus viciſſitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui enim fuerit patientior ad iniuriam, potentior conſtituetur in regno. Non enim ad imperium cælorum peruenitur ſuperbiâ, diuitiis, præfecturâ, ſed humilitate, pauperie, lenitate.* Hæc via crucifixorum hæc cruciferorum eſt, in qua minimè cunctandum, magna opus feſtinatione eſt: ſicut Apoſtolus monet 1.Corinth.9. *Neſcitis, quòd ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite, vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans;*

Excitatio laborantis.

verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Currebat CHRISTVS, *exultauit vt gigas ad currendam viam*, & in suo cursu dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Dicamus & singuli: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Psal. 18, 7. Luc. 9, 23. Cant. 1, 3.

Crux ZOTICI & discipulorum, Crux ægrotantium.

TOto tempore quo viuimus, in stadio sumus, & currimus vt brauium accipiamus: cùm ægrotamus, ad metam iam accedimus, & opus est vt magis acceleremus. Dictum nobis esse à Paulo existimemus, *Sic currite, vt comprehendatis.* Etenim res omnes suapte natura ductæ, quò accedunt magis ad centrum, eò magis properant & festinant. Cùm extremè laboramus, centro nostro appropinquamus: *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Festinabat in sua ægritudine Olympias, quam propterea laudat & commendat D. Chrysostomus Epistola 6. dum scribit: *Quid ni enim, quæso, fabulam appelles, cùm corpus mortale nacta sis, & tamen mortem perinde contemnas, vt qui exteram terram deserere, atque ad suam patriam redire festinant.* Humanam vitam

Instrumentum artis benè moriendi.

1. Cor. 9, 24.

Excitatio ægrotantis.

Heb. 4, 11.

fabulam Olympias appellabat, quæ in cælis veram vitam ſperabat & affectabat, & in eius poſſeſſionem feſtinis greſſibus rapiebatur. Hæc conditio eſt beatarum animarum, vt cùm iam ſint in extremis conſtitutæ extrema præſtent. Extrema præſtabat S. Virgo Eliſabetha, quæ vicina morti ac centro proxima, vt eius hiſtoria tradit, adſtantibus ſibi dixit: *Non miremini, quòd ſic anxiè tracto de cunctis quæ pertinent ad exitium meum, quia neceſſe eſt hoc à me fieri, dum aliquas vires habeo: ne cùm defecerit omnino virtus mea, in aliquo imparata inueniar.* Eliſabetha non erat de numero illarum virginum, quæ nimis ſerò venientes, clauſam portam inuenerunt; erat ex prudentibus virginibus, quæ accelerarunt gradus & greſſus ſuos, vt in tempore Sponſo occurrerent. Qui feſtinat, *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*, vt iter magnum conficiat, & mortis foueam tranſiliat, quemadmodum tranſiliuit Aldephardus, qui exultans præ gaudio, in lecto iam moriturus ait: *Hinc ibo, & ad Deum meum veniam, lætus moriar, lætuſque tranſibo ingentes huius vitæ foueas.*

Eccli. 38, 28.

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus *exultauit vt gigas ad currendam viam*, & ſic feſtinauit in curſu, vt dixerit Iſaias: *Voca nomen eius, accelera, feſtina prædari.* Feſtinos ac celeres ſectatores ſuos voluit; & ne de curſu remitterent, & in via ſalutis deficerent, prouidit de venerabili Sacramento, cuius ea virtus eſt, vt ſe ſumentes magnis paſſibus facere & conficere iter ſuum præſtet. Adumbratum eſt in Elia, cùm in fortitudine cibi illius, qui typus Euchariſtiæ erat, ambulauit & feſtinauit vſque ad montem Dei Horeb. Eò tendimus, tranſiliamus ergo metas ac terminos mortalitatis noſtræ, more ZOTICI & diſcipulorum: toti ſimus Euchariſtici, vt ducti ſpiritu Eliæ, feſtinemus & properemus. Quæ motu coacto atque violento concitantur & ducuntur, in principio properant & feſtinant, at in fine de ſua celeritate remittunt: quæ naturali motione cientur & agitantur, quò magis ad metam ſuam accedunt, eò magis maturant, & velociùs currunt. Maturemus & curramus, quibus mors naturalis eſt, & quibus ſacra impenditur Euchariſtia, vt, more CHRISTI, non coactè, ſed ſpontaneè vitam noſtram abſoluamus.

Pſal. 18, 7.
Virtus Euchariſtiæ.
Iſai. 8, 3.
3. Reg. 19, 8.
Viaticum.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Matth. 11, 12.

REx martyrum CHRISTVS totus militaris est, & militariter quidem cælestis regni amatores hortatur & monet; *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cùm sit in ciuitatem insultus, milites inuasores certatim currunt vt illam ingrediantur & obtineant, opulentas diripiant domos, &

1. Cor. 9, 24.

spoliis fruantur opimis. *Sic currite, vt comprehendatis.* Crucifixi atque cruciferi more bellantis Dauidis,

Psal. 61, 5.

qui de se ipse testatur: *Cucurri in siti:* more Pauli,

2. Tim. 4, 7.

qui loquitur de se ipso: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

Accedit sanctus Laurentius Iustinianus de Interiore conflictu, cap. 9. in quo quales esse in pugna debeant, qui in spiritali sunt conflicturi stadio, optimè describit & concludit: *Semper virtutum desiderio munitus incedat, qui vi cælorum conatur diripere regnum. Non lassescet, non deficiet, non dormitabit virtutis amator. Currunt in spiritali hoc stadio multi, sed solus hic perfectionis accipit brauium. O quàm beatos dixerim amantium pedes, qui per virtutum itinera feliciter gradientes, cælestis patriæ deliciis perfruuntur, has post*

agonis

agonis ſpiritualis conſummatum opus perficient dapes. Non enim eſt eorum labor inanis in Domino. Si igitur, ô CHRISTI *milites, intimæ charitatis concupiſcitis pace potiri; ſi ſupernæ vocationis gloriam feſtinatis arripere; ſi impræda-bilibus theſauris ditari concupiſcitis; ſi immundorum laqueos vos euitare delectat; ſpirituales animæ veſtræ pedes ab omni immoderato affectu excutite, interioris deſidiæ vincula ſoluite, & ſeruilis onera timoris abiicite; quatenus, ſuperatis hoſtibus, gradu concito ad alta tendentes, amoris hymnum Deo cantare poſſitis. Hoc quippe Propheta futurum in ſe ſperabat, cùm diceret: Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem. Ceruorum itaque & vos pedes habete, ſi victoriæ carmen in excelſo charitatis monte cordis cum iubilo decantare nitemini.* Nitebatur id ipſum præſtare Gothardus Epiſcopus, qui tempore mortis ſuæ præcepit ſuis, vt canerent, *Benedictus Dominus Deus Iſraël.* & cùm peruenirent ad verſum, *Illuminare iis, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent*, Gothardus voce languida cecinit, *Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*: & hymno dicto curſum vitæ mortalis feliciter abſoluit. Abſoluit & curſum feliciter Vrſinus Presbyter apud Gregorium lib.4. Dialogor. cap.11. cuius maturantis feſtinantiſque ſuprema vox illa fuit: *Venio, venio,* gra-

Laurea feſtinationis.

Pſal. 17, 34.

Luc. 1, 68.

Extrema verba morientis.

gratias ago. Repetitio illa *venio, venio*, vox festinantis est, & quidem ad centrum diuinitatis. agitque prætereà gratias pro dono ac beneficio, quod se accepisse recognoscit : cùm enim sanctæ animæ ad Deum properant suum ; vt in eo tamquam in centro suo conquiescant, summum donum, summum beneficium est, vnde principium habet earum sempiterna remuneratio.

Prodeant in publicum spectaculum sancti CLAVDIVS, ASTERIVS & NEON; in quibus, velut in speculo, fraternitatis & infirmitatis forma conspicitur.

EM-



O verè fratres! animus quos in cruce concors
40. *Vnius natos comprobat eſse Dei.*

EMBLEMATICA IMAGO XL.

SS. CLAVDII, ASTERII ET NEONIS CRVCIFIXORVM EXPLICATA.



CLAVDIVS, ASTERIVS & NEON fratres germani in Cilicia, Diocletiano Imperatore & Præside Lysia, post varia tormenta crucis supplicio multantur. *Quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* Quos natura fratres genuit, fratres in CHRISTO religiosa crux effecit. Consentit in Psalm.87. Augustinus. *Eos fratres suos facere dignatus est* CHRISTVS, *qui sacramentum crucis intelligunt, & non solùm de illa non erubescunt, verùm etiam in illa fideliter gloriantur, non se de suis meritis extollentes, sed eius gratiæ non ingrati, vt vnicuique eorum dici possit: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Non solùm gloriosi Martyres virtute sanctæ Crucis fratres CHRISTI, & in CHRISTO constituuntur, sed omnes etiam Cruciferi, qui formam vitæ religiosæ sectantes fraternitatem monasticam profitentur. Religiosa haud dubiè communitas mutuæ crucis communicatio est, ad quam hortatur Apostolus: *Alter alterius onera portate, & sic adimple-*

Metaph. Pet. Natal.

Psal.132,1.

Sympathia Christi & fratrum

Artificum fraterna dilectionis.

Ioan.1,47.

Gal.6,2.

 bitis

bitis legem CHRISTI. CHRISTVS quoque ipſe aſſociatus crucifigitur, & ſociorum ſecum crucifixorum onera pro noſtra inſtructione ſuſtinuit. Fraternitas carnis & ſanguinis bonorum temporalium communicationem inducit: fraternitas religioſa ſecum adfert onerum, laborum, ægritudinum ac malorum communionem. Qui pertinent ad hanc formam fraternitatis, ſibi è cælo dictum putent ab Apoſtolis
1. Petr. 1, 22. Petro & Paulo: *Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde in-*
Epheſ. 4, 2. *uicem diligite attentiùs. Supportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.*

Crux CLAVDII, ASTERII & NEONIS, Crux fraternitatis Religioſæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

DAuid Rex omnibus modis curauit, vt quos filios ipſe genuerat, mutuam inter ſe pacem concordiamque ſeruarent, nec tamen obtinuit. Quod intra ſuam aulam conſecutus Rex non eſt, in templo ac domo Dei eſſe deprehendit, cùm gau-
Pſal. 132, 1. dens & ſimul canens exclamauit: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum!* Verus amator fratrum in ſola domo religioſa Dei reperitur, cuius bonas dotes Bernardus Serm. 12. in Can-
Excitatio laborantis. tica pulchrè deſcribit: *Omnis qui in vobis fraternas infirmi-*

firmitates, tam corporum quàm animarum, non ſolùm patienter ſupportat, ſed inſuper, ſi licet, & ſi valet, iuuat obſequiis, confortat alloquiis, conſiliis informat; ſi hoc non poteſt propter diſciplinam, ſollicitis ſaltem orationibus ſolatiari non ceſſat infirmos. Omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino ſpargit odorem inter fratres, & odorem de vnguentis optimis, balſamum in ore huiuſcemodi, frater in congregatione monſtratur digito, & dicunt de eo omnes: Hic eſt fratrum amator & populi Iſraël qui multum orat pro populo & vniuerſa ciuitate. 2.Mach. 15,14.

Crux Clavdii, Asterii & Neonis, Crux ægrotantium.

CVm in ſacris Religionibus charitas & amor fratrum mirum in modum eluceat, tunc ſplendet maximè cùm Religioſi infirmantur. Omnes inuiſunt ægros, ſolantur, excitant, recreant, ac de eorum ſalute ſolliciti, Deum ſalutis auctorem deprecantur, vt malè habentes ſanitati priſtinæ reſtituat. Laborant cum ægrotantibus, cum infirmis infirmantur, communem inter ſe crucem morborum ferentes & ſuſtinentes. Vnuſquiſque fratri ægrotanti dicit, quod de Gerardo ſuo Serm.26. in Cantica Bernardus aſſerit: *Quis ita mihi perneceſſarius? cui æquè dilectus ego? Frater erat genere, ſed religione ger-*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Excitatio ægrotantis.

 ma-

manior. Dolete quæso vicem meam vos, quibus hæc nota sunt. Infirmus corpore eram, & ille portabat me; pusillus corde eram, & confortabat me. Hæc charitas religiosa erga fratres infirmos eſt. Conſiderant in ſingulis iacentem in lecto CHRISTVM, & decumbenti auxiliantur more Simeonis, qui & CHRISTVM crucem ſuam baiulantem comitatus eſt, & eius adiutor extitit. Adeſt CHRISTVS fratris inſtar, vt ſuis cruciferis ægris, ac crucifixis Martyribus aſ-
Matth. 18, 20. ſiſtat. *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum*, ſum in cruce cum fratribus crucifixis, ſum in lecto cum fratribus ægrotantibus, vt ſolatium & auxilium eis adferam, & eos ad tolerantiam & patientiam ſimul excitem. Excitet ſe Religioſus æger, & oret: Rex glorioſe, qui cunctis fratribus tuis primas in cruce tuliſti, & CLAVDIO, & ASTERIO, & NEONI fratribus præceſſiſti; præi, ſequor debilis, æger te infirmum, afflictus afflictum, lecto affixus crucifixum. Hic eſt fratrum amator, adiutor & conſolator, qui bonum ſpargit odorem, & ſimul balſamum, vt recreet, reficiat, & ſanet ægrotos.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus ſacræ Euchariſtiæ. REx glorioſus in peruigilio paſſionis ſuæ recumbens cum fratribus, inſtituit & condidit Eucha-

Euchariſtiam, vt eos omnes charitatis vinculo ſibi annecteret, connecteretque inter ſe, vt ſe amore fraterno laborantes & ægrotantes, dum viuerent, complecterentur. Hinc Paulus 1.Corinth.10, 16. fraterni amoris partes pulchrè agens, arguit & ſimul conuincit, dum ſcribit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis* CHRISTI *eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio Corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Nec quidem ſolùm myſterio cæleſtis panis vnum hîc corpus componimus, ſed etiam in regno Dei: & idcircò cùm vicinus morti eſt, & homo ad regnum iam appropinquat, miniſtratur Euchariſtia, cuius virtute & fauore ad cæleſtem veniat glorioſi corporis compoſitionem. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

VEræ fraternitatis elogium compoſuit ſapientiſſimus Dauid: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum! Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Domi-* *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.* Pſal.132, 1.

nus benedictionem, & vitam vsque in sæculum. Satis pulchræ similitudines sunt roris cæleſtis & vnguenti Sacerdotalis, quibus germani in CHRISTO fratres comparantur. Ros frigidum ex ſe eſt, vnguentum calidum, & tamen tanta vis charitatis eſt, vt quæ inter ſe videntur eſſe contraria, amica faciat, & vera fraternitate connectat. Connectit itaque nationes, conditiones, opiniones, vt nullum ſit inter religioſos fratres diſſidium, vna ſit mens, vna voluntas. Quòd ſi verè fratres efficit paſſio martyrij, hæc in religioſo ſtatu reperitur, vt dicere poſſit Eccleſia: *Hæc eſt vera fraternitas.* Hæc eſt, inquam, vera fraternitas dicata & conſecrata, cui *mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.* Vita hæc æterna eſt, quæ eos qui ſimiles ſibi exiſtunt, in æternum beabit & coronabit. Ad hanc beatitudinis laureolam in corona fratrum ſuorum magnus Antonius exceſſit, & omnibus valedicens dixit: *Antonius migrat, & iam non erit in præſenti ſæculo vobiſcum.*

Pſal. 132, 3.

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum ſpectaculum ſancti DIOMEDES & ſocij; in quibus, velut in ſpeculo, ferentis ſuſpenſionem animæ & morbum forma conſpicitur.

EM-



Gens inimica Deo toties cur ſanguine ferrum
41. Innocuo ſatiat? Gens inimica Deo eſt.

EMBLEMATICA IMAGO XLI.

SS. DIOMEDIS ET SOCIORVM CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

SANCTI DIOMEDES, IVLIANVS, PHILIPPVS, EVTYCHIANVS, HESYCHIVS, LEONIDES, PHILADELPHVS, MENALIPPVS, & PENTAGOPE flammis, aquis, ferro & palo adiudicati sunt. Quatuor igitur elementa, aqua, ignis, terra, & aër, Martyres cælo & Deo cælestes ac diuinos pepererunt. Mare submersos produxit, terra suo ferro cæsos edidit, ignis flammis combustos protulit, suspensos in cruce extulit in sublime aër. Accedunt ad Martyres qui suspenduntur in aëre cruciferi omnes, quorum res in suspenso sunt. Pendebat in aëre Paulus cùm dicebat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.* Pendebat, cùm subiungebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Nescit mortalis animæ suæ statum, nescit conditionem, ignorat an reprobus an saluus futurus sit. Hinc labor ingens, hinc opus magnum procedit, hinc crux

Martyrol.

1. Cor. 4, 4.

1. Cor. 9, 27.

Sympathia Christi crucifixi & crucifixorum Artificum tolerata suspensionis.

& suspensio nascitur. Potuisset, si CHRISTVS voluisset, vel in mari submersus mori, vel in terra plecti capite, vel cremari igne & flammis, maluit tamen cruci affigi, exaltari, & in media sublimis aëris regione suspensus redimere humanum genus, vt redemptos suos in suspenso teneret omnes, bono animo suspensos esse iuberet, benè de Deo sperarent, de seipsis desperarent. Appositè S. Ephræm agens de Patientia ait: *Debet anima sermonem Domini sequens, atque amplectens crucem eius ferre quotidie, sicut scriptum est: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Hoc est paratum esse ad sufferendum amore* CHRISTI *tribulationem ac tentationem quamcumque, siue manifestam siue occultam, & spe à Deo aptum esse atque pendere.* Hæc crux Religiosa est. Vnde idem S. Ephræm, agens de timore, ait: *Quid porrò est Monachus? Similis est Monachus viro ex alto demisso, qui funem excelso interuallo pendentem arripit, & se illi appendit, & indesinenter pro auxilio ad Dominum clamat, sciente, si defecerit, vsúmque vtriusque manus perdiderit, præcipitem illicò ruiturum & moriturum.*

Matth. 10, 38.

Crux

Crux DIOMEDIS & ſociorum, Crux ſuſpenſionis animæ.

DEus in corpore humano animam rationalem fixit, & corpus ita efformauit, vt crucis formam referret. Crux corporis recta eſt, quæ animam ſuſpenſam habet, certam quidem finis ſui, mali vel boni futuri ſui prorſus neſciam. Quàm graue ſuſpendium huius martyrij ſit, vel ex hoc intelligi poteſt, quod eſt apud Eccleſiaſtem cap. 9. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo vtrùm amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eò quòd vniuerſa æquè eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti: ſicut bonus, ſic & peccator; vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt.* Si quis in terra premitur, contradictionis aquis ſubmergitur, igne perſecutionis aduritur, dirum martyrium patitur, hoc eſt magis laborioſum, ſed glorioſum neſcire ſe, dum hæc patitur, an dignus ſit amore vel odio; nec ſcire quò labores iſti pergant, & laborantem deducant.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

Excitatio laborantis.

Crux DIOMEDIS & ſociorum, Crux ægrotantium.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

OMnia elementa, quæ contra DIOMEDEM & ſocios conſpirarunt, conſpirant quoque in ægrotum, incerto ſimul euentu. Quamdiu anceps res, & in ambiguo eſt, manet in ſuſpenſo æger, iam meliùs iam peiùs habet, modò viuit modò perit, ex quo fit vt anxius & afflictus æger in vitæ ac mortis medio conſtitutus, totus pendeat. Hoc ſuſpendium patiebatur, cùm extremè laboraret, & poſitus in
Iſai. 38, 14. confinio vitæ & mortis aſſereret Ezechias; *Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum. Domine, vim patior, reſponde pro me.* Pendet ægrotus ad meritum, ſi iuſtus ſit; ſi verò iniuſtus, ad pœnam & ſupplicium.
2.Reg.18, 8. Suſpenditur more peccatoris Abſalonis, qui pendulus è quercu periit. Pendebat ad meritum in extrema infirmitate Eliſabetha, quæ in mortis agone poſita, ſicut eius hiſtoria narrat, aſſerebat: *Nondum ego quidem aliquid certitudinis accepi à Domino, verumtamen iuſtum eſt, vt habeam ſollicitudinem animæ meæ, vt diſponam de iis quæ pertinent ad exitum meum.* Da mihi iuſtum virum, in quem omnia elementa conſpirent, vexent, & affligant morbi, inter febriles ardores & dirorum tormenta ingentia dolorum, hæc co-

gitatio

gitatio quid de ſe futurum ſit, magis animum ſollicitat, oretque ille propterea: Rex noſter crucifixe, qui in cruce & aëre pependiſti, & Sanctos tuos pendere voluiſti, reſpice ſuſpenſum ægrum in vitæ & mortis confinio, quid de ſe futurum, neſcium, totumque propterea ſollicitum. Quis ſollicitus non ſit, cùm neſciat homo vtrùm amore vel odio dignus ſit? Soletur tamen ſeipſum, quòd Deus non vult mortem peccatoris, ſed mauult vt conuertatur, & viuat. Soletur ſeipſum, quòd *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam ſuſpendium, vt maius apud Deum ſibi meritum acquirant. Eapropter ſanctus Iobus, cùm grauiter ægrotaret, aſſerebat: *Elegit ſuſpendium anima mea.* Vbi ſuſpendium eſt, ibi & deſperatio eſt, & quidem Iobus de ſeipſo deſperabat, vt omnem ſuam fiduciam in Deo ſuo ſtatueret. Collocauit illam, cùm enuntiaret, Dauid: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo meo ſpem meam.* Pendebat à ſe & à Deo ſanctus Rex, pendebat à ſe & diffidebat, pendebat à Deo ſuo & confidebat. Hoc ſuſpendium anima patientis Iobi ſibi voluit, & velle ſibi Chriſtianus & poteſt, & debet.

Excitatio ægrotantis.

Rom. 8, 28.

Iob 7, 15.

Pſal. 72, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus sacra Eucharistia.

REx glorioſus ſuſpendium in cruce elegit, vt electos ſuos in ſua ſuſpenſione ſolaretur & excitaret. In hunc eumdem finem ſacram condidit Euchariſtiam, quandoquidem certum incertæ ſaluationis noſtræ pignus altaris Sacramentum conceſſum eſt. Exclamat propterea Eccleſia: *O ſacrum conuiuium, in quo* CHRISTVS *ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ nobis gloriæ pignus datur.* Sacrum hoc pignus talis conditionis eſt; vt ſi quis de digna eius ſumptione & perceptione certus fiat, ſciat certò ſe eſſe in eo ſtatu, cui vita æterna reſpondet, cui ſumma gloria debetur. Accipit hoc pignus æger, vt illud deponat poſt obitum apud Deum, qui liberans fidem ſuam, fideli ſeruo æternam vitam & felicitatem rependet.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

SVſpenduntur in aëre Martyres, & torquentur: ſuſpenditur in incertum anima, & patitur magnum tormentum. Grande martyrium, dum neſcit vtrùm amore vel odio digna exiſtat. Quòd ſi certa ſpes, dum differtur, *affligit animam*, incerta omnino expecta-

Prou. 13, 12.

expectatio maiorem afferet afflictionem. Certus de ſtatu ſuo Paulus erat, & cùm adhuc expectaret, grauiter cruciabatur, & inter medios cruciatus in clamores prorumpebat, & dicebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24. Securus erat Apoſtolus de ſua felicitate, & tamen ſe infelicem iudicabat, quòd cùm cuperet diſſolui, eſſe cùm CHRISTO & regnare, coronatio eius futura procraſtinaretur. Certus & ſecurus erat, cùm diceret: *Sic curro, non quaſi in incertum:* & ob certæ ſpei dilationem ſecurus ab afflictione non erat. 1. Cor. 5, 26. Si ſpes certa torquet animam, expectatio omnino incerta erit cauſa maioris & acerbioris martyrij.

In hoc ſpirituali martyrio, vt ait Iuſtinianus cap. 16. de Monaſtic. conuerſat. *cùm reluctatur* CHRISTI *ſeruus, ne ſuccumbat, vterque homo, caro ſcilicet & ſpiritus, crucifigitur; & niſi diuina virtute humana in tali conflictu infirmitas roboraretur, proculdubiò deficeret. Præbet autem præſidium diuina miſericordia homini ſic oppreſſo, nunc hoſtem repellendo, nunc virtutem fortiter reſiſtendi præſtando, nunc dolores & flagella mitigando, nunc guſtum internæ pacis infundendo, nunc celſitudinem, immenſitatemque æterni præmij victoribus repromiſſo lumine quodam ineffabili patefaciendo. Sicque ſpiritus ſapientiæ de regalibus ſedibus ſpirans in corde afflicti quando* Laureola ſuſpenſa anima.

vult,

vult, & quomodo vult, eumdem ab instanti pressura respirare facit. Hæc Iustinianus, cum suspensa anima agens, ne desperet. Huc pertinet monitum illud extremum, quod moriturus Antonius discipulis suis tradidit: *Incertæ conditionis vitam ancipitem quotidie pertractate, & cæleste vobis præmium sine cunctatione tribuetur.*

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum spectaculum sanctus GEMELLVS; in quo, velut in speculo, laborantis cum CHRISTO & simul ægrotantis forma conspicitur.

EM-



Perculit attonitum ſi dextrâ Scęuola Regem;
42. In Gemino gemini cauſa ſtuporis erit.

EMBLEMATICA IMAGO XLII.

S. GEMELLI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS GEMELLVS, imperante Iuliano, multis pœnis & tormentis afflictatus, affectus demum extremo crucis supplicio, Ancyræ in Galatia victor ad cælum migrauit. Nullus Martyr, præter CHRISTVM, solus in passione sua certauit, CHRISTO soli fas est dicere: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Nullum adiutorem habuit, nullius subsidio indiguit. Ceteris Martyribus CHRISTVS præstò in tormentis & in laboribus fuit, auxilio & præsidio iuuit, animos eorum accendit, viresque in certamine dedit. Non tam nomine GEMELLVS quàm reipsa gemellus erat, in quem Iulianus desæuiit. Multum quidem intercedit inter cruciferos CHRISTI, & baiulos crucis mundanæ. CHRISTVS cruciferum suum numquam deserit, adest semper laboranti, qui & dicit: *Cum ipso sum in tribulatione.* Vnde fit, quòd Paulus de se fateatur, *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Mundus verò patientem baiulũ suum minimè curat, omni prorsus ope auxilioque destituit.

Metaph. Menolog. Martyrol.

Isai. 63, 3.

Sympathia Christi & Gemelli Artificum mutua passionis.

Psal. 90, 15.

Philip. 4, 13.

Eccle. 4, 10. *Væ ſoli*, mundano ſcilicet homini, *quia, cùm ceciderit, non habebit ſubleuantem ſe.* Contigit aliquando, vt magnus Antonius, diram ac duram luctam cum tetro dæmone paſſus, amanter expoſtularet & poſtularet à CHRISTO, vbinam tempore conflictus fuiſſet. Reſpondit Dominus, cum Antonio ſimul certaſſe, & ipſe cum victoriam & triumphum reportaſſe. Cùm ita ſe res habeat, GEMELLVS hic crucifixus eſt, GEMELLVS & crucifer CHRISTI eſt.

Crux GEMELLI, Crux CHRISTI & hominis patientis.

Inſtrumentum artis benè viuendi. GEminus Paulus erat, qui ferens crucem clamabat, *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hic idem
1.Cor.15, 11. Apoſtolus, cùm ſpiritaliter ſuas proles parturiret,
Gal.4,19. gemellas ſingulas edere nitebatur, & enitebatur. *Filioli mei, quos iterùm parturio, vt formetur* CHRISTVS *in vobis.* CHRISTVS ipſe de ſe nequaquam dixiſſet,
Matth.28, 20. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi,* niſi nobis adfuturus ita eſſet, vt per aſſiſtentiam gratiæ ſuæ gemellus vnuſquiſque noſtrûm eſſet euaſurus. Ferdinandus Rex Caſtellæ cognomento & ipſe *Sanctus*, timor & terror Maurorum, Catholicæ fidei glorioſus propugnator, geminus erat, qui ſcriptum in vexillis præferebat: *Dominus mihi adiutor.* Hic idem

idem adiutor tuus. Ergo cùm crucis onus expendis, & te imparem ferendo consideras, memor eris CHRISTI Domini, qui virtutis suæ præsidio cruciferis suis assistit. Occurrit Augustinus libro de Symbolo, & monet: *Si vires tuæ in pugnando sunt paruæ,* CHRISTVM *inuoca Saluatorem,* CHRISTVM *inuoca adiutorem. Dum te prospexerit fideliter inuocantem, qui pro te pependit in ligno, victoriam & coronam victoriæ præparabit in cælo.*

Excitatio laborantis.

Crux GEMELLI, Crux ægrotantis.

QVi iacet in lecto æger, si CHRISTVM apud se habeat, in se quidem gemellus est, & cum Paulo dicere potest, CHRISTO *confixus sum cruci:* Gal.2,16.
potest simul & cum Dauide iactare, *Non timebo* Psal.22,4.
mala, quoniam tu mecum es. Deus est, qui affirmat de se, *Cum ipso sum in tribulatione,* & quidem cum tribus Psal.90,
pueris adstitit in medio fornacis, cum Patriarcha Io- 15.
sepho vinctus in carcere mansit: *In vinculis non dere-* Sap.10,
liquit eum. Nec Paulum ægrum deserüit, cùm scri- 14.
pserit ipse 2.Corinth.11. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus* CHRISTI. CHRISTVS ipse est, qui de se ipso testatur: *Quoties* Matth.23,
volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congre- 37.
gat pullos suos, & noluisti. Hæc singularis pietas indi-

Instrumentum artis benè moriendi.

ta huic domesticæ aui est, vt cum infirmis pullis infirmetur & ipsa, quemadmodum expendit Augustinus Tract. in Ioan. *Videtis autem, fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis. Nulla alia auis, quòd sit mater, agnoscitur. Videmus nidificare passeres quoslibet ante oculos nostros, hirundines, ciconias, columbas videmus quotidie nidificare; quos nisi quando in nidis videmus, parentes esse non cognoscimus: gallina verò sic infirmatur in pullis suis, vt etiamsi ipsi pulli non sequantur, & filios non videas, matrem tamen intelligas.* Quòd si ita se res habeat, cum CHRISTO infirmari quis non gaudeat? Gaudebat D. Bernardus, qui Serm. 25. in Cantica dicit: *Optanda infirmitas, quæ* CHRISTI *virtute compensatur. Quis dabit mihi non solùm infirmari, sed & destitui, ac deficere penitus à memetipso, vt Domini virtute stabiliar?* Etsi morbo & morte ipsa ægrotus iustus deficiat, cùm apud se CHRISTVM adiutorem habeat, non est cur timeat, sed habet causam, vt animosè oret & supplicet: Rex noster crucifixe, qui torcular solus calcasti, & socius Martyrum in sua passione fuisti, assiste mihi ægrotanti. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Excitatio ægrotantis.

Psal. 22, 4.

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus vocat nos ad ferendam ſecum crucem. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Hic ipſe Rex in ſacra collocauit ſe Euchariſtia, non ſolùm vt nobiſcum ſemper eſſet, ſed etiam vt nobiſcum laboraret. vnde & dicit: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Et cùm ſecum laboranti dicat CHRISTVS, *tollat crucem ſuam quotidie*, vt & cum illo ipſe quotidie laboret, orare Patrem iubet, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Qui manducat hunc panem, myſticus Gemellus eſt, ſiquidem CHRISTVS ait: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Nouerat ita eſſe S. Nicolaus Tolentinus, qui extremo laborans morbo, ſacrum ſibi Viaticum poſtulabat, vt & dicere poſſit in hoſtes. *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.*

Eleuata virtus ſacra Euchariſtia. Luc. 9, 23. Matth. 28, 20. Matth. 6, 11. Ioan. 6, 57. *Viaticum.* Pſal. 117, 7.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

CHRISTVS occiditur in crucifixo, CHRISTVS patitur in crucifero, vt gemellus vterque exiſtat. Cùm res de præmio cæleſti agitur, ſolus Martyr

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

cruci-

crucifixus, ſolus & crucifer patiens laureantur & coronantur. Teſtis mihi Paulus eſt, qui dum eſſet in laboribus, vnus erat, & geminum ſe oſtendebat, &

Phil.4,13. dicebat: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* & alibi:

1.Cor.15, 10. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hic ipſe cùm agit de

Laureola patientis. corona & de laureola, fatetur ingenuè: *Repoſita eſt*

2.Tim.4, 8. *mihi corona iuſtitiæ.* Secùs in caſtris humanis plerumque accidere ſolet, in quibus gregarij milites robore ac virtute ſua proſternunt hoſtes, hoſtileſque debellant acies; & tamen, cùm duces & Imperatores parum vel nihil geſſerint, ſibi victoriam adſcribunt, ſibi palmam & lauream arripiunt, vt dicere miles queat, *Tulit alter honores.* Honores non aufert, qui

Ioan.12, 26. ſeruienti ſibi dicit: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus, qui in cælis eſt.* Hinc factum eſt, vt cùm ſe gemellum in lecto conſideraret agens ani-

1.Reg.2,1. mam Carilephus Presbyter aſſereret: *Confirmatum eſt*

Extrema verba morientis. *cor meum in Domino, & exaltatum eſt cor meum in Deo ſalutari meo.*

Prodeat in publicum ſpectaculum ſanctus PHILEMON; in quo, veluti in ſpeculo, forma attentionis & ægritudinis conſpicitur.

EM-



Esse putas Felix, cui tanta in fata potestas?
43. *Quin magis hic felix, qui pia fata tulit.*

EMBLEMATICA IMAGO XLIII. S. PHILEMONIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS PHILEMON martyr sub Cæsare Aureliano, & Præside Feliciano atrocia tormenta passus, in crucem actus, & ictus in capite clauo, clauum fortunæ suæ feliciter imposuit. Contenderunt PHILEMON & Felicianus de consequenda obtinendaque felicitate, Felicianus agendo, PHILEMON patiendo: victus est Felicianus, vicit PHILEMON. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Felicianus reipsa infelix, at PHILEMON felix euasit, qui rotam felicitatis suæ glorioso clauo fixit & stabiliuit. Hic clauus diuersus ab eo est, quo fortis & animosa Iahel tempora Ducis Sisaræ penetrauit: *Sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Inter pedes eius ruit.* PHILEMON more CHRISTI in cruce stat, ruit Sisara. Nemo quidem est, cuius caput clauo confixum non sit. Si mundanus & terrenus homo existat, caput eius deorsum vergit, inclinat in

[Margin notes: Baronius Tom. 2. Menolog. Martyrol. — Iacob. 1, 12. — Iud. 5, 26. — *Sympathia Christi & Philemonis Artificum attentionis.*]

terram, & terræ affixus inſtar Siſaræ cadit, ac ruit. Si iuſtus ac ſanctus fuerit, caput in altum erigit, rebus ſupernis adhæret, & quaſi quodam clauo earum meditatione & conuerſatione tenetur. Tenebatur in cruce PHILEMON, tenebatur Paulus, cùm diceret, *Conuerſatio noſtra in cælis eſt.* CHRISTVS elatus in altum cæleſtia meditabatur, & Paulus, qui dicit de ſe, CHRISTO *confixus ſum cruci,* more CHRISTI, ſublimia firma ac fixa mente ſpeculabatur.

Phil. 3, 20. Gal. 2, 19.

Crux PHILEMONIS, Crux ſanctæ attentionis.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

EX primo delicto ortum & originem habuit, vt vaga mens cogitationes colligere, ac tenere prorſus nequeat. Non datur facilè modus tenendi cogitationem, per diuerſa loca diſcurrit, per varia diuagatur obiecta. Iam domi, iam foris, iam in templo, iam in foro, iam in cælo, iam in terra diuerſatur. Hæc crux exigua non eſt cæleſtibus viris, qui terrena bona contemnunt, affectant cæleſtia, & tamen, cùm minùs cogitant, in oratione & meditatione diuertit animus ad ea quæ mundana & profana ſunt. Crux iſta grauis erat contemplatiuo Hieronymo, qui cùm eſſet in ſolitudine, tenere cogitationem non poterat, quominùs ad Romana theatra aliquando

aliquando diuerteret. Rogandus Deus eſt, vt caput, in quo mens ſuam ſedem habet, ſepoſitis aliis curis, vni rei attendat, cui attendebat ſedens ad CHRISTI pedes Maria, non ſic Martha, cui dictum legimus; *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Non poterat illa auferri, quoniam pedibus Domini caput, mens, & cogitatio Mariæ adſtringebantur, & quod amplius eſt, affigebantur. Affixam ſic animam eſſe cupiebat ſanctus Ephræm, cùm ageret de lucta ſpirituali, ac diceret: *Attende tibi ipſi, Frater chariſſime, ne in tuis orationibus extollaris, & huc illucque mente euageris, ſed cùm precaturus ad Deum acceſſeris, magno cum timore ac deſiderio coram ipſo conſiſtas. Eſto per omnia veluti cæleſtis Angelus in oratione, & viriliter in agone decerta, vt oratio tua ſit ſancta ac munda, impolluta & immaculata.*

Luc.10. 41.

Excitatio laborantis.

Crux PHILEMONIS, Crux ægrotantis.

CLauus capitis infirmo eſt, cùm lecto affixus inhæret, & ratione officij ſui audire cogitur, quæ caput lædunt & frangunt. Clauus capitis infirmo eſt, vt cùm aliquando lubeat, & velit quieſcere, clamantium ſtrepitu, vel etiam præcepto Medicorum optato ſomno priuatur. Clauus capiti infixus

Inſtrumentum artis benè moriendi.

 eſt,

eſt, cùm fundere preces cupit, nec tamen præ capitis dolore licet. Cùm ſit in hoc ſtatu æger, meminerit dicentis Pauli: *Orabo ſpiritu, orabo & mente*: meminerit canentis Dauidis: *Eructauit cor meum verbum bonum*: oret ſpiritu, oret corde, oret mente: Rex glorioſe, cuius vertex ſacroſanctus perforatus ſpinis acutis eſt ad inſtructionem, & ſimul conſolationem Martyris PHILEMONIS, conſolare capite dolentem, & penitus deficientem, corde orantem, & opem ſuam implorantem & expectantem. Reſpondent ſibi membra, & caput perforatum PHILOMENIS; manus ſiquidem & pedes, ac totum reliquum corpus crucis ligno affixum eſt, & ſimiliter confixum clauo eius apparet caput. Accidit ita ægrotanti, vt cùm caput diris doloribus angitur, cetera quoque membra ægrotantis capiti ſuo condoleant. Quòd ſi capitis dolor per omnia pertinet membra, neceſſe quoque eſt vt & virtus patientiæ pertineat. Cùm D. Bernardus extremè iam laboraret, clauus doloris capiti affixus erat: cumque Godefridus venerabilis Lingonicæ ſedis Antiſtes multis cum illo ageret, nec attendere poſſet æger ad ipſius Antiſtitis admirationem, reſpondit paucis Bernardus: *Ne mireris, ego enim iam non ſum de hoc mundo*. PHILEMON de hoc mundo non erat, qui pia fata tulit, idcircò ſæpè

2.Cor.5,15. Pſal.44,2.

Excitatio ægrotantis.

Deus

Deus acerbos capitis dolores immittit iacenti in lecto homini, vt cùm nequeat ille attendere, in similitudinem picturæ caput confixum habeat, & fateatur de se: *Ego iam non sum de hoc mundo.* Recipiat se ad cordis & pectoris sui sacrarium, in quo Deus cum infirmis agit, & infirmi Deo loquuntur. Gaudet Deus solitudine, vt & anima sibi attendat, & ipse animæ. *Ducam eam,* inquit, *ad solitudinem, & loquar ad cor eius.* Oseæ 2, 14.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus, cuius caput spinis perforatum & simul coronatum est, nostræ sic attendit redemptioni, vt esse sui immemor videretur. Hic ipse gloriosus Rex in memoriam sacræ passionis, & simul suæ attentionis reliquit venerabile Sacramentum, cuius virtute positus extra se, non solùm temporalium rerum, sed etiam suiipsius penitus obliuiscatur, vt soli Deo intentus & attentus sit, dicatque diuino refectus cibo: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Compertum est quotidiano experimento, vt post acceptum Viaticum homines aliàs rebus mundanis distracti ita se colligant & recipiant, vt attendant cælo & Deo, cuius creaturæ sunt, & cuius passionis gratia acceperunt corporis & animæ redemptionem.

Virtus sacra Eucharistia. Psal. 72, 25. *Viaticum.*

Glo-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

CAput PHILEMONIS CHRISTVS erat, & capiti suo attentus, sub illo vulnerato vulnerari & ipse voluit, & diram mortem subire. Attentus Martyr attentos nos esse cupit, vt passionibus Redemptoris cum ipso communicantes, etiam cum ipso in reuelatione gloriæ exultantes gaudeamus. Igitur tamquam strenui bellatores, quodlibet tentationis genus alacri animo & virili toleremus. Nequaquam vereamur ad tempus membra CHRISTI sub CHRISTO & pro CHRISTO pati. Breuis est pugna, & sine vllo dilabens interuallo; remuneratio perpetua & multa nimis. Exempla nos roborent Sanctorum ad patientiam, & innocens vita crucifixi. Hæc est felicitas nostra, hæc laurea, hæc corona, vt cuius mystica sumus membra, in laboriosa passione simus partes principales in gloria & remuneratione. Hinc orta vox extrema sacri martyris Platonis: *Mihi viuere* CHRISTVS, *& pro ipso mori lucrum & gloria.*

Laurea attentionis.

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum spectaculum sancti DECEM MARTYRES crucifixi; in quibus, velut in speculo, custodiæ Decalogi & morbi forma conspicitur.

EM-



Cur ad Theopolin vitales linquitis auras?
44. *Seruet vt æternum corpora Theopolis.*

EMBLEMATICA IMAGO XLIV.

SS. DECEM MARTYRVM CRVCIFIXORVM EXPLICATA.



HEOPOLI sub Cosrhoë Rege DECEM Christiani comprehensi, ab impiis Saracenis decem crucibus affixi, agentes de impiis & de impietate triumphum, vitam suam concluserunt. Consonant sibi Decalogus legis diuinæ, & Denarius Confessorum, & quidem rectè, cùm verum sit quod Damianus Sermone de Inuentione Crucis affirmat: *Perspicuum est, quòd ipsæ tabulæ Legis Crucis Dominicæ prætulerunt sacramentum. Denarius enim numerus per litteram X. designatur, quæ non tantùm exteriorem crucis prætendit imaginem, sed & mysticam eius quamdam videtur indicare virtutem, videlicet, quòd præcepta veteris Testamenti Euangelicæ legi copularit Deus: teste Dauide, finxit laborem in præcepto.* Ne nos per fugam laboris custodiam legis omitteremus, Deus ipse factus est homo, vsque ad mortem crucis obediens. Quòd si denarius numerus per formam crucis signatur, XPΣ qui Rex summæ gloriæ est, hunc eumdem numerum sacro

Ado. Beda. Martyrol.

Psal. 93, 24.

Sympathia Christi & Decem Martyrum Artificum custodia Decalogi.

ſuo nomine præfert, & crucifixus perfectam obedientiam Decalogi exprimit. Quare XPΣ ipſe lib. 1. Reuelat. cap. 11. ſuæ Birgittæ dixit: *Quia manus meæ extenſæ ſunt cum clauis, propterea opera tua, quæ figurantur in manibus, extendentur ad pauperes, & ad præcepta mea.* Crucifixum CHRISTVM ſuum DECEM MARTYRES contemplati ſunt, & ad eius formam patientes pro ſanctis Dei legibus ſanguinem ſuum profuderunt, & cruciferos monuerunt, vt legalem crucem ſecum ſumerent & portarent.

Crux DECEM crucifixorum, Crux cuſtodiæ Decalogi.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

RES vna crux eſt, ex duobus lignis compacta, numeri denarij typus. Lex quoque Euangelica vna eſt, quæ ex duabus præceptionibus charitatis Dei & proximi componitur ac reſumitur. Hanc legem ſimul & crucem ſibi imponi precabatur Dauid

Pſal. 118, 33. Rex, *Legem pone mihi Domine.* Lex crux eſt, crux ara,

Excitatio laborantis. in qua religioſus cuſtos legis ſeipſum per obedientiam immolat & ſacrificat; cùm 1. Regum cap. 25. dixerit Samuel: *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum.* In hanc quoque ſententiam

tentiam loquitur Ecclesiasticus cap.4. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias. Multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ.* Dictorum rationem reddit Gregorius lib. 36. Moral. cap.11. *Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisque Deum placat, quantò ante eius oculos, repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat.* Quot sunt præcepta; tot gladij, tot cruces sunt, & decies se immolat homo, cùm Decalogum legis custodit & seruat patiens. Ait enim Ephræm Orat.2. de Patient. *Patiens in exequendis mandatis obediens est.*

Crux DECEM crucifixorum, Crux ægrotantium.

Decem sunt præcepta Decalogi, quæ sub vna dilectione comprehenduntur: *Plenitudo legis est dilectio.* Quamuis varij morbi, & diuersæ sint ægritudines, in vnum amoris morbum conuerti possunt. Laboret quis febre, stomacho, capite, latere, & ceteris id genus infirmitatibus; si tamen iustus sit, & propter Dei amorem mala patiatur, dicere fas est, *Amore langueo.* Ad vnam amoris crucem decem legis mandata referuntur, & in vno charitatis languore

Instrumentum artis benè moriendi. Rom.13, 10. Cant.1,5.

omnes morbi continentur. Et quidem Paulus Apo-
1.Cor.11, 29. stolus, cùm rogaret, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* amore charitatis ardebat, & in vno amoris morbo morbos
1.Cor.13, 4. omnium complectebatur, ac sustinebat; *(charitas patiens est)* & quisquis languet amore, patiens in morbis erit. Felix morbus qui procedit ex amore, infelix ille qui ex defectu charitatis suam originem ducit. Liquet hoc in paralytico, cuius meminit Ioan-

Excitatio ægrotantis.

Ioan.5,5. nes. *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* Hæc infirmitas ex defectu amoris debiti procedebat, cùm asserat S. Augustinus: *Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, & lex non impletur nisi in gemino præcepto charitatis; quid miraris quia languebat, quia ad quadraginta duo minus habebat?* Nec datur ambigendi locus, quòd languidus ille ex violatione legis infirmaretur, cùm
Ioan.5,14. non multò pòst dixerit illi CHRISTVS: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Cùm hic paralyticus ex defectu amoris in proximum laboraret, mirum non est quòd in ægritudine sua non haberet ille hominem, cuius ministe-
Ioan.5,7. rio vteretur. *Hominem non habeo,* inquit. Luit debitas pœnas æger, cùm ab homine deseritur, cui debitum non soluit amoris. Homo derelictus ab homine,

ne, à clementiſſimo Deo, quem diligere debuit, nec dilexit, non deſeritur: accurrit ægrotanti, ac dicit: *Vis ſanus fieri?* Impertit ægrotanti ſanitatem, vt verbis blandis allectus, & beneficiis attractus diſcat diligere Deum, & ex eius amore omnes labores, omnes morbos ſuſtinere, ſicut & patres ſuſtinuerunt, quorum exequias celebrat S. Ephræm, & ait: *Angeli Sanctos felices ac beatos prædicant, & ad eos dicunt: Beati eſtis vos, qui* CHRISTI *amore & deſiderio, benè prudenterque magna cum veſtra patientia ſcapham veſtram tutò mandatis* CHRISTI *optimis direxiſtis: quapropter ad tranquillum iam portum perueniſtis, &* CHRISTVM *recepiſtis, quem tantopere deſideraſtis & amaſtis.* Quàm bona ſit medicina, exacta legis cuſtodia, vel vnus agnouit ethnicus Euripides in Bellerophonte. *Morbi mortalium*, inquit, *alij ſponte, & alij & noſtra culpa fiunt, alij diuinitus immittuntur, quibus lege medemur.*

Ioan. 5. 6.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus XPΣ, qui Decalogum legis nomine ſuo præfert, & eius obſeruantiam legalem in cruce ſatis oſtendit, vt tædium eius obſeruationis à noſtris cordibus auferret, ſacram inſtituit Euchariſtiam, cuius virtute cor humanum excitatur & confir-

Virtus ſacra Euchariſtia.

confirmatur, vt tempore proſperæ aduerſæque valetudinis legi diuinæ afficiatur, & per cuſtodiam Decalogi denarium diuinum, cuius pignus Euchariſtia eſt, lucretur & conſequatur. Conueniunt inter ſe Decalogus & Euchariſtia, quandoquidem inſtitutio ſacramenti vocari ſolet *mandatum*, & idcircò ſic appellatur, quia tunc CHRISTVS legem amoris ſanciuit: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Et quidem ad vnam & eamdem ſummam amoris Decalogus legis, & myſterium Euchariſtiæ rediguntur, & è vita decedentibus ſimul præcipiuntur.

Ioan. 15, 17.

Viaticum.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

LEx Decalogi intra Sancta ſanctorum ſeruabatur, & in Altari ſummo cuſtodiebatur, vt vel ex loco ipſo colligeretur, ſanctum eſſe ſacrificium, quo quis per Decalogi obſeruationem ſe dicaret & conſecraret. Legis huius, quæ fit per obedientiam oblatio & immolatio conditionem declarat S. Laurentius Iuſtinianus cap. 9. de Contemptu mundi. *Lex obedientiæ, quæ à Deo in paradiſo primis eſt iniuncta parentibus, & quæ per Moyſen, iubente Deo, eſt inſtituta Hebræis, & quæ per* CHRISTVM *eſt prærogata fidelibus, facta eſt merendi ſeu demerendi occaſio, obedientiæ diſci-*

disciplina, liberi arbitrij doctrix, desideriorum cordis propalatrix, & custodita perennis vitæ brauium.

Hæc, inquam, lex, tametsi per diuersitatem temporum nomina varia sortiatur, vnum tamen habet effectum, idemque merendi institutum, excepto quòd legem naturæ atque Decalogi in hoc præcellit lex gratiæ, quòd obseruatorem suum transmittit ad cælos, ceteræ autem minimè; quoniam iusti, qui in ipsis militauerant Deo, præstolabantur CHRISTVM *in carne venturum, qui futurus erat primogenitus mortuorum, Ecclesiæ caput, Dei & hominum mediator, redemptorque, ante quem nemo dignus fuerat transferri cælo.* Transferuntur iam post CHRISTVM Decalogi obseruatores, qui ex lege ipsa Decalogi sibi conficiunt crucem, in qua Deo cæli immolati & consecrati componuntur, vt vestigiis CHRISTI inhærentes, cælestia exemplaria ingrediantur, vbi custodita lex habet & præbet æternæ vitæ brauium. Plenitudo legis, dilectio est: & quisquis eam virtute dilectionis impleuit, gratuletur sibi vel in ipsa mortis hora de accipiendo statim brauio & denario, cum Polycarpo, cuius extrema fuit illa oratio: *Pater dilecti & benedicti Filij tui* IESV CHRISTI, *per quem tui cognitionem accepimus, gratias tibi ago, quòd me huius diei & horæ celebritate donasti. Sic dum ad mortem pergunt* (inquit S. Dionysius Ecclesiast. Hierarch. cap. 7. §. 1.)

Laurea Decalogi.

Extrema verba morientis.

§.1.) qui ſanctam vitam traduxerunt, ad veras Dei promiſſiones intuentes, quarum veritatem quodammodò in reſurrectione iam conſpexerunt, cum firma & vera ſpe gaudioq́ue diuino ad mortis terminum, tamquam ad finem certaminum, proficiſcuntur; quòd certò ſciant, ſua omnia, propter futuram ſuam reſurrectionem in tuto fore in illa perfecta æternaq́ue vita & beatitudine.

Prodeant in publicum ſpectaculum ſancti IGNOTI crucifixi; in quibus, velut in ſpeculo, ignobilitatis & morbi forma conſpicitur.



Sæua dies frustra Sanctorum nomina condis:
45. *Hæc erit ignoto nomine nata phalanx.*

EMBLEMATICA IMAGO XLV.

SS. INCOGNITORVM CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

DE mandato Diocletiani in Phœnicia homines aliquot Christiani, quorum sunt incognita nomina, crucis supplicium subierunt. Hebræi ignotum omnino CHRISTVM & sine nomine esse voluerunt, cùm dixerint: *Quando morietur, & peribit nomen eius?* Omnes vno ore & vna voce clamarunt: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs.* Votis eorum minimè respondit euentus, quin potiùs è crucis morte nomen sibi *Crucifixus* comparauit: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Gloria quidem nominis nobilitas est, obscuritas verò famæ crux mundanæ ignobilitatis est. Crucis ignominiosæ consortes CHRISTVS Sanctos suos voluit, qui ignobilia & contemptibilia elegit, vt fortia quæque confunderet. vnde & Paulus ait: *Vos nobiles, nos au-*

Niceph. Martyrol.

Sympathia Christi & Incognitorum Martyrum Artificum tolerata ignobilitatis.

Psal. 40, 6.

Phil. 2, 8.

1. Cor. 4, 11.

autem ignobiles. Hic idem Apoſtolus monet, vt ſer-
2.Cor.6,8. uiamus omnes Deo *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ſicut qui ignoti & cogniti,* ſicut INCOGNITI CRVCIFIXI vixerunt & obierunt. Accedit Ephræm de Vita ſpirituali: *Ne igitur animum deſpondeas, videns te in hac vita inglorium, cogita hæc etiam viros iuſtos ſuſtinuiſſe.*

Crux INCOGNITORVM CRVCIFIXORVM, Crux ignobilitatis.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

CRucifixos pariter & cruciferos Dauid contemplatus canebat: *Euntes ibant & flebant, mitten-*
Pſal.125,6. *tes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Quod ſeritur, iacet in terra ignotum, iacet prorſus ſine nomine; dein verò no-
1.Cor.15,43. bile & glorioſum reſurgit. *Seminatur in ignobilitate, ſurgit in gloria.* CHRISTVS ignobilis ſatus eſt, ſed
Ioan.12,24. poſteà glorioſus ipſe ſurrexit. *Niſi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cùm cecidit in terram CHRISTVS, prorſus ſine nomine
Phil.2,8. fuit; *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Dein verò ſublimi nomine IESV auctus eſt. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,*

vt

vt in nomine IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Ad formam CHRISTI Martyres crucifixi, atque cruciferi, dum ferunt, & in terra feruntur, ignorantiam sui nominis libenter ferunt, cùm nouerint in cælo nomina sua scripta, nullo tempore obliteranda, nulla obliuione delenda. Hoc idem Christianæ humilitatis institutum, hoc consilium est Apostolicæ perfectionis, sicut adstruit Augustinus in Psalm. 150. *Omnium fidelium qui diligunt* CHRISTVM, *qui ambulant viam eius humiliter, quam ipse docuit humilis, nomina scripta sunt in cælo: cuiusque contemptibilis in Ecclesia, qui credit in* CHRISTVM, *& diligit* CHRISTVM, *& amat pacem* CHRISTI, *nomen scriptum est in cælo. Ipsa est perfectio nostræ humilitatis.* Facessat hinc humanæ gloriæ studiosus, cum quo rem habet S. Ephræm agens de vita spirituali: *Sed & ego, dices, in miseriis atque angustiis vitam obscurus & inglorius transigens, post mortem nullam mei memoriam relinquam. Extremæ dementiæ, & animi vana gloria pleni hic morbus est. Quàm multi sunt putas, qui persecutiones pro Saluatore nostro pertulerunt, & adhuc obscuri & ignoti Deo viuunt?*

Excitatio laborantis.

Crux

Crux incognitorvm crvcifixorvm, Crux ægrotantium.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

AD claſſem INCOGNITORVM Sanctorum pertinent ægri, qui de bonis ſuis teſtantes, magnificas ſui memorias non extollunt, ſed pia opera promouent, ex quibus non tam nomen apud homines, quàm apud Deum & Angelos ſibi acquirant. Natus quippe Regi & aulæ, licet ruſticis ſit ignotus, contemnit, nec curat; & vir iuſtus cùm Deo & Angelis innoteſcat, parui facit ſi lateat ipſe in mundo, vbi merus paganiſmus eſt. Eapropter Patriarchæ, qui ſublimem Ieroſolymam affectabant, in caſulis morabantur, inſinuantes ſe in vaſto mundi præſentis pago habitare, donec ſupernam Dei ciuitatem ingrederentur. Cogita, æger, de cæleſti Ieroſolyma, & exiſtima, ſicut monet Nazianzenus Epiſt.124. morbum corporalem *tibi pædagogiam quamdam eſſe ad id quod vtile eſt, vtpote contempto corpore, & quæ corporea ſunt, ſimulque quidquid fluxum, turbulentum & perditum eſt, totus ad cæleſte conſortium tranſeas, proque præſenti ſæculo, viuas futuro.* Vera quippe nobilitas ibi eſt, ad quam per ignobilitatem aditus aperitur. *Seminatur,* inquit Apoſtolus, *in ignobilitate, ſurget in gloria.* Quem locum verſans Baſilius in Pſalm.104. dicit: *Compara,*

Excitatio ægrotantis.

1.Cor.15, 43.

ra, quæso, genesi mortem, ac desine lugere mortuum, ab ignobilitate ista liberatur. Sordidæ conditionis homo est, & tunc maximè apparet, cùm æger in lecto est, & morti tributum pendit. Ignobilis est dum viuit, quia mortalitati suæ censum præbet; ignobilior est in morbo, quia non tam mortalitati quàm morti debitum vectigal reddit. Soletur seipsum recordatione sancta optimi & maximi Regis, qui dum vixit, & dum obiit, tributarius esse voluit, voluit & ignobilis haberi, vt socios suos ignotos esse doceret. Dicat ergo æger, qui iacet in lecto ignotus: Rex noster crucifixe, qui vilis & ignobilis in cruce habitus es; præsta, vt qui ignotus & occultus æger in lecto iaceo, in cælestibus notus fiam. Hic effectus morbi est, vt qui illum patitur, deformetur quidem mundo, Deo verò & cælo formetur, quibus per patientiam suam innotescit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus, cùm summè nobilis esset, tamquam ignobilis habitus passusque est, & inde ortum suum nobilitas Christiana duxit. Nobilitas itaque nostra in cruce est, & quos seruos in ea CHRISTVS nobilitauit, ad epulum Eucharistiæ vocauit & inuitauit, vt eos non solùm nobilium more, *Virtus sacra Eucharistia.*

ſed etiam ritu Regum tractaret & recrearet. *Pinguis eſt panis* CHRISTVS, *& præbebit delicias Regibus.* Hæc Regum conditio eſt, vt non tam ex proprio nomine, quàm ex regali titulo velint cunctis mortalibus eſſe noti: & Reges in CHRISTI menſa parum de humano nomine curant, cùm titulo gaudeant diuino. Myſticos Reges ſacra reddit & conſtituit Euchariſtia; cuius virtus tanta eſt, vt eos Sereniſſimos efficiat, quos regaliter tractat & effert. Principes, quos orbis Sereniſſimos vocat vel ex eo maximè, quòd vario rerum euentu non turbentur, turbantur cùm accedit mortis ſententia, & eſſe Sereniſſimi deſinunt.

Viaticum. Verùm enimuerò Euchariſtici Reges ac Principes ſuam ſeruant ac retinent ſerenitatem, etiam cùm mors appropinquat, premit & opprimit.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

1. Cor. 4, 11. *Honor alit artem benè viuendi & moriendi.*

INuidebat nequaquam Paulus claris & conſpicuis viris, cùm diceret: *Vos nobiles, nos autem ignobiles;* contentus quidem ſorte & conditione, qua cum ſuo Rege conueniebat. Rex gloriæ inglorius prorſus in mundo erat. (Ioan. 1, 10.) *Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Vixit ignotus CHRISTVS; & tamquam ignobilis ipſe ignominioſa morte affe-

ctus

ctus est. Regis ad exemplum Paulus componebatur, & summæ gloriæ ducebat, esse se cum CHRISTO inglorium, & in ipsa crucis ignobilitate totam suam nobilitatem, ac nominis claritatem constituebat, cùm diceret: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Gal.6,14.

Rex gloriæ IESVS CHRISTVS vbi summum regnum habet, ibi regalem nobilitatem & dignitatem ostentat. Coram Romano Præside CHRISTVS stabat, cùm ingenuè fateretur; *Regnum meum non est de hoc mundo.* Fassus est se regnare in cælo velle, & ibidem velle se post sacram passionem triumphare. Solemnem agens triumphum, cæleste regnum ingreditur, festiuis excipitur acclamationibus: *Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cùm hæc sit claritas CHRISTI, *Gloria hæc est omnibus Sanctis eius*, quibus in Euangelio annuntiatur, *De mundo non estis*, vt in mundo ignobiles esse cupiatis, & solùm de vera nobilitate cogitatio vestra sit, quæ solùm in regno cælesti inuenitur, & quidem laureata & coronata, cuius splendore conspicui SANCTI IGNOBILES apparebunt, quibus visis exclamabunt mundani & profani nobiles: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo com-*


Ioan.18, 35. Psal.23,7. Psal.149, 9. Ioan.15, 19. *Laurea ignobilitatis.* Sap.5,4.

putati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Hinc factum eſt, vt nobilis Iuſtinianus deſiderans eſſe ignotus, dixerit moriturus: *Facite quod iubeo, nolite pompam parare: neque enim is ſum quem exiſtimatis;* Antonium imitatus & Hilarionem, qui in locis obſcuris, ne colerentur, ſepeliri voluerunt.

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum ſpectaculum ſancti CLEONICVS, EVTROPIVS & BASILISCVS; in quibus, velut in ſpeculo, ferentis mundum & morbum forma conſpicitur.

EM-



Quis neget amplecti victricia signa Tonantis,
46. *Sub queis victoris præmia victus habet?*

EMBLEMATICA IMAGO XLVI.

SS. CLEONICI, EVTROPII ET BASILISCI CRVCIFIXORVM EXPLICATA.



LEONICVS, EVTROPIVS & BASILISCVS milites inſignes CHRISTI, ſub Maximiano imperante, & Aſclepiade Præſidente, quidquid mundus amat & habet deſpicientes, cruciatus atque cruces ſubierunt. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Tres iſtas concupiſcentias CLEONICVS, EVTROPIVS & BASILISCVS virtute ſanctæ crucis debellarunt, & à nobis ſuperandas eſſe monent. *Qui ſunt* CHRISTI, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* CLEONICVS in effigie ſua totus armatus comparet, & carnis concupiſcentiæ bellum indicit. EVTROPIVS erecto vultu in cruce deſcribitur, & concupiſcentiæ oculorum, id eſt, rerum terrenarum omnino renuntiat. BASILISCVS totus curuatus & humiliatus, ſuperbiæ & elationi humanæ ſe opponit. Omnes tres, & ſinguli cum Paulo dicunt: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Igitur vt mundum & tres eius affectio-

Græcæ tabul. Marty:ol.

1. Ioan. 2, 16.

Gal. 5, 24.

Sympathia Chriſti & Martyrum Artificum ſuperata concupiſcentia.

Gal. 6, 14.

fectiones pariter crucifigamus, quid efficere debeamus, è crucibus Martyres monent; monet & S. Augustinus Serm. 4. de Ascensione: *Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ aduersitates deiiciant. Absit tibi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI, *per quem tibi mundus crucifixus est, & tu mundo crucifixus.* Accedit Bernardus de Modo benè viuendi, Serm. 1. *Qui crucem portat, debet mundo mori; nam crucem ferre, semetipsum est mortificare.*

Crux CLEONICI, EVTROPII & BASILISCI, Crux mundanæ concupiscentiæ.

Instrumentum artis benè viuendi.

MVndus nos à tribus partibus impetit: quem si vincere velimus, à tribus nos illum partibus inuadamus. Per carnem, per oculos, per vitam nobis bellum ingerit mundus, & nos in eius appetitiones crucis arma moueamus. Cùm mundus carnis concupiscentia animam tuam inuâdit, maceratione carnis te arma (CLEONICVS ait) hostem propulsabis, & victoriam comparabis. Cùm aggreditur per concupiscentiam oculorum, lacrymas funde coram Deo (sicut hortatur EVTROPIVS) & effusione lacrymarum impetum hostilem retundes, triumphumque reportabis. Quòd si impetu superbiæ deiicere te contendat, eius vanitas (vt suadet BASI-

BASILISCVS) humilitatis amore dissoluenda est, & deprimes aduersarium. Crux triplex & grauis est, hisce concupiscentiis sæpè impeti, & non succumbere, sed per spem certæ victoriæ leuior crux ista redditur, sicut testatur in hæc verba Bernardus Sermone in Octaua Paschæ: *Vis ergo nosse quis est qui vincit mundum? Quæ in eo vincenda sunt, diligenter intuere; siquidem & hoc ipsum beatus Joannes indicat, dicens: Charissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Hæ sunt tres turmæ, quas fecerunt Chaldæi. Sed memini quoque S. Iacob fecisse tres turmas, cùm timeret à facie Esau, rediens ex Mesopotamia. Et vobis ergo aduersus triplex genus tentationis triplici opus est munimento, vt carnis concupiscentia ipsius mortificatione vincatur: oculorum verò concupiscentiam superet studium compunctionis, & assiduitas lacrymarum: porrò ambitionis vanitatem virtus charitatis excludat.* Cùm Matthæi capite 10. CHRISTVS dixerit, *Omnis qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus;* explicat Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 28. *Nihil aliud significat, (vt arbitror) quàm mundo propter Deum renuntiare, & huic corporali vitæ bona, quæ per fidem speramus, anteponere.*

Excitatio laborantis.

1. Ioan. 2, 16.

Gen. 33, 1.

Crux Cleonici, Evtropii & Basilisci, Crux ægrotantium.

Instrumentum artis benè moriendi.

CVm mundo & eius appetitionibus diram luctam homo gerit, & cùm incidit in morbum, totum ſecum mundum quaſi proſternit. Proſternit carnem, ne voluptate trahatur; deiicit oculos, ne diuitiarum & opum falſa ſpecie capiantur; deprimit omnem ſuperbiam, ne animus inani gloria feratur & efferatur. Vnde & dicere fas eſt ægro, cùm lecto doloris affigitur: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Audiamus philoſophantem pulchrè Nazianzenum Epiſt. 70. ad Philagrium: *Honeſtum eſſe cenſeo dolori reſiſtere, atque animo vel nunc maximè expurgari, at morbum nihil aliud ducere, quàm vtilem quamdam inſtitutionem, hoc eſt, vt corporea omnia, & quidquid fluxum eſt & caducum aſpernans, totum te cæleſti patriæ addicas.* Proſternit virtute patientiæ æger mundum & eius principem, quemadmodum Iobus & Lazarus proſtrauerunt, & quidem cùm infirmi eſſent, vt aſtruit in Aſceticis Baſilius. *Fit autem*, inquit, *iuxta poſtulationem ſatanæ aliquando, vt veluti magnum agoniſtam ad certamen illi committat benignus Dominus, & inſolentiam illius per extremam ſeruorum ſuorum tolerantiam deiiciat, quod in Job factum eſſe dicimus, vel ad exemplum*

Gal. 6, 14.

Excitatio ægrotantis.

exemplum illis, qui nihil ferre ſuſtinent moleſtiæ in medium adducatur à Deo, qui ad mortem vſque in triſtibus perdurare poſſunt, qualis erat Lazarus, qui cùm talibus obrutus eſſet vulceribus, nuſquam commemoratur quòd præſentem calamitatem moleſto animo tulerit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus omnem mundi vanitatem & concupiſcentiam è cruce ſua damnauit, & adhuc mundum eiuſque appetitiones damnat in Euchariſtia, quæ nihil carnale nihil terrenum ſapit, & efficit, vt Regis glorioſi conuiuæ rebus mundanis renuntient. Quamuis in hac renuntiatione excelluerit Auguſtinus, pro humilitate ſua cap. 13. Soliloq. exclamat, *Mundus clamat, Deficio; tu verò clamas, Reficio: & miſeria mea praua magis ſequitur deficientem quàm reficientem. Planè infirmitas mea hæc eſt.* Infirmitas planè eſt, cùm iacens in lecto æger, appetit ea quæ valetudini nocent: at cùm exoptat quæ ſaluti ſuæ proficiunt, in via ſalutis eſt. Cùm idem ipſe mundanis affectibus ducitur, infirmus cenſendus eſt: ſi verò renuntians terrenis appetitionibus, cæleſtia quærit alimenta, in via ſalutis & vitæ incedit & ambulat vſque ad mortem, cùm dixerit CHRISTVS: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Virtus ſacra Euchariſtia.

Viaticum.

Ioan. 6, 60.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Laureola deuicta concupiſcentia.

NOdus triplex concupiſcentiæ carnis,& concupiſcentiæ oculorum,atque ſuperbiæ vitæ, implicitus adeò eſt, vt explicari non queat, cuius diſſolutioni annexum eſt regnum cælorum , decreta corona & laureola conceditur. Hæc corona & laureola deſtinata caſtitati: (Matth.5,8.) *Beati mundo corde , quoniam ipſi Deum videbunt.* (Matth.5,3.) Hæc paupertati decreta ; *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Hæc humilitati conceſſa : (Luc.14, 11.) *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Pro tali regno & imperio neceſſe eſt vt nodus ille frangatur, & cùm manuum miniſterio diſſolutio non ſuccedat, recurſus ad crucem fiat, cuius ope & opera crucifixi atque cruciferi (Gal.5,24.) *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, & bono hoc omine & nomine regnum cælorum intrarunt & occuparunt. Cùm iam intrarit , & ſimul occuparit hoc regnum Calliopius apud Metaphraſten , faſſus ingenuè eſt : *Malo* CHRISTI *cruce affigi , quàm caducis ſtulti mundi deliciis frui.*

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum S.MARINVS; in quo , veluti in ſpeculo , ferentis furioſos homines & morbos forma conſpicitur.

EM-



Subiacui furijsq; hominum, furijsq; ferarum:
47. *Sed mihi plus homines quàm nocuere feræ.*

EMBLEMATICA IMAGO XLVII.

S. MARINI CRVCIFIXI EXPLICATA.



NAZARBI in Cilicia ſub Diocletiano, Præſide Lyſia, S. MARINVS ſenex primò flagris cæditur, dein ligno ſuſpenditur, & in eo mirum in modum excarnificatur, poſtremò capite obtruncatur, & corpus canibus ac feris vorandum traditur. Feras & rabidos canes truculentia ſua homines ſuperarunt. Benè ſimul & verè lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 28. dicit S. Auguſtinus: *Inhumaniùs homines hominem viuum, quàm beſtiæ ſolent decerpere cadauer abiectum.* Feræ crudeles ſuapte natura ſunt, homines ſuopte ingenio mites & manſueti, peccati verò malitia redduntur ſæui, furioſi, truculenti. Nihil peccato crudelius, nihil ſæuius. Quamuis culpa ita barbara & fera ſit, potens manſuetudo eſt, vt vincat omnem eius ſæuitiam, omnem eius truculentiam. Contra hominum degenerem inhumanitatem, ac feram crudelitatem S. MARINVS ſuam patientiam obiicit, & dum baculis contunditur, ait: *Frumentum* CHRISTI *ſum, contundor baculis, vt panis mundus inueniar.* Dum vnguibus lania-

Martyrol. Menolog.

Pſal.29,12. laniatur, dicit Deo : *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Vim vi repellere licet, vi nimirum patientiæ vim ſæuitiæ & truculentiæ. Sic CHRISTVS furias humanas repreſſit, de quibus Dauid : *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus* CHRISTVM *eius.*

Sympathia Chriſti & Marini Artificum ſuperati furoris.

Pſal.2,1.

Crux MARINI, Crux patientis humanum furorem.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

IMmanis hominum crudelium furor. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis : ſicut aſpidis ſurdæ, &*
Pſal.57,5. *obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Edoctus experientia loquebatur, furorem Regis Saulis expertus fuerat, & contenderat rabidam eius iram cantu citharæ temperare Dauid, nec tamen potuit : potuit tamen eius rabiem, & proiectam in ſe lanceam deui-
Prou.19,8. tare. *Homines peſtilentes*, ait Salomon, *diſſipant ciuitatem, ſapientes verò auertunt furorem.* Cùm peſtis ſæuit, cauere ſibi homines ſolent ne vento infecto tangantur & inficiantur; cumque peſtis crudelis inſtar homines furioſi ſint, furorem declinant ſapientes, curantque omnibus modis, ne aura indignationis, & iræ frementis vento per impatientiam corripiantur.

Excitatio laborantis.

tur. Confugiunt ad CHRISTVM patientem, qui furoris humani crucem tulit, & ferre docuit eos qui dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis, cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos. Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Hæc MARINI imitatores; sed, vt ait S. Ephræm agens de Pœnitent. *Martyres ob amorem Dei dissecti meruerunt accipere coronam, nos autem, cùm sine tormentis Martyres esse queamus, potiùs contraria agentes, inutiles permanemus.* Psal.123, 1.

Crux MARINI, Crux ægrotantis.

LÆditur à seipso æger; fera sibi humana est: quæ dum valet, vincitur & ligatur; cùm malè habet, soluitur, vt à se diris pœnis discerpatur, doloribus dilanietur, & lecto affixus crucem MARINI patiatur, si tamen eius patientiam imitetur, memor regis Ezechiæ, qui cùm grauiter vexaretur acerbis ac diris ægritudinis doloribus, quasi leonis vnguibus disrumpebatur & dilaniabatur. *Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.* Ita contingere solet, vt incidat in leonem, & eius vngues incurrat, qui iacens in lecto *Instrumentum artis benè moriendi.* Isai.38, 13.

æger diris pœnis exercetur. Interim dum exercetur, Deus orandus eſt : Deus & homo, qui feritatem hominum & dolorum expertus es, mitiga furentes elementares humores, qui ferarum inſtar miſeram carnem impetunt & dilaniant. Dum caro humana diſrumpitur & laniatur, virtute patientiæ æger ſe ſeruet, atque intus ſe cuſtodiat. Benè Baſilius in Aſceticis : *Neque inciſiones igitur, neque vſtiones, neque graueolentiam, ac moleſtorum pharmacorum dolores, neque inediam, neque exactam dietæ menſuram, neque abſtinentiam eorum quæ noxia ſunt, recuſari à nobis recta ratio dictat; ita tamen, quod rurſus dico, vt animæ iuuandæ ſcopus obſeruetur, quæ quaſi exemplo ad ſuam ipſius curam inſtituatur.* Cùm æger ex vna parte doloribus diuexatur, & ex altera duris ac diris pharmacis ac medicinis curatur, *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*, & conſiderabit ſe myſticum eſſe MARINVM, qui ex vno & altero latere verberatur ac laniatur. Mare magnum paſſio CHRISTI eſt, dicitque propterea ipſe, *Veni in altitudinem maris.* Mare tumultuatur, intumeſcit, ſæuit & fremit, & tamen animantia, quæ ferocia in terra ſunt, in pelago furenti atque frementi miteſcunt. Manſuetus agnus CHRISTVS inter paſſiones & furias. Talis & MARINVS extitit, talis & æger exiſtat.

Excitatio ægrotantis.

Eccli. 38, 28.

Pſal. 68, 3.

Leua-

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx glorioſus manſueti agni inſtar furias hominum paſſus eſt, & ſe manducandum dedit, vt agnos redderet homines, qui, licet diſcerperentur à lupis, & diris morbis ac doloribus diſrumperentur, nihilominùs & lupis & morbis euaderent ſuperiores. Robur cæleſtis panis hoc eſt, vt qui ſe communicauerit, totus mitis, totus manſuetus fiat, & virtute manſuetudinis omnem impetum furioſum frangat, furias vincat, & tam luporum quàm morborum omnium furorem omnino ſuperet. Quòd ſi dæmon ipſe, *ſciens quia modicum tempus habet*, inuadit ægrotum, & miris modis illum affligit & torquet, meminerit magni Antonij, qui cùm eſſet in extremis, aſſiſtentes ſibi monuit, primos eſſe dæmonis feroces impetus, ſed deinde vires eius eſſe prorſus effeminatas. Tunc maximè debilis & infirmus eſt, cùm ſacro Euchariſtiæ Viatico præmunitum hominem reperit. Hæc enim virtus Euchariſtiæ eſt, vt cor humanum confirmet, diabolicum robur infirmet.

Virtus ſacra Euchariſtia.

Apoc. 12, 12.

Viaticum.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi. Matth. 5, 12.

CRucifixos & cruciferos in ipsis pœnis & cruciatibus monet CHRISTVS: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Ad hanc vocem Paulus excitatus & recreatus, inter furias humanas constitutus, flagris & verberibus totus ruptus dicebat: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Quid sic? *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* & rursus: *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Per morbidas furias & furores simul humanos itur ad regnum cælorum, vbi summa pax est, & quidem coronata & laureata; itur ad Agnum, qui splendet in cælesti ciuitate. Hac iuit Calliopius crucifixus, contusus & vulneribus incisus, qui rogatus à tyranno concitato, & acto in rabiem, *Tormentorum sentis acerbitatem?* respondit: *Dulcedinem promissæ à* CHRISTO *quietis degusto, & tormenta non sentio.*

2. Cor. 7, 4.

Rom. 8, 18.

2. Cor. 4, 17.

Laurea deuicti furoris.

Extrema verba morientis.

Prodeant in publicum spectaculum beati MARTYRES IAPONIAE; in quibus, velut in speculo, forma spiritalis circumcisionis & morbi conspicitur.

EM-



Cedite nunc Fotoqui, Christi vicere tropæa.
48. *Germinat è nostro sanguine dia fides.*

EMBLEMATICA IMAGO XLVIII.

BEATORVM IN IAPONIA CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

HABVIT gloriosus Rex in Iaponia Martyres suos, quos Taicosama cruci addixit & affixit. Affixi sunt è Societate IESV, PAVLVS, IACOBVS, & IOANNES: ex familia verò S.Francisci sex, PETRVS BAPTISTA, MARTINVS, FRANCISCVS, PHILIPPVS, GONSALVVS, FRANCISCVS. Accesserunt septemdecim laici, ALOISIVS puer duodennis, PAVLVS, LEO, COSMVS, PAVLVS, MICHAEL cum filio annorum quindecim, ANTONIVS annorum tredecim, IOACHIMVS, FRANCISCVS, GABRIEL, THOMAS, IOANNES, MATHIAS, VENTVRA, PETRVS, & FRANCISCVS. Omnes crucifixi sunt, sinistræ auris parte ablata, & dextro simul latere transfosso. Cordibus ergo & auribus circumcisi, cæleste regnum intrarunt. Circumcisionem cordis & aurium desiderabat sanctus Stephanus in iis, quos cap.7. Actuum meritò redarguebat: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos Spiritui sancto resistitis.* Nostris verò cruci-

crucifixis neutra circumcisio defuit; cùm particula auris abscissa, & circumciso corde per crucem in aulam Dei cæli sunt admissi. Eadem disciplina est sanctæ Crucis, & doctrina mysticæ Circumcisionis, vt multis probat Ambrosius lib. 1. de Abraham. nos

Ioan. 14, 6. inde hæc pauca desumimus. *Aduenit Dominus* IESVS, *qui ait, Ego sum via, veritas, & vita: qui non partem exiguam corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate. Signum destruxit, veritatem induxit; quia postea quàm venit quod perfectum est, quod ex parte erat euacuatum est; & ideò cessauit circumcisio partis, vbi refulget circumcisio vniuersitatis. Iam enim non ex parte, sed totus homo saluatur, in corpore scilicet & anima. scriptum*

Sympathia Crucis Christi & Circumcisionis spiritalis, & vtriusque Artificium.

Luc. 9, 23. *est enim: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc crux Societatis IESV & eius sociorum est.

Crux BEATORVM CRVCIFIXORVM, Crux circumcisionis spiritalis.

Instrumentum artis benè viuendi.

NIhil ad perfectum lex perduxit, nec ipsam circumcisionem, quæ ante CHRISTI passionem imperfecta erat, cùm CHRISTVS in cruce dixit, *Consummatum est*, omnem pariter oblationem & circumcisionem spiritus perfecit, & consummauit. Rursus Ambrosius: *Hæc est perfectio circumcisionis, quia*

Ioan. 19, 30.

quia per corporis oblationem redimitur anima, de qua ipſe Dominus ait: Quoniam qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Beati, qui crucis circumciſionem patiuntur, quia crucifixo CHRISTO aſſimilantur. Nihil in homine reformatione non eget, ac proinde non ita gladio quàm cruce CHRISTI circumcidendus eſt: gladius quippe partem hominis ſcindit, crux verò totum hominem capit, affligit atque configit. *Qui ſunt* CHRISTI, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Lex iſta cunctis imponitur & intimatur, circumciſio enim crucis, vt ait Zenon Sermone de Circumciſione, *non ſexu, non ætate, non conditione depellitur, ſed glorioſa in omnibus reperitur.* Hæc item in IAPONENSIBVS cernitur & ſpectatur.

Ioan. 12, 25.

Excitatio laborantis.

Gal. 5, 24.

Crux IAPONENSIVM, Crux ægrotantium.

VIta quidem humana ſubiecta gladio eſt, & in partes illa diuiditur, donec acceſſerit mors. Cùm iam affixus lecto ægrotus eſt, vt vitæ ſuæ imponat finem, ſubiacet cruci, quæ totam vitam abſumit, totumque hominem abripit, ſicut viſum eſt in MARTYRIBVS IAPONIAE, quorum corporeas partes priùs gladius abſcidit & abſtulit. Horum ſacrorum MARTYRVM paſſio in circumciſione fuit, &

Inſtrumentum artis benè moriendi.

etiam in circumcisione consistit sæpè labor hominis ægrotantis. Hinc magnum sanctitatis argumentum est si homo ita infirmetur, vt potentior efficiatur; & si infirmus ita circumcidatur, vt maior patientiæ cultor ipse reddatur. Qui seruit in castris CHRISTI, nouerit sternendam sibi viam ad crucem Domini per tolerantiam mysticæ circumcisionis, vt passionis Dominicæ effectus socius, comes etiam fiat remunerationis, adscriptus catalogo eorum, qui Psalm. 76. loquuntur in hæc verba apud Hieronymum: *Nos filij sub* IESV *duce venimus, & circumcisi sumus circumcisione spirituali, & ablatum est à nobis opprobrium Ægypti. Nunc ipse* IESVS *dux noster gladium tenet, & semper nos præcedit, & pugnat pro nobis, & vincit aduersarios. Canimus Sacerdotalibus tubis, & circuimus Iericho, hoc est, istum mundum, & cadunt muri eius, & nos ingredimur, & victores existimus.* Vincimus diuina gratia per morbos quos toleramus; triumphamus per gloriosa martyria sociorum, qui sanguinem suum pro CHRISTO & eius nomine profuderunt.

Excitatio ægrotantis.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus sacræ Eucharistiæ.

REx gloriosus punctus est in circumcisione, & sacer eius carnis saccus consciſſus est in passione, vnde & effusus est thesaurus nostræ redemptionis,

ptionis, cuius beneficij memoria recolitur in altaris Sacramento. Quiſquis illum recolit, & more debito ſumit, tanti virtute myſterij, ſiue pungatur morbis, ſiue morte ſaccus corporis penitus conſcindatur, inſenſilis efficitur; & cùm effluit eius ſpiritus, lætus obit, in cælum abit, & in eius dicit ingreſſu: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Dum viueret in corporis ſacco, anima circumdata quoque erat, ſed triſtitia atque mœrore; ſed cùm è corpore egreditur, circumcingitur alacritate & lætitia, cuius primitias accipit in Viatico Euchariſtiæ, cuius effectus eſt, deſolatam animam conſolari & recreare: & eius ſolatium in morte ipſa non extinguitur, ſed accenditur, cùm in cælum aſcenditur. Quæ ſunt terrena gaudia, cum pereunte homine pereunt: quæ verò ſunt cæleſtia atque diuina, qualia Euchariſtica ſunt, poſt obitum non tolluntur, non minuuntur, ſed augentur.

Viaticum.

Pſal. 29, 12.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

MYſticæ vitis palmites ſunt glorioſi MARTYRES & CONFESSORES IAPONIAE, quos miris modis magnus agricola excoluit virtute circumciſionis. Vnde pulchrè Iuſtinianus, *Nemo*, inquit, *iu-*

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

ſtus, teſte Apoſtolo, ab hac purgatione ſecernitur. ait enim:
2.Tim.3, 12. *Omnes, qui piè volunt viuere in* CHRISTO, *perſecutionem patiuntur. Quamobrem conuerſis Hebræis & afflictis*
Heb.12,8. *dicebat: Quis enim filius, quem non corripiat pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filij eſtis. Quanti verò ſit meriti huiuſmodi purgatio, eiſdem intimauit, dicens:*
Heb.12, 11. *Omnis autem diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris; poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & rectos greſſus facite ſemitis veſtris. Eſto talis & tu, purgeris à* CHRISTO: *caue tamen, ne purgatus murmures, & agricolæ detrahas ſapientiæ. Nequaquam dolorem vulneris, ſed ſanitatis attende dulcedinem. Purgationis inciſionem abhorrere noli, ſi centuplicatum fructum percipere concupiſcis.*

Laurea circumciſionis ſpiritalis. Palmes in lecto erat Gallus Epiſcopus Auernorum, & cùm vi febris ardentis barbam & capillos ſimul amitteret, ſpiritu circumciſus, & animo ſimul ſerenus & tranquillus,

Extrema verba morientis. dixit fratribus moriturus: *Vale dicimus vobis fratres:* & obiit corde & ſpiritu circumciſus.

Prodeat in publicum ſpectaculum HIORAMVS Iaponenſis; in quo, veluti in ſpeculo, natiuitatis & infirmitatis humanæ forma conſpicitur.

EM-



En populi explodor, placeam vt tibi Christe, catharma.
49. *Displiceam: hoc ipsum displicuisse placet.*

EMBLEMATICA IMAGO XLIX.
HIORAMI CRVCIFIXI EXPLICATA.

HIORAMVS ſenex venerabilis à Rege Iaponenſi, qui fidem acceptam deſeruerat, Bungi comprehenſus cruci adiudicatus eſt. De mandato eiuſdem Regis cum theca reliquiaria, imagine CHRISTI, & Matris, quibus pium cultum exhibebat, appenſus in cruce eſt. Moris ſolet eſſe in militia, vt cùm quis ſtrangulatur tamquam rebellionis reus, ad collum eius quædam tabella appendatur, & in ea culpa defectionis deſcribatur. Suſpenditur HIORAMVS, & ad pectus tabella Matris & Filij apponitur & appenditur, in qua fides & fidelitas boni ſenis deſcribitur & innoteſcit. Hæc ipſa fides innotuit in monacho Chriſtiano, & Mariano ſummo cultore imaginis quæ MARIAM geſtantem ſuam prolem exprimebat. Hic cùm grauiſſimè torqueretur à dæmone, & dæmon illi promitteret ſe de pœnis ac tormentis remiſſurum, ſi remitteret ipſe de imaginis cultu & veneratione, ex conſilio Abbatis Theodori conſtanter reſpondit: *Dominum Deum meum adorabo, & tibi non obediam.* Præceſſerat

Ex litteris Iaponicis.

ſerat

ſerat antè cultor Filij ſimul & Matris fidus ac fidelis ſenex. Euangelicus ille Simeon, qui cùm Filium ſimul & Matrem in templo ſibi aſſiſtere contemplaretur, mortem ipſam non timuit, ſed cecinit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium.* Hunc ipſum ſenem, qui infantem intra vlnas ſuas accepit, HIORAMVS in ſe refert, in captiuitate & libertate, in vita & morte, in cruce & eius felice ſorte. Qualis debeat eſſe myſticus CHRISTI Simeon, vel myſticus Hioramus, declarat Ambroſius lib.2. in Lucæ cap.12. *Qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jeruſalem, expectet* CHRISTVM *Dominum, accipiat in manibus verbum Dei, complectatur velut quibuſdam fidei ſuæ brachiis: tunc dimittetur, vt non videat mortem, qui viderit vitam.* Amplectatur etiam celebres Reliquias Sanctorum, de quibus Baſilius in Pſalm.104. *Quando apud Iudæos moriebantur, abominabilia dicebantur morticinia; quando autem pro* CHRISTO *quiſquam moritur, pretioſæ Reliquiæ Sanctorum eius.*

Luc.2,29.

Sympathia Simeonis portantis Christum & Hiorami, & vtriuſque Artificium.

Crux

Crux HIORAMI, Crux natiuitatis humanæ.

NOn immeritò Iobus, cùm miſerias humanas ad ſummam quamdam reduceret, in capite poſuit, eſſe natum de muliere mortalem hominem. *Homo natus de muliere* (ex quo capite proueniunt & procedunt cetera) *breui viuens tempore, repletur multis miſeriis, quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Miſer filij hominis ſtatus, miſera conditio, indigna prorſus æſtimatione & fauore. *Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Quò maior miſeria eſt, eò maior crux, ſub cuius onere filius hominis gemit: *Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem.* Cùm homo tanta ſarcina premeretur, venit de cælo, natus eſt de femina Deus, vt filius hominis factus, cum filio hominis crucem humanam portaret. Quid enim Maria CHRISTO niſi myſtica crux extitit, cùm Homilia de Laudibus Virginis dixerit Epiphanius, thronum ſimul & crucem eſſe? Fuit CHRISTO Maria crux, *extendens enim ſanctas vlnas, Dominum portauit.* Cùm natus de muliere homo grauem ſuam crucem portat, inſtar HIORAMI eſt, nec tamen ſine ſolatio, cùm in ſua con-

Inſtrumentum artis benè viuendi.

Iob.1, 1.

Pſal.8, 5.

Pſal.37, 7.

Excitatio laborantis.

ditione Deum ipſum habeat ſocium, ortum de Virgine matre, cui dicere fas eſt, IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Interim natus de muliere tutum aliquod quærat & petat refugium. *Deus refugium noſtrum, & virtus.* In quem locum Baſilius: *Homo ob inſitam ſibi à natura debilitatem pluribus in ſe rebus triſtibus & laborioſis irruentibus multo indiget auxilio, ex omnibus circumſtantibus refugium quærens, velut in tutum ſe recipiens locum ad aliquem acutum verticem, inexpugnabili circumdatum muro, ob inimicorum incurſum ſecurum ſeſe munit.* Vertex CHRISTVS eſt, murus MARIA eſt.

Pſal.45,2.

Crux HIORAMI, Crux ægrotantis & extremè laborantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

CVm iaces in lecto æger, ſacris Reliquiis munitus, myſticus Hioramus es, ſi CHRISTI & eius Matris opem imploraueris: quam cùm impetraueris, primæ natiuitatis tuæ miſerias facilè effugies. Satis benè Baſilius in Pſalm.104. *Sanctorum virorum exitus in hac vita nequaquam plorandus, ſed magis geneſis, & in hanc vitam ingreſſus, qui multum ſecum iniuſtitiæ ſordiumque ac malorum affert, quorum ſpeculum ſi quis cerneret, viuentium nullus ſuſtinere facilè poſſet.* Offert HIORAMVS ægroto imaginem CHRISTI Domini,

Excitatio ægrotantis.

Domini, vt cùm in lecto iacuerit, ſtatim ad illum recurrat; priùs ad ſalutis auctorem, quàm ad medicam artem recurſus fiat. Confirmat hoc ipſum Ambroſius lib.1. de Cain & Abel.cap.10. *Ne videamur de humanis artibus, medendi peritia, herbarumque ſuccis ſperare magis remedium, quàm de Deo, ad* CHRISTVM *priùs eſt confugiendum, qui noſtræ curare poſſit animæ paſſiones. Verùm præpoſtero ordine antè ſibi ab hominibus accerſant opem: vbi autem humana ſubſidia defecerunt, tunc opinantur poſtulandam diuini fauoris gratiam.* Non CHRISTVM ſolùm, ſed etiam ſacratiſſimam Matrem offert ægrotanti HIORAMVS. Huius virginis opem, cùm extremè laboraret, ſenſit Reginaldus: adfuit enim ægrotanti ipſa, & in eius comitatu virgines & martyres Cæcilia & Catharina. Rogatur æger quid vellet, & dubius quid reſponderet, nonnihil ſubſtitit. Acceſſit vna ex comitibus, & monuit: *Nihil certi petas, frater, ſed omnia petenda illi committe; ſiquidem meliùs illa tibi dare, quod neceſſe eſt, nouit, quàm tu poſcere.* Acquieuit conſilio æger, & ſe in manus Virginis reſignauit. Accepit MARIA oleum, Reginaldum vnxit, & ita conualuit, vt reliquo vitæ tempore nullum inordinatum & inhoneſtum carnis motum vmquam ſenſerit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus ſacræ Euchariſtiæ. REx glorioſus ſimilis ſibi eſt in natiuitate & morte: nudus ex matre naſcitur, nudus iuxta matrem moritur, vt humanæ conditionis principium & ſimul exitum pateretur. Hoc graue Adami iugum, quod idem Dominus virtute ſacræ Euchariſtiæ reddidit dulce ſatis ac ſuaue. Reddidit dul-
Ioan.6,58. cem natiuitatem, cùm dicit: *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Fecit exitum humanæ vitæ
Verſ.59. ſuauem, cùm addit: *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc pa-*
Viaticum. *nem, viuet in æternum.* Cùm CHRISTVS naſcitur in
Ibidem. Bethleem, panis eſt, *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit:* cùm moritur Ieroſolymis, panis eſt. hinc illa
Ieerm.11,19. vox: *Mittamus lignum in panem eius.* Venerat in mundum CHRISTVS, vt noſtræ natiuitatis, mortalitatis & mortis miſeriis mederetur, & earum medicamentum conſtitutum eſſe in pane, oſtendit & declarauit.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi. HAbet ante oculos ſuos in virginalibus brachiis martyr affixum Cruci Regem martyrum

rum CHRISTVM, qui præit crucifixos & cruciferos passione & admonitione, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Præuiderat hoc ipsum mysterium Dauid, cùm Psalm. 90. cecinit, *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Mysterium obumbrationis declarat in hæc verba Basilius: *Erit enim propugnator tuus, protegetque te, vbi impugnaberis. Posuit autem hoc ex eorum metaphora, qui in bellis primi instant in acie, ac scapulis suis eos, qui à tergo sunt, protegunt.* Nec dubium, quin in acie crucis & mortis primi steterint CHRISTVS & MARIA vnici ac singulares protectores crucifixorum & cruciferorum, quorum vnus extitit HIORAMVS suspensus cum imagine Matris & Filij, sacrisque Reliquiis Sanctorum, qui primi etiam in certamine steterunt & vicerunt.

Luc 9, 23.

Ergo quisquis ab ortu suo vsque ad metam fixam vitæ grauissimam crucem portat, & in acie constitutus semper pugnat & decertat, consideret ante se CHRISTVM, MARIAM & Sanctos, à quibus in certamine obumbratur protectione, patrociniis & subsidiis, vt quos sequitur in pugna, subsequatur in victoria, in gloria palmæ & coronæ, quæ debetur non in stadio solùm certantibus, sed etiam in lecto diabolum superantibus. Superauit tantum hostem

Laureola victa humanitatis.

lecto affixus Richardus Episcopus Cicestrensis, qui moriturus dicebat creatori Deo: *In manus tuas commendo spiritum meum*, & simul Matri:

Extrema verba morientis.

Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe:

præcepit insuper adstantibus ministris, vt ea verba ad eius aures pronuntiare non cessarent. Accedat & Eleazarus Comes, qui cùm esset in extremis, & luctaretur cum hostibus, inquit: *Magna est dæmonum vis, sed eam penitus eneruarunt mysteria sacrosanctæ Incarnationis & passionis* IESV CHRISTI.

Prodeat in publicum spectaculum ALFONSVS CASTRIVS è Societate IESV, speculum & forma Sociorum IESV laborantium & ægrotantium.

EM-



I decus, i nostrum, tot ponti emense pericla
50. *Claßibus; hac meliùs sidera puppe petes.*

EMBLEMATICA IMAGO L.
ALPHONSI CASTRII CRVCIFIXI EXPLICATA.

ALPHONSVS CASTRIVS, natione Lusitanus, dignitate Sacerdos, Religiosus è Societate IESV, ad Malucas insulas propter fidem CHRISTI à Mauris captus, naui affixus in formam crucis, capite tandem cæsus, portum in cælo cepit. ALPHONSVS noster in ipso portu vitæ iacturam fecit, prosperè tamen nauigauit, & saluus emersit. Qui perdiderit animam suam in mundano pelago, haud dubiè in portu cæli eam inueniet. Quid naui cum cruce? Augustinus lib.1. de Verbis Domini Serm.54. *Quando Rex aliquis impiæ voluntatis, maximæque potestatis, persecutionem indicit Ecclesiæ, quantum in ipso est, Christianum nomen conatur extinguere; super nauiculam* CHRISTI *grandis vnda consurgit, sed in iis tentationibus erigitur antenna, vt suspensa arbori crucem figuret. Hanc Christianus respiciat, vt non deficiat. Huic antennæ, id est, cruci* CHRISTI, *simplex conuersatio, & pura confessio, tamquam cadentia vela religentur, & hæc vela nostra fluctibus abluantur, vt sine macula & ruga inueniantur.* Quid cruci cum

Histor. Indic. Maffeus.

Sympathia nauis & crucis Christi, & vtriusque Artificium.

naue? Ambrosius Serm.66. *Arbor quædam in naui est crux in Ecclesia.* Suspenditur in arbore CHRISTVS, suspenditur. Socius eius ALPHONSVS, socius passionis, vt sit consolationis comes, iuxta oraculum Pauli 2.Corinth.1. *Scientes quoniam sicuti socij passionum estis, sic eritis & consolationis.*

Crux ALPHONSI crucifixi, Crux Sociorum IESV.

Instrumentum artis benè viuendi.
Matth.5, 13.

SOcij CHRISTI sunt, quibus conuenit illa vox, *Vos estis sal terræ.* Accedit Chrysostomus Homilia 15. in Matth. *Attendite, quid dixerit, Vos estis sal terræ, per quod ostendit, quàm necessariò ista præcipiat. Non enim pro vestra, inquit, tantùm salute, sed pro vniuerso orbe vobis certamen erit,* &c. Hic finis vocationis eorum, quos in suam Societatem CHRISTVS adsciuit, vt propriæ saluti attendentes, & alienam quoque curantes, totum peragrent mundum, totum pelagus tranent. Benè nauigant IESV Socij, *benè nauigant,* vt ait Ambrosius in Psalm.47. *qui in nauibus* CHRISTI *crucem sicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam in ligno Domini tuti atque securi, nec permittunt naues suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis, & ad consummationem gratiæ cursus suos dirigere contendunt,*

Excitatio laborantis.

tendunt, vt fida ſtatione potiantur, quo diſſoluti curſus ſuos poſſint in reſurrectione reparare, vbi naufragium timere non poſſint. Et nos igitur circumſpectemus hanc gratiam, ſpeculatores eius ſimus, exploremus eam, vt fiant corpora noſtra naues Tharſis. Tunc enim caro ad ſeruitutem redigitur, cùm ad Dei intendimus gratiam, vt id quod amarum ad tempus ſit, non quod dulce & voluptarium ſequamur.

Crux ALPHONSI crucifixi, Crux ægrotantis.

NAues Tharſis corpora noſtra ſunt. Nauigat in corpore homo, & cùm benè habet, expanſis velis in ſæculi mari nauigat; cùm morbum lethalem contrahit, tempus iam eſſe vela vitæ contrahendi, in ſua effigie exprimit & oſtendit ALPHONSVS. Contrahebat vela Paulus, cùm vaſtum emenſus mare fuiſſet, & appellens iam ad portum dicebat: *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Non renuit ALPHONSVS pati, qui totum nauigauit mare, nec exire recuſauit, qui vela in portu contraxit. Diuerſus omnino erat à monacho quodam ægro, quem libro de Mortalitate proponit S. Cyprianus. *Cùm quidam de collegis*, inquit, *& conſacerdotibus noſtris iam in infirmitate defeſſus, atque de appropinquante*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

2.Tim.4.6.

Excitatio ægrotantis.

morte ſollicitus commeatum ſibi precaretur, adſtitit deprecanti iuuenis honore & maieſtate venerabilis, ſtatura excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quòd talem videre iam poterat de ſæculo receſſurus. Atque ille non ſine quadam animi ac vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Pulchrum ſatis exemplum, cuius lectione mirum in modum recreatum fuiſſe S. Auguſtinum, in eius Vita memorat Poſſidonius. Habes in vno ALPHONSO & eius effigie formam, quam in ægro CHRISTVS optabat, vt & dicas cum Tereſia, & ipſa quidem infirma, *Aut mori, aut pati.* Dicas appellens ad portum cum Ludouico Epiſcopo Caroli II. Regis Siciliæ filio, *Ego morior, & gaudeo quaſi terram videns, venturuſque in portum ex longa nauigatione huius vaſti & indomiti maris, quod mihi diu in votis fuit.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus ſacra Euchariſtia.

FElix vitæ Religioſæ nauigatio, quæ deſinit in IESV nomen, in cuius exaltationem ipſa ſacra Euchariſtia condita eſt. *Ab ortu enim vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* (Malach. 1, 11.)

Ab

Ab ortu vſque ad occaſum magnum eſt hoc Sacramentum, ab ortu ſcilicet hominis, ad eius occaſum, in quo poſt vitæ nauigationem optatum portum ingreditur. Appellentem iam ad portum, & accipientem Euchariſticum Viaticum, fauſtis ſuis clamoribus & acclamationibus Serm. de Euchar. ſequitur ac proſequitur Iuſtinianus. *Protegant*, inquit, *te ſancta myſteria, & inter medios ſæculi fluctus ante myſtici Pharaonis faciem gradiêris illæſus: illum itaque in intellectuali pelago ſuffocatum adſpicias conſtitutus in littore. Tunc lætitiæ initiato carmine, magna cordis cum exultatione clamabis: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Proiecit per Crucem, proiecit per Euchariſtiam: vnam & alteram colit in altari Sacerdos, de Pharaone agens ſolemnem triumphum; vnam & alteram velit ſibi, veneretur & teneat ægrotus, qui affixus iacet in lecto, & ſimul auguſtiſſimum nomen IESV, cuius ſocius eſt, imploret, vt ſuam victoriam perfectam & conſummatam agat pariter & celebret.

Viaticum.

Exod. 15, 1.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

QVotquot è Societate IESV crucem ferunt, nauigant ſimul cum CHRISTO, in eadem naue certant

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

tant & triumphant, viui Martyres habiti, quorum Abbas Piamon apud Caſſiánum collat.18. cap.7. facit honorificam mentionem: *Illos patientia atque diſtrictio, qui tam deuotè in hac, quam ſemel acceperunt profeſſione, perdurant, vt numquam ſuas expleant voluntates, crucifixos quotidie huic mundo, viuoſque Martyres facit.* Viui Martyres ſocij IESV euaſerunt Maria, Ioannes & Magdalena, quorum ſanguis effuſus non eſt, ſed finis eorum trium dignus corona & laureola in lecto glorioſus fuit, vt dixerit decedens Maria, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* dixerit Magdalena: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* & dicere potuerit Ioannes: *Lectulus noſter floridus.* Lectus dolorum, lectus florum eſt ei, qui veniens ad portum nauigationis ſuæ vſurpat extrema verba Archiepiſcopi Dunſtani: *Ipſe benignus Deus, qui direxit iter meum ad ſe, dirigat ad omnem voluntatem ſuam corda & corpora veſtra in pace.*

Laureola Sociorum IESV.

Cant.2,5.

Cant.3,1.

Cant.1,16.

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum VENERABILIS SACERDOS crucifixus; in quo, veluti in ſpeculo, ferentis hæreticam prauitatem & infirmitatem forma conſpicitur.

EM-



Ne fors sim nimiùm tibi vilis Rector olympi
51. *Victima, me Nati nobilitabit honos.*

EMBLEMATICA IMAGO LI. SACERDOTIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

HAERETICI in Gallia per ludibrium VENERABILEM SACERDOTEM compulerunt, vt in vrbe Houdam, diœceſis Carthonenſis, ſolemnia Miſſæ perageret. Dum celebraret, faciem eius manibus verberarunt, & corpus pugionibus perfoderunt, ac denique ſuper ligneam crucifixi CHRISTI imaginem ipſum affixum, ſclopetis ſuis traiecerunt. Verus Regis glorioſi & eius imaginis cultor, & quidem in eam formam, quam præſcripſit Carolo Magno Gregorius Pontifex II. à quo imaginem CHRISTI Domini petierat. *Scimus,* inquit, *quia tu imaginem Seruatoris noſtri ideò non petis, vt pro Deo aut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filij Dei, vt in eius amore recaleſcas, cuius tu imaginem videre deſideras. Et nos quidem, non quaſi ante diuinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum, aut in throno ſedentem recordamur. Et dum nos illa pictura, quaſi ſcriptura, ad memoriam Filij Dei reducit, animum noſtrum de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet.* Crucifixores

Theat. crudelit. noſtri temporis.

VENERABILIS SACERDOTIS iconomachi erant, & in deſpectum iconis CHRISTI, & eius miniſtri qui ſacram colebat imaginem, & propterea idololatram impudenter nominabant, affixerunt illum imagini crucifixi, cuius amor pectus eius accendebat, paſſio mulcebat. Dignus altari SACERDOS, cui verè dicere licet: CHRISTO *confixus ſum cruci.* Dignus gloria Sacerdotali, cui fas eſt gloriari: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus; hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltrà non ſeruiamus peccato.* Manus crucifigentium CHRISTO famulatæ ſunt crucifixo, vt ſacrificium ſuum in cruce ageret & perficeret: miniſtrarunt quoque VENERABILI SACERDOTI, vt in corpore ſuo, quæ deerant CHRISTI paſſionibus, in cruce ipſe compleret, & crucifixus compleuit. Hoc ſacroſanctum officium, hoc munus Sacerdotum eſt, ſic in altari ſeruire, ſic miniſtrare, vt CHRISTI perſonam gerant, & per oblationem ſui CHRISTO crucifixo adhæreant. Qui perſonam Regis gerit, refert & ipſum Regem; & qui vices CHRISTI agit, debet ipſi aſſimilari. Crucifixores CHRISTI, qualis CHRISTVS, quales quoque & ipſi eſſent, facto ſuo declararunt: & ſacrilegi Galliæ hæretici, quales Sacerdotes, qua-

Sympathia Christi & Sacerdotis

Artificum tolerantia circa hæreticos.

Gal.2,16.
Rom.6,5.

Nnn les

les etiam ipsi forent, ostenderunt. Ostendit quoque Paulus cap.6. ad Hebræos: *Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.*

Crux crucifixi SACERDOTIS, Crux ferentis hæreticos.

BEnè Augustinus lib.3. de Verbis Domini, Sermone 8. *Hæretici comparate vos Iudæis: illi contempserunt* CHRISTVM *pendentem in ligno, vos contemnitis sedentem in cælo: illis suggerentibus stetit titulus* CHRISTI, *vobis instantibus deletur Baptismus* CHRISTI. Magna crux hæreticorum CHRISTO & eius ministris incumbit. Qualis illa sit, ostendit idem Augustinus lib.16.de Ciuitate Dei cap.2. *Callidum est genus hæreticorum, non spiritu sapientiæ, sed versipellis astutiæ, quo solent hæreticorum feruere præcordia, & pacem conturbare Sanctorum; sed hæc in vsum cedunt proficientium, iuxta illud Apostoli: Oportet esse hæreses, vt probati manifesti fiant in vobis, vnde etiam scriptum est: Filius eruditus sapiens erit, impudenti autem ministro vtetur.* Nec sunt, nec possunt esse impudentiores mi-

Instrumentum artis benè viuendi.

Excitatio laborantis.

1.Cor.11, 19.

niſtri, quàm illi ipſi, quorum manus famulatæ ſunt Redemptori. Sapiens Dei Filius eorum miniſterio vſus, ſacrificium ſuum peregit, quod & nunc Sacerdotes in altaribus ſuis conficiunt. Confecit VENERABILIS iſte SACERDOS, & ſacrum ſuum in ara crucis perfecit, qui filij ſapientis inſtar impudentibus miniſtris vſus eſt. Impudentes certè hæretici tam in CHRISTVM mortuum in cruce, quàm in Reliquias Sancti huius SACERDOTIS, qui eidem CHRISTO commoritur, & mundus obit. *Ante hoc tempus*, vt notat Baſilius in Pſalm.1. *dictum eſt Sacerdotibus; Non contaminabitur ſuper aliquo mortuo; nunc autem felicitate nominis Chriſtiani, & Dei noſtri ac Seruatoris noſtri* IESV CHRISTI *munificentia quicumque Martyres eius attigerit, illius iuſtitiæ ſanctitatiſque quodammodò particeps, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem, efficitur.*

Crux crucifixi SACERDOTIS, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.

NOs omnes genus electum, regale Sacerdotium ſumus: noſtræ igitur memores conditionis ſub quodam Sacerdotio ſeruiamus, adhærentes crucifixo, vt vnuſquiſque noſtrûm in lecto iacens di-
Gal.2,16. cere poſſit cum Paulo: CHRISTO *confixus ſum cruci.*

Non

Non ſine cauſa crucifixi imago ægrotantibus exhibetur: ideò porrigitur, vt communicantes CHRISTI paſſionibus, adhæreant CHRISTO patienti, & eius exemplo ad tolerantiam ægritudinis excitentur. Confirmat hoc ipſum Gregorius 3. Parte Paſtoralis, admonit. cap.3. *Admonendi*, inquit, *ſunt ægri, quatenus patientiæ virtutem ſeruent, vt inceſſanter, quanta Redemptor noſter ab iis, quos creauerat, pertulit mala, conſiderent.* Conſiderent in effigie conditionem ſuam venerabiles Sacerdotes, qui CHRISTO crucifixo debent eſſe arctè & ſtrictè coniuncti. Vnde ſacra virgo Eliſabetha moritura, iam è lecto adſtantes ſibi Sacerdotes monens officij ſui, *Veſtrum eſt*, inquit, *dilectiſſimo Domino vos exhibere familiares magis ceteris hominibus, per bonam conuerſationem, & ſanctum miniſterium veſtrum, quatenus in regno ſuo poſt hanc vitam ſibi familiariùs vos iungat.* Huic Domino Crucifixo ita ſe Bernardus adiunxit & adſtrinxit, vt cùm iam in extremis eſſet, & Sacerdotium abſolueret, fuerit in hanc ſententiam locutus: *Fateor, non ſum dignus ego, nec poſſum propriis meritis regnum obtinere cælorum: ceterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hereditate ſcilicet Patris, & merito paſſionis: altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono illud mihi vendicans non confundor.* Hoc ius crucis & paſſionis eſt,

Excitatio ægrotantis.

quod tenet ac possidet VENERABILIS iste SACERDOS, & qui eodem dono & priuilegio frui desiderat, *Cor suum dabit in similitudinem picturæ*, & iacens in lecto æger non solùm adhærebit, sed etiam crucifixo CHRISTO inhærebit, vt feliciter decedat. Teste enim Basilio in Psalm.33. *Qui cum* CHRISTO *simul moriuntur, in bona sunt morte.*

Eccli.38, 28.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Virtus sacra Eucharistia.

REx gloriosus hominem, quem assumpserat, secum in crucem euexit, & Patri sacrificauit, & vt Sacrificium conficeret, vocatus à Deo est tamquam Aaron. Idem ipse secundùm ordinem Melchisedech factus Sacerdos, panem & vinum obtulit, & præbuit seipsum edendum, qui & dixit:
Ioan.6,57. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo.* Felix, & satis felix SACERDOS, qui simul in cruce & lecto, in altari & sacrificio cum Rege glorioso manet, ac dicit, *Quis nos separabit à charitate* CHRISTI? Hic arctus & strictus nexus diuini amoris componitur & connectitur, operante venerabili Sacramento, quemadmodum aduertit & monet S. Laurentius Iustinianus cap. 19. Monastic. perfect. *Pia mens,* inquit, *tanti sponsi lætificata præsentia venerando hoc mediante Sacramento repletur*

Rom.8, 35.

tur gaudio, exultatione perfunditur, humilitate deiicitur, lumine irradiatur, pace ſatiatur, roboratur fide, deuotione ſaginatur, atque indiſſolubili amoris vinculo Redemptori interiùs copulatur. Hæc copula tunc perficitur, cùm anima munita Viatico in cælum aſſumitur. *Viaticum.*

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

BEnè ſancta mater Eccleſia canit de glorioſo Martino: *O beatum Pontificum, qui totis viſceribus diligebat* CHRISTVM *Regem, & non formidabat imperij principatum! ô ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit!* Accedit Iuſtinianus Sermone de S. Martino: *Quomodo martyrij gloriam ipſum non habere cenſendum eſt, qui flagrans amore martyrij pro fidei teſtificatione Catholicæ terrenorum principum nec expauit potentiam, nec hæreticorum ſæuitiæ ceſſit, quin conſtanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores. Toties igitur martyrij promeruit palmam, quoties ſe inimicis fidei diſputando oppoſuit.* Sapienter Deus prouidit in gratiam propugnatorum fidei, vt licet proprium ſanguinem non funderent, Martyres eſſe poſſent, quoties pro veritate pugnarent, corona aurea & laureola decertarent, quibus effecti victores, in cælis ornarentur & illuſtrarentur.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Laurea propugnata hæreſis.

rentur. Ergo cùm hæretici fraudulenti abſtinere volunt à ſanguine, ne numerum augeant Martyrum, ſeipſos planè decipiunt, quandoquidem incruentum eſt martyrium, eorum errores conuellere, & inſanias refutare. Toties debetur palma & corona, quoties propugnatores fidei hoſtibus veritatis opponunt ſe fortiter, & animosè aduerſantur. Non augent numerum Martyrum crucifixorum, ſed implent catalogum cruciferorum, zelantium videlicet miniſtrorum, imitatorum glorioſiſſimi Martini, cuius elogium concludit in hæc verba Iuſtinianus: *Meritò itaque ſancto huic Martyri non eſt deneganda corona, qui Eccleſiarum curam gerens, ac proximorum ſalutem zelans, nec mori timuit, nec viuere recuſauit.* Vixerat cum CHRISTO, & cum CHRISTO mortuus eſt, ſicut & Herulus martyr, qui ligno affixus dicebat: *Eſto mihi adiutor Domine, & Redemptor.* cui CHRISTVS: *Noli timere; ſum enim tecum, & Deus tuus ego ſum.*

Extrema verba morientis.

Prodeat in publicum ſpectaculum PETRVS HELCIVS crucifixus; in quo, veluti in ſpeculo, ferentis repulſam & morbum forma conſpicitur.

EM-



Nouit amor mutas in verba resoluere fauces.
52. *I nunc, et linguam velle profana cohors.*

Ooo

EMBLEMATICA IMAGO LII. PETRI HELCII CRVCIFIXI EXPLICATA.

MAROCI in Africa PETRVS HELCIVS Madritanus hortatus eſt Mauritanos, vt partes CHRISTI ſectarentur, & eos qui ſemel à fide Chriſtiana defecerunt, ad primam fidem redirent. Quam ob cauſam captus eſt, & iuſſu Regis vrgente, linguâ auulsâ, pro valuis portæ in formam crucis affixus, animosè caput dedit, vt ferreo clauo traiiceretur. Extractus è capite clauus gutturi infixus eſt: cumque ne gutta quidem ſanguinis è vulneribus antè fluxiſſet, effluxit deinde, & tinctâ ſanguine portâ, mundum reliquit. Cùm homo in anguſtias eas reducitur, vt aditus querelis non pateat, ſed ex omni parte via intercipiatur & claudatur, laborioſa ſatis crux eſt. Hanc crucem paſſus eſt Iobus, cùm iuſtis querelis familiares aures claudebant. Hæc crux, quam tulit Ioſephus, cùm eius deprecationibus ſæui fratres non attenderent, & cùm eſſet in Ægypto captus, nec ſui domini nec Regis gratas ſibi aures impetraret. Ad has anguſtias redacta erat Suſanna, cùm, Hiſtor. Indic.

clauſo pomario, nemo eſſet qui eius voces excipe- ret, diceretque proinde, *Anguſtiæ ſunt mihi vndique,* CHRISTVS quoque ipſe in porta & extra portam paſſus eſt, è cruce clamabat, & tamen non audiebatur. Clamauit non tam voce linguæ quàm ſanguinis, cuius vocem nemo adimere queat, licet adimere linguam, imò & ipſam vitam auferre poſſit. Potuit Maroci Rex euellere PETRI linguam, ne verba formaret, efficere tamen non potuit, ne eius ſanguis effuſus ad portam, cui confixus erat, clamaret Deo, cuius ianuæ omnibus facilè patent. *Semper porta Domini*, vt ait agens de Patientia Ephræm, *cunctis patet hominibus, paruis ſimul & magnis.*

Dan. 13, 12.

Sympathia Christi & Petri Helcij Artificum tolerata repulſa.

Crux PETRI MADRITANI crucifixi, Crux datæ repulſæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

NOuerat Rex Salomon, quanta crux iſta eſſet; & vt eius onus indicaret, dixit cap. 9. Eccleſiaſtæ: *Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, exſtruxitque munitiones, inuentuſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberauit vrbem iſtam per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis. Et dicebam ego, meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. Quomodo ergo ſapientia pauperis contempta eſt, & verba eius non ſunt audita?*

audita? Inter ſummos illos labores, quibus mundus repletus eſt, vnus & præcipuus eſt, quòd monita ſapientum à Principibus non audiantur. Erat ad fores palatij Mardochæus, & cùm gratioſus Aman multum poſſet apud ſuum Aſſuerum, omnem portam obſerauit, ne Mardochæi totiuſque populi Hebræorum clamores ad aures Regis venirent. Verùm enimuerò non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, qui nouit iuſtis querelis aditum ac portas aperire. Dedit Eſtheræ Reginæ acceſſum, coram Rege expoſtulauit, poſtulauit caput gratioſi, qui malorum caput fuerat, & impetrauit. Interim dum ſanguis pauperum clamat, & clamores in palatio non audiuntur, crucem patitur Mardochæus, patitur & HELCIVS MADRITANVS. Secùs faciebat olim Alexander, cuius & exemplo & teſtimonio vtitur Baſilius Epiſt. 54. *Audiuiſſe quidem non negamus, negamus quidem Timotheum eſſe, qui calumnias in te fabricauerit. Cùm autem omnino audiuerimus, ſi nihil aliud, vel illud ſaltem Alexandri dicemus, Alteram auriculam delato illibatam ac ſinceram conſeruamus.*

Excitatio laborantis.

Crux PETRI crucifixi, Crux ægrotantis.

HAnc crucem patitur æger, cùm iuſtè queritur, nemo tamen audit aut credit. Recurren-

Instrumentum artis benè moriendi.

dum tunc ad Deum, cuius aures attentæ & intentæ ſunt clamoribus ægrotorum. Teſtatur ipſe qui dicit, *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Benè Ephræm Diſcept. de Patient. ait: *Quid hoc beatius, quàm conſequi talis Regis beneuolas aures?* Clamauit Ezechias æger, qui conuertit ad parietem faciem ſuam, & per murum clauſum, obſeratum & obſtructum voces ſuas intromiſit, & illas Deus excepit. Excipiet & tuas, ſi dicas cum Ezechia: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.* Quamuis Rex ille Ezechias multos haberet miniſtros, multos Medicos, ſolum confugit ad Deum, & ſolum Deum conſuluit, vt diuino eius fauore ſanatus, & à morbo recreatus, ſoli Deo pro valetudine ſua ageret & haberet gratias. Eapropter non ſemel, ſed ſæpè Deus claudit ſuas portas, & vias intercludit humanas pro adipiſcenda ſalute, vt neceſſitate ductus, & etiam coactus ægrotus, recurſum ad Deum habeat, cui poſt acceptæ valetudinis beneficium gratus exiſtat. Ad Regis illius exemplar componat ſe æger, & quidem ſic monet in Aſceticis Baſilius: *Quemadmodum Ezechias maſſam ficorum non primam duxit ſanitatis ſuæ cauſam, neque curandi corporis rationem illi tribuit, ſed gloriæ Dei, qui ficos condidit, gratiarum actionem obtulit: ita & nos plagas à Deo recipientes, qui benè & prudenter*

Pſal. 90, 15.

Excitatio ægrotantis.

Iſai. 38, 21.

Iſai. 38, 21.

denter vitam nostram moderatur, principio quidem inquiramus cognitionem rationis ob quam nos flagellet, deinde & liberationem à doloribus & patientiam, & prætereà vt tentationi præbeat exitum, vt tolerantes esse possimus: datam verò medicandi gratiam siue per oleum vino mixtum, vt in eo qui inciderat in latrones; siue per ficos, vt in Ezechia, grato animo suscipiamus. Reddita ergo sibi sanitate, in Ecclesia referat æger actionem gratiarum, more Ezechiæ Regis, imitator crucifixi PETRI, cuius vt inhæreat vestigiis, pro foribus stabit, & *cor suum dabit in similitudinem picturæ.* Quòd si statio vitæ deserenda sit, oret sicut moriturus iam, & Eccli. 38, 28.
stans pro foribus orauit Eligius, cuius meminit Surius: *Suscipe me secundùm magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti portas tuas.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

REx gloriosus extra portam passus est, repulsus quidem à Proceribus Hebræorum, quibus *Virtus sacra Eucharistia.* monita salutis dabat, & cui portas suas clauserat humana potentia: statim ianuas suas diuina omnipotia aperuit; vnde mandatur cælestibus potestatibus. *Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ* Psal. 23, 7.
æternales, & introibit Rex gloriæ. Ergo qui in porta patitur,

patitur, & in ea repulſam ſubiit, ſoletur ſeipſum, & cælos apertos conſideret, qui patent dignè & piè communicantibus. Huc alludens præſcius cecinit
Pſal.77, 23. olim Dauid: *Ianuas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna ad manducandum.* Hinc Gregorius lib.4. Dialog. cap.58. *Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora cælos aperiri, choros Angelorum adeſſe?* Repulſus Stephanus vidit cælos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei, & virtute eiuſdem
Act.7,59. fauoris *obdormiuit in Domino.* Qui pellitur iam ex mundo, & accipit Euchariſtiam, eumdem ſub ac-
Viaticum. cidentibus CHRISTVM Dominum conſideret, vt ſacræ virtute Communionis in Domino quieſcat, pieque ac ſanctè dormiat, & ſomno tranquillo fruatur.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

LAzarus pauper ad ianuam auari diuitis erat, & cùm tantum vlcerum & vulnerum martyrium patientiſſimè perferret, maior crux erat afflicto in neceſſitate extrema cùm clamor non audiretur, & iuſta eius petitio repelleretur. Paulò poſt mutatæ ſunt rerum vices, quando ſimul repellentem & repulſum mors arripuit, & locis ſuis ambos addixit. Repulſus Lazarus, in ſinum Abrahæ deportatus manibus

nibus & plausibus Angelorum; diues verò purpurarius & simul auarus, in tartara deturbatus: vbi cùm à sancto Patriarcha vnam exposceret guttam aquæ, est passus semel repulsam, & iterùm, cùm rogaret, vt nuntium mitteret, qui fratres de statu suo moneret, & cauere sibi à pœnis & tormentis inferorum iuberet.

Ergo qui patitur nunc repulsam, exemplo Lazari se soletur, & speret intra aulam Dei aliquando recipiendum, qua exulant tyrannicè repellentes, repulsi verò patientes in ea honorantur & coronantur. Meminerit gloriosi martyris Stephani, qui cùm à contribulibus suis expelleretur, vidit sursum gloriam Dei, & exclamauit, *Ecce video cælos apertos, &* Act.7,56.
IESVM *stantem à dextris virtutis Dei.* Cælestes videt ianuas, habet & portas apertas, qui clausas sibi hîc fores tolerat patienter. Expectat ad ianuam CHRISTVS, vt venientem cruciferum suum excipiat, honoret, & coronet virum, quem expulit à se mundus. Cùm è mundo expelleretur Longinus Centurio, monuit socios: *Jam aperta est porta quæ est in cælis, & Angeli sunt nostras accepturi animas, & oblaturi Filio vnigenito. Ecce & lampades video, & apparent mihi brauia, cum quibus sistendi sumus ad iudicis tribunal.*

Laurea repulsa.

Extrema verba morientis.

PRodeant modò in publicum ſpectaculum ſacri Tyrones, ſiue Pueri honorarij glorioſi Regis: de quibus Rex ipſe ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Matth. 11, 25.

Prodeat verò omnium primus SIMON, paruum ſpeculum myſticæ reſurrectionis, & patientiæ ægrotantis.

In ſpeculo paruo imagines paruæ videntur, quia pro modo ſpeculi videntur. S. Auguſtinus libro de Quantitate animæ.



Paruule, quem dulci raptauit ab vbere tortor,
53. *I nunc, cælesti nectare pelle sitim.*

EMBLEMATICA IMAGO LIII. S. SIMONIS PVERI CRVCIFIXI EXPLICATA.

SANCTVS SIMON puerulus Tridentinus, trigeſimo ætatis menſe nondum completo, captus & raptus à Iudæis eſt, vt victima Paſchalis immolaretur. Ergo in ipſo Paſchatis die à Rabbi Moyſe nudatur veſtibus, circumciditur, crucifigitur, & ſtylis ferreis infantulus circumfoditur. Cùm eſſet iam in extremis, & extremum ſpiritum emitteret, oculos in cælum extulit, & mundam ſimul animam efflauit. *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Crucis ſcientiâ & intelligentiâ SIMON ab vtero materno raptus inſtruitur & imbuitur, inſtruit & imbuit nos, vt myſteria paſſionis CHRISTI, & ſimul reſurrectionis expendamus. Prouidit nobis Deus de agnello iſto Paſchali, qui corde tactus, tangat & corda noſtra, dicatque cum Auguſtino lib. 4. de Ciuitate Dei: *Conſiderate ergo diligenter ineffabilis viſcera pietatis, perpendite immenſum & inueſtigabile pondus diuinæ charitatis: quia in rebus humanis inuenire non poterat pretium noſtræ redem-*

Surius in Martio. Martyrol.

Iſai. 28, 9.

Sympathia Christi & Simonis Artificum myſtica reſurrectionis.

 ptio-

ptionis, Redemptor noster seipsum obtulit Patri pro nobis hostiam in odorem suauitatis: sic ipse factus est Sacerdos, & Sacrificium, ipse Redemptor, & pretium. Audistis nunc reparationis nostræ mirabile sacramentum, audite etiam salutis nostræ opportunum valdè consilium. Tradidit seipsum pro nobis ad mortem, mortificemus & nos eius amore omnem in nobis terrenæ concupiscentiæ voluntatem.

Crux SIMONIS, Crux mysticæ resurrectionis.

Instrumentum artis benè viuendi. PVeri suopte ingenio rudes indigent Catechismo, sed sapiens SIMON Ioannem Baptistam refert, in cuius elogium modulatus est Zacharias:
Luc. 1, 76. *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Non tam ad discendam, quàm ad dicendam scientiam infantulus crucem ascendit, ex qua tamquam ex cathedra mysticæ resurrectionis mysterium declarat. Ergo in sancto Paschatis die, cùm puram efflaret animam, extulit in altum oculos, & puer nos catechizans monuit: *Si consurrexistis*
Coloss. 3, 1. *cum* CHRISTO, *quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Hæc mystica mentis nostræ resurrectio fieri nequit, nisi crucem feramus pro CHRISTO, & simul cum CHRISTO, qui vel in sua

ſua reſurrectione crucem in manu geſtans deſcribitur. Succurrit Auguſtinus lib.2. de Diuin. inquiſit. cap.4. *Quantò magis* CHRISTO *appropinquat affectu pietatis, tantò magis exterior homo corrumpitur: ſed interior renouatur de die in diem, omniſque lux illa ingenij, quæ ad inferiora vrgebat, ad ſuperiora conuertitur, & à terrenis quodammodò aufertur, vt magis magiſque huic ſæculo moriatur, & vita eius abſcondatur cum* CHRISTO *in Deo.* *Excitatio laborantis.*

Crux SIMONIS, Crux ægrotantis.

CVm pueri malè habent, ad charos ſibi parentes lacrymantes oculos erigunt. Nouerat SIMON Patrem ſurſum in ſupernis eſſe, conuertitque lumina in cælum, quaſi diceret, *Pater noſter, qui es in cælis.* Nobilis conditio hæc eſt, qua ductus Rex Ezechias in ægritudine ſua ſurſum oculos leuauit, dixitque: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba. Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.* Cùm quis affigitur lecto, ingenui nobiliſque pueri inſtar, Patrem ſuum in cælis quærat, more Gerardi, qui cùm eſſet in extremis, vt refert Bernardus Serm.26. in Cantica, dicebat: *Quanta dignatio, Deum Patrem hominum eſſe! & quanta hominum gloria, Dei filios eſſe heredes!* Pertinet huc, quod refertur inter Apophthegmata Patrum. Cùm nuntiaretur mors patris, nuntianti

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Matth.6, 9.

Iſai. 38, 14.

ti reſpondit monachus, *Deſine blaſphemare, meus enim pater immortalis eſt.* Oportet in doloris lecto Patrem ſummum inuocare, quem inuocauit, coluit & adorauit CHRISTVS, cùm in lecto crucis infirmaretur. Hinc Gregorius p.3. Paſtoral. cap.13. *Admonendi ſunt ægri, quòd pro nobis Patrem, quamuis diuinitate eſſet æqualis, adorauit.* Magna reuerentia Patris eſt, & tunc maximè oſtenditur, cùm ab eo morbis punitur homo, infirmitatibus caſtigatur, quemadmodum Serm.1. de Viſitat. infirmor. decernit Auguſtinus, & ſimul monet ægrotantem: *Diſciplinam patris tui ne abiicias fili. Nemo filius, quem non corripit pater. Sed noli deficere à diſciplina Domini, & ne fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim Deus corripit, flagellat, & quaſi pater in eo complacet ſibi.* Adhuc puer erat Baſilius, & dum ægrotaret, diſciplinam non abiiciebat, ſed de manu paterna prouenire recognoſcebat, ac proinde non moleſtè illam ferebat, nec fatigabatur longitudine infirmitatis, ſed grandæuus, & adhuc æger in diuturna ſua ægritudine iudicium Dei venerabatur. vnde & Epiſt.77. ſcribit, *Corporis imbecillitate impedior, quam planè haud ignoratis, quanta mihi ſit à prima ætate ad iſtam vſque ſenectam vna mecum educata, meque, iuxta iuſtum Dei iudicium, qui omnia ſapienter diſponit, caſtigans & erudiens.* Caſtigatus & eruditus in eadem

Prou.3,11. Heb.12,6.

Excitatio ægrotantis.

ſchola

ſchola cum CHRISTO, *qui didicit ex iis quæ paſſus eſt* Heb.5,8.
obedientiam. CHRISTVS quidem Doctor paruulorum eſt, & eos in laboribus & infirmitatibus ſuis orare docet, *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen* Matth.6,
tuum. Hunc ipſe vocauit & inuocauit, cùm eſſet in 9.
lecto crucis: *Pater, dimitte illis.* & rurſus: *Pater, in* Luc.23,
manus tuas commendo ſpiritum meum. Orauit Patrem, 34. Luc.23,
& inclinato capite emittens ſpiritum, Genitorem 46.
ſuum adorauit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

MOribus antiquis Eccleſiæ poſt ſacri Baptiſmatis ſuſceptionem auguſtiſſimum Sacramentum infantibus miniſtrabatur, cuius ſolemnis conſuetudinis Cyprianus Serm. 5. de Lapſis, & Hugo Victorinus lib.1. de Eccleſiaſt. Officiis cap.20. meminerunt. Laudabilis tunc ille vſus, quando vel ipſa Eccleſia ſuam agebat infantiam, ſacroſanctiſque vberibus Euchariſtiæ lactabatur & nutriebatur. Qualem in tenera ætate infantiæ & pueritiæ ſuæ erga ſe Deum experiebatur Eccleſia, talem ſeipſam erga infantes, pueroſque aqua luſtrali tinctos oſtendebat & exhibebat. Conſonat dictis præſcius primæ & primæuæ domus Eccleſiæ Salomon: *Sapientia ædificauit* Prou.9,1.
ſibi domum, excîdit columnas ſeptem. Immolauit victimas

Virtus ſacra Euchariſtiæ.

ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Ceſſet igitur illa antiqua la-
Thren. 3, 4. mentatio: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Paruuli nunc ſub Patris diſciplina exi-
Matth. 6, 12. ſtentes panem petunt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Frangit illis panem glorioſa Patris Sa-
Matth. 26, 17. pientia, quæ & pueris ſuis ait: *Accipite, & comedite.* Accipit, & comedit myſticus Dei Simon, & ait ver-
Pſal. 22, 4. beranti Patri: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos,*
Viaticum. *qui tribulant me.* Hæc menſa laborum & dolorum leuamen eſt, & in extremo agone Viaticum pro remedio adhibetur, cùm homo nudus in terram reuertens repueraſcit.

Prodeat in publicum paruum ſpeculum GVILIELMI pueri, in quo ſplendet imago ferentis carnem & morbum.

EM-



Lumina crudeli quid funere paſcis Apella?
54. *Mox dabitur propriâ cor ſatiare nece.*

EMBLEMATICA IMAGO LIV. GVILIELMI PVERI CRVCIFIXI EXPLICATA.



CHRISTVS *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Semen Abrahæ præceſſerat in Iſaac, in cuius celebri ſacrificio præludia ſanctæ crucis præluxerunt & apparuerunt. Apprehendit CHRISTVS mortalem hominum ſtatum, qui ſubire crucem potuit; immortalem conditionem Angelorum, quæ paſſionem carnis ignorat, aſſumere recuſauit. CHRISTVS itaque factus homo, & Angelus magni conſilij, angelos homines fecit, quibus ſecum crucem ferre, & mortem pati liceret. Ad hanc Angelorum claſſem pertinet GVILIELMVS Anglus, qui cùm puerulus eſſet, in vrbe Nordicenſi à Iudæis peremptus eſt eodem mortis genere, quo & ipſe à CHRISTO redemptus erat. Angelus in carne fuit, & cùm viueret in carne, acerbam crucis paſſionem cum CHRISTO tulit. In carne ambulare, & non ſecundùm carnem militare, Angelicum eſt. Adſtruit hoc Paulus cùm dicit: *In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.* Ambulat in carne Paulus, cùm terrenus homo ſit;

Heb. 2, 16. Exſtat hiſtor. Anglican.

Sympathia Chriſti & Guilielmi Artificum tolerata carnis.

2. Cor. 10, 3.

ſit; non militat ſecundùm carnem, cùm totus angelicus viuat. Quamdiu ille in carne viuit, cùm vir angelicus ſit, caro crux laborioſa eſt. vnde & dicit:
Rom.7, 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Gemit angelicus homo ſub carnis paſſibilis onere.

Crux GVILIELMI crucifixi, Crux corporis.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

NIſi caro viro angelico crux foret, Angelus magni conſilij non aſſereret, *Abneget ſemetipſum,*
Matth.16, 24. *tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Monuit Angelorum Rex, vt homo abnegando ſe ſuamque carnem, aſſurgeret, & in ſocietatem Angelorum ſeipſum inſinuaret. Benè Bernardus Serm.23. inter paruos: *Ceciderat à ſeipſa* (nempe natura humana) *à ſocietate Angelorum, à viſione Dei, id eſt, à libertate, à dignitate, à beatitudine. Audiat ergo conſilium, & abnegando ſemetipſum, id eſt, propriam voluntatem, ſeu libertatem recuperet tollendo crucem ſuam, id eſt, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendo per continentiæ bonum,*
Excitatio laborantis. *recuperet ſocietatem Angelorum, ſequendo* CHRISTVM, *id eſt, eius paſſionem imitando, recuperet claritatis eius viſionem: quia ſi compatimur, & conregnabimus.* Addo ex Baſilio Epiſt.41.ad Maximum Philoſophum: *Neque*

que enim certè parum vtilitatis habet eum, qui ex ampla familia, & illuſtri genere ad angelicam vitam tranſiuit, rationis moderamine quaſi fræno quodam cohibere iuuentam, & carnis affectum in ſeruitutem redigere rationis. Qui myſticus velit eſſe Guilielmus, carnem, quam fert, loco crucis habeat, & ferat, & oret cum Auguſtino lib. Contemplat. *Fac me, quæſo, dulcis* IESV, *pie, bone, ſemperque benedicte, tuo amore, & tuo deſiderio onus carnalium deſideriorum, & terrenarum concupiſcentiarum ſuperare & calcare.*

Crux GVILIELMI, Crux ægrotantis.

GVILIELMVS debili carni adſtrictus, & ſimul cruci alligatus, tormenta ſic ſuſtinebat, vt non tam homo paſſibilis quàm Angelus paſſionis expers eſſe videretur. Tolerare dira remedia, dura medicamenta ſic ferre, quaſi careas corpore humano, non tam humanum quàm angelicum ſpectaculum eſt. Quanti hoc habendum ſit, Chryſoſtomus agens de Patientia pulchrè oſtendit. *Nihil eſt,* inquit, *tam horrendum tamque tremendum, quàm quòd hi qui vel morbo aut pœnis diſcruciātur, non ſuperentur, ſi diuino ſint amore incenſi: ita vt neque ignis, neque ferrum, neque inopia, neque languor aliquis, neque mors, neque aliud quidpiam huiuſmodi graue aut moleſtum appareat ei, qui hunc ſit erga*

Inſtrumentum artis benè moriendi.

Deum

Deum amorem consecutus. Totus hoc amore accensus & totus angelicus in suis infirmitatibus & morbis, qui nihil graue nihil molestum sentiret, patientissimus Iobus erat, de quo Ambrosius Tract.2. de Interpellat. Dauid cap.1.dicit: *Non ægrotabat animo, etsi doleret in corpore, quia non erat in carne anima eius, cuius passionibus non adhærebat, sed in spiritu, cuius virtute se texerat.* Cùm æger D.Nazianzenus esset, ad statum hunc angelicum adspirabat, & simul suspirabat Epist.99. apud Basilium: *Vociferabor aliquid aduersum meipsum. Sit autem venia dolenti, si quæ dolentis sunt locutus fuero. O carunculam prauam & malignam, quibus me malis afficis? quæ mala perpetras?* In hoc angelico statu Ecclesiastica historia lib.6. cap.2. describit Beniaminum, qui cùm gratia sanitatis diuinitus esset donatus, ægris multis medebatur, ipse tamen perpetuò infirmabatur, dixitque admirantibus sociis: *Rogate Deum tantùm pro anima mea, de corpore parum estote solliciti, quia etiam dum sanus eram, ad nihil id mihi vtile erat.* Mysticus Guilielmus est, qui sic ægrotat in carne, vt carne & eius passionibus videatur esse nudatus, & vnicæ animæ suæ curam habeat.. Quòd si Democritus dicere solebat discipulis, *Si corpus animum in ius vocaret, haud quaquam futurum, vt ille muneris malè administrati crimen effugeret,*

Excitatio ægrotantis.

acci-

accipiendum ita est, vt reus corporis sit, qui ratione non ducitur, sed voluptate seducitur. hic enim in corpus suum grauiter peccat, grauiter delinquit.

Leuamen laborantis & ægrotantis.

CEsset illa querimonia, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Petierunt à cælesti Patre panem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* quem non solùm impetrarunt, sed etiam abundanter obtinuerunt per manus gloriosi Regis, qui & illis panem fregit, inuitansque ad epulum ait: *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Venit paruulus angelicam vitam ducens, & cum eo more cælesti agitur; *Panem Angelorum manducauit homo*, vt totus angelicus redditus, carni & eius passionibus omnino renuntiet. Benè Nyssenus Homilia 8. in Ecclesiast. *Qui hanc amat carnem, non est amicus suæ carnis; & qui in hunc sanguinem est affectus, mundus erit à sensili sanguine.* Vnde cùm res est de carnis & spiritus diuisione, peropportunè sacrum Viaticum porrigitur & administratur, vt dediscat homo diligere carnem suam, & discat è carne purus & mundus abire in consortium Angelorum, qui de pane Dei diuino aluntur & nutriuntur. Fuit olim apud Græcos mos, vt postquam maioris ætatis homines cælesti forent

Thren 3, 4.
Virtus sacra Eucharistiæ.
Matth.6, 12.
Prou.9,3.
Psal.77, 25.
Viaticum.

pabulo recreati, ingenui pueri, & maximè puri ac nitidi accerſerentur, & ſacratiſſimis Euchariſtiæ reliquiis reficerentur. Conſule Nicephorum lib.17. capite 25. Conſonat hic ritus cum moribus cæleſtis Numinis, quod cùm ſublimibus dapibus gloriæ ſuæ diuinitus aleretur, ad glorioſas earum reliquias ſumendas & accipiendas creauit & vocauit Angelos & homines, adhuc Angelis per omnia ſimiles euocat & accerſit.

Prodeat in publicum paruum ſpeculum HVGONIS pueri, in quo ſplendet imago innocentiæ & patientiæ ægrotantis.



Paruule ne plores raptæ dispendia lucis:
55. *Maturus cælo non cadit ante diem.*

EMBLEMATICA IMAGO LV. HVGONIS PVERI CRVCIFIXI EXPLICATA.

INCOLNIAE in Anglia S.HVGO puer in odium CHRISTI crucifixi à Iudæis cruci ſuffixus fuit. HVGO tenellus pendens è ligno crucis, puritatem, munditiem & innocentiam ſpirat, inſpiratque intuentibus ſe, vt vitæ puritatem, & innocentiam morum ſemper in ſe cuſtodiant. Magnus theſaurus vitæ innocentis eſt. *Habemus theſaurum* iſtum *in vaſis fictilibus*, & ita fragilibus, vt non ſolùm vno ictu, ſed vno etiam aſpectu violentur & confringantur. Hinc fit, vt ſi ſana & integra innocentiæ ſeruetur virtus, res miraculo ſimilis habeatur, & mirabilis ille ſit, qui puerilem, dum viuit, referat innocentiam, cuius cauſam egit in cruce, & peregit innocens CHRISTVS. Satis ardua res eſt, & proxima ipſi martyrio, depoſitum iſtud ſeruare. Mundus plenus periculis eſt, & inter omnia eius pericula innocentiam cuſtodire, ſummæ ſollicitudinis eſt. Benè Auguſtinus Serm.150. *Nemo dicat, quòd temporibus noſtris martyrum certamina eſſe non poſſunt; habet enim & pax noſtra martyres ſuos. Nam, ſicut*

Hiſtor. Anglic.

2. Cor. 4, 7.

Sympathia Chriſti & Hugonis Artificum innocentia.

ſicut frequenter ſuggeſſimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, iuſtitiam cuſtodire, pars magna martyrij eſt. Hanc cuſtodire quàm ſit difficile & arduum, ſatis oſtendit Ambroſius Epiſtola ad Heliodorum: *Quod eſſe diſcrimen putas inter eum qui moritur puer, & eum qui demoritur ſenex, niſi quòd hic peccatis abeat oneratior, & plurium coram Deo culparum reus, quàm ille.* Præſtat igitur puerum quàm ſenem mori.

Crux Hvgonis crucifixi, Crux innocentiæ.

Inſtrumentum artis benè viuendi.

MOrum integritatem & vitæ innocentiam ſeruare, magna crux eſt, & ad eius ferendum onus validis eſt opus humeris, quos Paulus in ſuo inuenit Timotheo. *Certa*, inquit, *bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, &* Christo Iesv, *qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum ſine macula, irreprehenſibile, vſque in aduentum Domini noſtri* Iesv Christi. Coniungit Paulus hoc loco confeſſionem fidei Christi quæ per martyrium habetur, cum fida legis cuſtodia, in qua integritas morum vitæque innocentia conſiſtit. Seruemus ſine macula præceptum,

1.Tim.6, 12.

ſeruia-

ſeruiamus imperanti Deo, erimuſque de Martyrum illorum numero, qui candidati in cælis degunt. Fauet dictis Clemens Alexandrinus lib.4.Stromat. *Quicumque Seruatoris mandata exequuntur, in vnaquaque actione ſunt martyres, facientes quidem quod vult.* Accedit & Hieronymus Epiſtola ad Euſtochium: *Pars tua Dominus, & quò magis gaudens mater tua longo martyrio coronata eſt. Non ſolùm effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur, ſed deuotæ quoque mentis ſeruitus immaculata quotidianum martyrium eſt.* Cuſtodi innocentiam ornatam non ſanguinis effuſione, ſed diuinæ legis obſeruatione. Maluit illam HVGO ſeruare, quàm vitam ipſam tueri. Et quidem B. Iobus plurima paſſus eſt, opum, honoris & prolium detrimenta generoſo animo tulit, vna innocentia contentus, quam inter varios euentus variaque rerum diſcrimina tenuit ac conſeruauit. Vix innocens Iobus erat, & agens infantem dixit: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Lacerauit veſtes ſuas, & cùm eſſet tantus homo, repueraſcens inſtar innocentis HVGONIS in cruce poſiti, nudus ille & mundus corde comparuit. Conuerſus in paruulum Iobus innocens eſt. Quomodo conuerti debeamus & fieri ſicut paruuli, rogatus Baſilius Regul. 216. reſpondit: *Ipſa nos hæc Euangelij pericope docet, quo argumento*

Excitatio laborantis.

Iob 1, 21.

gumento dictum sit declarans: ne videlicet affectemus eminentiam, sed æqualitatem honoris ex natura prouenientem agnoscamus: diligamusque æqualitatem etiam in illis, qui in quibusdam etiam minores esse videntur. Nam tales inter se sunt & paruuli, qui nondum eorum malitiæ, cum quibus conuersantur, assueti sunt.

Crux HVGONIS crucifixi, Crux ægrotantis.

Instrumentum artis benè moriendi.

PRimus innocentiæ status immunis erat à morbo: decidit ab illo homo, & incidit in infirmitates, & maior ab eo distantia causa fit maiorum malorum. Quapropter homo, si minuere & extenuare cupiat corporalem ægritudinem quam patitur, curet ad pristinum se statum reuocare, & cor suum reformare in similitudinem picturæ, & HVGONI similis fieri. Ad eius imitationem excitant ægrotantem verba illa Nazianzeni Epist. 70. *Honestum esse censeo dolori resistere, atque animo vel nunc maximè expurgari.* Item cùm more HVGONIS immaculati purgetur & expurgetur homo, vt redeat ad innocentiam, mirari non debet, si quando patiatur infirmitates, cùm & ipsa innocentia in lecto crucis laborauerit, quemadmodum aduertit Gregorius 3. Pastor. admonit. 13. *Quis sana intelligentia de percussione sua ingratus existit,*

Excitatio ægrotantis.

si

ſi ipſe hinc ſine flagello non exiit, qui hîc ſine peccato vixit? Roſæ inſtar innocentia eſt, nec ſine ſpinis roſa, ſicut nec ſine morbis puritas vitæ eſt. Rectè Baſilius Sermone de Paradiſo: *Roſa hîc ſpinis eſt coniuncta, externa gratia moleſtiam obtegens, & tantùm non aperta nos voce conteſtans, ac dicens: Quæ iucunda vobis ſunt, ô homines, triſtibus permixta ſunt. Nam verè in humanis bonis ita comparatum eſt, vt nullum eorum ſincerum ſit, ſed confeſtim lætitiæ & hilaritati conglutinetur mœſtitia, coniugio viduitas, puerorum educationi cura & ſollicitudo, fecunditati abortus, vitæ ſplendori ignominia, proſperis ſucceſſibus diſpendia, deliciis faſtidium, ſanitati infirmitas.* Vera roſa CHRISTVS erat, & illa coronata ſpinis apparuit in lectulo ſuæ crucis, & inde aperta nos voce monebat, quæ tacita roſa monuit. Hoc ipſum loquitur puerulus HVGO è cruce, in qua inſtar placidæ roſæ corona ſpinarum cingitur, & ſimul in ſpinis aculeatis morborum & ægritudinum coronam ſitam declarat. Non coronabitur æger, niſi legitimè certauerit; nec certauerit, niſi parauerit ſe per cultum vitæ innocentis. Refert Hieronymus in Vita Hilarionis, quòd cùm puer adhuc eſſet, & ad eum veniſſent latrones, & quaſi per iocum rogarent puerum, Quid faceres, ſi latrones ad te venirent? reſpondit ille: *Nudus latrones non timeo.* At illi aiunt: Occidi potes.

Possum, inquit, *possum, & ideò latrones non timeo, quia mori innocens paratus sum.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

Thren. 3, 4. *Virtus sacra Eucharistia.* FAcessat illa querela, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Petierunt & impetrarunt qui iustitiam esuriebant. Hic iustitiæ panis offertur simul & frangitur à manu ipsa Regis cælestis, Prou. 9, 3. qui & dicit: *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Venit inuitatus & rogatus, sumit hostiam sanctam & immaculatam, & orat post Communionem, vt tanti virtute Sacramenti sanctum & immaculatum se in posterum custodiat ac seruet: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, & sanguis quem potaui, adhæreat visceribus meis, & præsta, vt in me non remaneat vlla scelerum macula, quem tam pura & sancta refecerunt Sacramenta.* *Viaticum.* Hinc haurit moriturus homo innocentiam, vt spiritum purum reddat.

Prodeat in publicum paruum speculum RICHARDI pueri, in quo splendet imago orantis & ægrotantis.

EM-



Ut Solem Atlantes, in se redeunte sagittâ,
56. *Sic Christum opprobrijs gens recutita petit.*

EMBLEMATICA IMAGO LVI.

S. RICHARDI PVERI CRVCIFIXI EXPLICATA.

RICHARDVS Gallus, adhuc puer, in nostræ Religionis ludibrium, porrectis in altum manibus, cruci suffixus à perfidis Iudæis est. Sacræ eius Reliquiæ in Ecclesia sanctorum Innocentium Parisiis asseruantur, vbi & multa miracula earum veneratione patrantur. RICHARDVS innocens erat, & puras manus erexit, vt dignum de se sacrificium immolaret, totusque Dauidicus ait: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* CHRISTVS ipse primus in precibus suis hæc protulit, de quo S. Augustinus Psalmo 64. *Extendit manus in cruce, vt diceret: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Describit & ipse Augustinus libro de Vita CHRISTI, cap. 15. præclaras dotes, quibus Richardus mysticus insignitus esse debet. *Ille meritò ad Deum extollit manus, ille preces bona conscientia fundit, qui potest dicere: Tu nosti Domine, quàm innocentes, quàm puræ sint ab omni fraude, quas ad te expando, manus.* Sunt qui, dum orant, in cru-

Paulus Aemil. Richard.

Psal. 140, 2.

crucis formam ſe componant, nec dubium, quin inter ſe crux & oratio conſonent & conueniant. Compoſitus in formam Crucis CHRISTVS Dominus, cùm in Caluariæ monte pateretur, ſacras preces & ſupplicationes fudit. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & puro corde;* RICHARDVS ſcilicet, & qui eſt Richardo ſimilis. Erectio manuum coniuncta cum oratione, myſtica eſt, & ſacrum eius myſterium lib. 7. Stromat. Clemens Alexandrinus explanat. *Caput*, inquit, *& manus in cælum extendimus vnà cum verbo, corpus à terra ducere conantes, erectam & eleuatam animam: deſiderio meliorum cogimus in ſancta progredi, magno animo corporis vinculum deſpicientes.*

Sympathia Chriſti & Richardi Artificum orationis.

Pſal. 23, 4.

Crux RICHARDI, Crux orationis.

CORpus humanum erigit & eleuat à terra crux, oratio verò animam in altum tollit, vt Auguſtinus Serm. 230. de Tempore definit. *Quid oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſuperiorum, inuiſibilium deſiderium?* Conſonat & Damaſcenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 24. *Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum.* Ne palmites terrâ reperent, clauiculos, quibus innixi ad ſuperiora contenderent

Inſtrumentum artis benè viuendi.

Excitatio laborantis.

&

& conſcenderent, beneficio naturæ acceperunt. Nos omnes palmites ſumus, vt ab ipſo CHRISTO didicimus, *Ego ſum vitis, vos palmites:* ne ſolo terræ re- Ioan 15.5.
pamus, ſed in cælum aſcendamus, imitemur palmitem CHRISTI, qui ſuarum manuum clauiculis vſus, ad ſublimia gradum facit. Fecit orando Dauid: *Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.* Pſal.118. 48.
vnde Paulus & ipſe Dauidicus ait, *Volo viros orare in* 1.Tim.2. 8.
omni loco leuantes puras manus. Quid ſic? Reſpondet S.Ephræm in Panoplia: *Verè arcus æreus eſt contra inimicos, expanſæ in oratione manus in ſcientia orantis; ſicut etiam ſagitta directa emiſſa ab eo qui arcum librat.* Hinc Dauid: *Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.* Hæc Pſal.17. 35.
orandi forma ſic placuit, ſic arriſit Conſtantino, vt, teſte Euſebio lib.3.cap.3. voluerit ſuam ſtatuam more precantis, manibus expanſis, oculiſque in cælum ſublatis, in publico collocari. Quid autem ſibi velit geſtus prædictus oratoris, expoſuit Tertullianus in Apologia cap.30. *Paratus eſt*, inquit, *ad omne ſupplicium habitus orantis Chriſtiani: quaſi orans proteſtetur, Præſtò ſum, necte & plecte, ſi vis, aut certè miſerere.*

Crux RICHARDI, Crux ægrotantis.

QVam RICHARDVS puer in cruce formam ſeruauit, ſeruauerat & Martinus, cùm in lecto *Inſtrumentum artis benè moriendi.*

iaceret

iaceret infirmus. canit enim Ecclesia: *Oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Ad hanc ergo normam & formam se omnis æger componat. Extendunt manus medicis curantibus ægrotantes, vt pulsum tangant, explorent, deque statu morbi & eius remediis decernant. Deus omnium medicorum facilè princeps est,
Psal.143, 10. *qui dat salutem Regibus.* Cum Medico illo diuino a-
Excitatio ægrotantis. gendum est, more crucifixi RICHARDI, porrigendæ manus sunt, vt quod libuerit, de valetudine nostra statuat & disponat. Extendebat Eudoxius æger ad Deum & cælum manus, commendatus à Gregorio Nazianzeno Epist.120. apud Basilium. *Nihil ita*, inquit, *ad reprimendos doloris affectus facundum reddit, atque ipsa animi passio. Fluebat quodammodò sermo noster; tu verò, cùm loquebar, quasi quibusdam stimulis excitatus, manibus in cælum extensis, vultuque quasi ad Orientem verso (Orientem enim aspicere poteras) exclamabas: Gratias tibi ago, Pater, ô conditor hominum.* Admonendus itaque æger est, vt Deo porrigat manus, nec ita Medicis confidat humanis, quemad-
2.Paralip. 15,12. modum Rex Asa fidebat, & malè cessit. *Nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est.* Non sic RICHARDVS, nec æger RICHARDO similis, qui Dominum salutis quærit, &

ad

ad Deum manus extendit. Hæc manuum extensio & eleuatio signum sacrificij est, quo se totum totamque vitam suam in manibus Medici diuini generosè resignat. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Psal.140, 2. Hæc eleuatio sic frequens & chara Simeoni Stylitæ erat, vt in publicis solemnitatibus ab occasu ad ortum solis, sublatis in cælum manibus, totam noctem steterit, neque somno victus, nec labore defessus. Consule Surium. Hanc etiam formam seruabat deuotus Gerson, qui morti iam proximus, pueros, quos docebat, euocabat ad templum; & ostiis clausis, in medio eorum, porrectis ad sacrarium manibus, dicebat, vt eius historia tradit: *Deus meus, creator meus, miserere pauperis famuli tui Joannis Gerson.* Non precatoris solùm, sed & victoris hic gestus est, cùm Psalm.17. dixerit nomine Dauidis Basilius: *Dum manus ad pugnandum in tentationibus extendo, eas vinco.*

Leuamen laborantis & ægrotantis.

NE iam vlteriùs dicatur, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, Thren.3,4 paruulis cælestem panem petentibus, & simul orantibus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, datur, & in mensa à CHRISTO frangitur. *Hic est panis, qui de cælo descendit,* Ioan.6,59.

Virtus sacra Eucharistia. Matth.6, 12.

dit, ad cuius ſacram ſumptionem inuitat paruulos
Prou.9,3. CHRISTVS: *Si quis eſt paruulus, veniat ad me.* Veniamus humiles omnes, myſticum Richardum in nobis pariter præferamus, Euchariſtiam poſtulantes, & in eamdem formam ſimul communicantes. Huc pertinet quod lib. 4. de Fide Orthodoxa aſſerit Damaſcenus: *Accedamus deſiderio ardenti, manus in formam crucis formantes, crucifixi corpus ſuſcipiamus.* Cor-
Viaticum. poris loco, quod hora mortis deponimus, corpus ſacratiſſimum CHRISTI ſumamus & recipiamus, manus formantes in modum crucis, & quidem exemplo pueri, cuius meminit Thomas à Kempis lib.2. cap.28. Achaz puer, cùm eſſet annorum ſeptem, & ad mortem æger eſſet, commeatumque ſacrum peteret, nec daretur, extenſis in cælum manibus, *Tu noſti*, inquit, *Domine* IESV, *quòd ſumma votorum meorum fuit hæc, vt te reciperem, petiui te, feci quod potui, ſpero confidentiùs quòd tua præſentia non fruſtrabor.*

Prodeat in publicum paruum ſpeculum CHRISTOPHORI pueri, in quo ſplendet imago ferentis CHRISTVM & morbum.

EM-



Dum Christi tormenta refers in corpore, et ipsum
57. *Pectore, Christophori nomen et omen habes.*

EMBLEMATICA IMAGO LVII.

CHRISTOPHORI INNOCENTIS CRVCIFIXI EXPLICATA.

APVD Guardiam in Hiſpania, dominantibus Ferdinando & Iſabella, CHRISTOPHORVS octennis puer omnia CHRISTI tormenta ſigillatim paſſus eſt: cumque crudeliter ad columnam cæderetur, nullum ſignum doloris dedit, ſolùm in vltimis quinque plagis, quæ verberum CHRISTO inflictorum numerum exceſſerunt, conqueſtus eſt. Cùm eſſet iam cruci affixus, dexterum ſibi latus effodienti dixit: *Si cor quæris, latus alterum effodias neceſſe eſt.* Siniſtro latere effoſſo, & corde per vim extracto, innocens puer regna cæleſtia ſubiit. Chriſtophorus verè erat, qui CHRISTVM paſſum crucifixumque in ſuo corpuſculo tulit. Chriſtophorus magnus atque procerus paruulum IESVM per aquas fluuij tranſmiſit: paruulus verò CHRISTOPHORVS magnum IESVM in ſe ſuſcepit, & per crucem ſecum in aſtra traduxit. Qui pro CHRISTO crucifigitur, & pro CHRISTO crucem fert, myſticus Chriſtophorus eſt, *Ergo glorificate & portate Deum in*

Sympathia & Artificium Chriſti & Chriſtophori ferentis Chriſtum.

1. Cor. 6, 20.

in corpore vestro. Anselmus in Commentario: *Glorificate Deum benè operando, & portate Deum, iugum eius super vos tollendo: & hoc facite in corpore vestræ, id est, in moderamine corporis vestri, vt nihil in vestro corpore notari queat, quod ad Dei contumeliam spectet, quod non eius gloriam commendet.* Non verbis solùm, sed rebus
2.Cor.4,8. Christophorum Paulus agebat, cùm diceret, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus: semper mortificationem* IESV *in corpore nostro circumferentes, vt & vita* IESV *manifestetur in corporibus nostris.* Apud Hispanos CHRISTOPHORVS nomine *Innocentis* gloriatur, cui similis ille est, quem Sermone de Ioanne Euangelista Laurentius Iustinianus describit: *Meritò ab Angelis honorandus est ille, qui diuinæ charitatis flamma succensus, infatigabiliter innatas concupiscentias eradicare conatur, atque terram sui vtriusque hominis ad pristinum originalis puritatis reformare decorem. Huiusmodi plurimùm amatur à* CHRISTO, *qui innocen-*
Marc.10, 14. *tiæ auctor, & puritatis semper amator extitit. Sinite (inquit ipse) paruulos venire ad me, talium est enim regnum Dei.*

Crux

Crux CHRISTOPHORI, Crux CHRISTVM ferentis.

PAulus 1.Corint.15,47. *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Excitat nos Paulus, vt non tam Adamum quàm CHRISTVM in nobis feramus. Commendat nobis Apostolus, vt non tam inuisamus CHRISTI imaginem, quàm vt illam in nobis portemus. Venis ad templum, venis ad Sanctuarium, inuisis statuas, visitas imagines, veneraris, colis, oras, & adoras, recedis inde facta oratione & adoratione. Ampliùs hoc loco quærit & requirit Apostolus, vt nimirum viuam imaginem CHRISTI tecum portes, tecum feras, vt mysticus Christophorus fias, sicut in Commentario dicit Anselmus: *Imaginem terreni hominis induimus propagatione præuaricationis & mortis, quam nobis intulit generatio; imaginem verò cælestis hominis induimus gratiâ indulgentiæ, vitæque perpetuæ, quam nobis per* CHRISTVM *præstat regeneratio. Vnus enim generat in mortem, alius in salutem.* Carnis voluptate proles suas generat in mortem Adamus; Crucis verò passione suas soboles CHRISTVS enititur

Instrumentum artis benè viuendi.

Excitatio laborantis.

enititur in ſalutem, & quidem ad formam ſui, vt patienti ſibi patientes & ipſæ aſſiſtant.

Crux CHRISTOPHORI, Crux ægrotantis.

Inſtrumentum artis benè moriendi.
1. Cor. 6, 20.
Excitatio ægrotantis.

NOn ſolùm modò ſanis, ſed infirmis etiam dictum eſto, *Portate Deum in corpore veſtro.* Portet & geſtet patientem in Cruce CHRISTVM lecto affixus æger, dolores non ægrè ſuſtinens. Summa gloria CHRISTOPHORI eſt, paſſum in ſe patiente CHRISTVM Dominum tuliſſe; & ſummus ægrotanti honor, CHRISTVM patrem futuri ſæculi ex mundano incendio plus quàm Troiano eripere in ſeipſo, & decorâ ſarcinâ onuſtum de lecto in cælum aſcendere. Myſticus Chriſtophorus eſt, qui per viuam in ſe fidem CHRISTVM fert, dum laborat & ægrotat, quo cum agens Auguſtinus lib. de Symbol. ait: *Aduerſarius diabolus mortem minando terrebat, ſed* CHRISTVS *vitam æternam promittebat. Aduerſarius diabolus carnem perempturum ſe eſſe dicebat, Rex autem noſter, vt doceret, quomodo ſuus exercitus vinceret, in ſe demonſtrauit mortem corporis non eſſe timendã, dum prior ipſe pro omnibus dignatus eſt mori, ne eius exercitus à diabolo in anima poſſet occidi.* Admonendi ſunt ægri, vt hunc CHRISTVM crucifixum geſtent in corde, in humeris ſimul & brachiis. Benè Bernardus monet Serm. 8. inter

ter paruos : MARIA *portat* IESVM *in vtero, Ioseph in humero in Ægyptum, scilicet iens & rediens, Simeon portat in brachiis.* Portet æger cum MARIA CHRISTVM in corde, & expendat quanta sit in cruce passus. Admonendi sunt ægri, sicut Gregorius ait 3.p. Pastoral. cap.13. *Vt incessanter, quanta Redemptor noster ab iis, quos creauerat, pertulit mala, considerent.* Portet cum Iosepho in humeris suis CHRISTVM, & eius crucem in lecto ferat ægrotus. Ferebat in lecto crucem S. Didacus æger, de quo Seraphica historia testatur, expirasse, dum diceret, *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuerunt digna portare Regem cælorum, & Dominum.* Portet tandem in brachiis cum Simeone æger CHRISTVM crucifixum, accipiat illum in manibus, & mysticus Simeon sit, qualis erat Adelphardus Abbas, de quo Surius : *Erant oculi eius ad Deum defixi, manus verò ad cælum extensæ, inuitansque sanctum Spiritum dicebat : Nunc dimittis* Luc.2,29.
seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterij Sacramenta.

Leuamen Crucis & passionis sacra Hostia.

O Sacrum Regis conuiuium! Paruuli petierunt panem, & adepti sunt Eucharistiam, cuius singulari beneficio mystici Christophori euadunt. *Eleuata virtus sacra Eucharistia.*

Consonat Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 4. *Sic enim efficimur christiferi, hoc est,* CHRISTVM *ferentes, cùm corpus eius & sanguinem in membra nostra recipimus.* Ita monet sanos & ægros CHRISTOPHORVS; & Petrus 1.Epist.cap.2,1. concludit: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes distractiones, sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite; vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Suauis est Dominus in sacra sua Eucharistia iis qui patienter ipsum sustinent. Cum sustinentibus se ita se CHRISTVS gerit, vt eos vice reciproca supra se teneat & ferat. Ad hoc vt mysticum suum Christophorum sursum attollat & eleuet, accedit, cùm

Viaticum. Viaticum ministratur. Tunc impletur, quod Deuter.32. præcinit Moyses: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Ita reuerà fit vt christifer, & simul crucifer CHRISTVM portet, & ipse à CHRISTO portetur.

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ, corona aurea & laureola.

Honor puerorum alit artem benè viuendi & moriendi.

REx Martyrum idem promittit, idem assignat præmium cruci martyrij, & pueritiæ cruci martyrij

martyrij pro præmio decernit regnum cælorum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hoc ipsum crucifixis & cruciferis pueris diuinus amator paruulorum adscribit & attribuit: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.*

Matth. 5, 10.

Matth. 19, 14.

Constituit ante oculos nostros Rex gloriosus honorarios suos pueros face patientiæ fulgentes, & martyrij honore decoros, & monet in singulis pueris, *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Efficitur sicut paruulus Martyr, qui nouit sine sanguine se litare & immolare in eam formam, quam præscribit S. Ephræm, dum de laude martyrum agit. *Huc igitur,* inquit, *iam age, & sanctorum te Martyrum discipulum præbe. Nam si te illis in discipulum dederis, erunt & ipsi vicissim tibi magistri optimi, addiscesque ab iis passiones quascumque superare ac nullatenus locum eis dare: disces quoque ab iisdem perfectam fidem, dilectionem Dei, ac ingentem commiserationis affectum, futurorumque bonorum desiderium; nam ardenter hi rogum atque flammam, virtute Dei, fideque perfecta extinxerunt atque vicerunt. Quare tu semper prauæ ac noxiæ concupiscentiæ flammas in te ipse restingue & vince. Varia illi tormenta superarunt, spe quæ est in* CHRISTVM, *suffulti: vince igitur & tu tyrannidem*

Matth. 18, 3.

iracundiæ iisdem instructus armis. Illi palàm martyres fuerunt : at tu in secreto saltem martyrem te præbe. Illi in aperto certamen consummarunt : perfice quoque tu certamen in occulto, vt in die retributionis coronâ cum ipsis doneris, ac in cælesti regno socius gloriæ illorum inueniaris, simulque sempiterno gaudio perfruaris. Hic finis gloriosus puerorum Deo inseruientium est, vnde meritò Iustinianus decedens in cælum ait: *Mihi credite, filij, nihil est præstantius, quàm seruire Domino.* Hæc consummatio vnius & alterius martyrij est, quæ pendet à tolerantia, in eius elogium Tertullianus libro de Patientia cap. 15. asserit : *Patientia martyria consummat, infirmum non extendit, valentem non consumit. Amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.* Talis debet esse patientia, quæ comes indiuidua gloriosæ crucis est, quæ per omnes status pertinet, & vbique reperitur; Oratione enim, *Quòd* CHRISTVS *sit Deus*, Chrysostomus ait : *Hoc mortis genus diademate gloriosius est : nam Reges positis diadematis crucem suscipiunt, mortis symbolum : in purpuris crux, in diademate crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa sacra crux, & in toto orbe crux, & super Solem fulget crux.*

Laureola incruenti martyrij.

Extrema verba morientis.

SACRI

SACRI SANCTVARII CRVCIS ET PATIENTIAE

PARS TERTIA

GLORIOSÆ REGINÆ MARIÆ ET SACRARVM FEMINARVM CRVCIFIXARVM.

Figura CRVCIS vbique inuenitur, apud Principes, apud Subditos, apud MVLIERES.
Chryſoſtomus, Quòd Chriſtus ſit Deus.

Stabat iuxta CRVCEM Mater eius. *Ioan.* 19.

IMAGINES EMBLEMATICÆ PARTIS TERTIÆ SACRI SANCTVARII.

Gloriosæ Reginæ iuxta Crucem stantis.
S. Theocliæ & Calliopij.
S. Februniæ virginis.
S. Blandinæ virginis.
S. Eulaliæ virginis.
S. Juliæ virginis.
S. Benedictæ virginis.
S. VVilgephortis virginis.
SS. Marthæ & Mariæ virginum.
SS. Tarbulæ & sociarum virginum.
SS. Timothei & Mauræ coniugum.
Magdalenæ viduæ & sociarum.
S. Gudiliæ indicis mysterij mortis.


Fecit

Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Exod.38, 8.

S. Laurentius Iustinianus de triumphali agone CHRISTI, cap.21.

Clarissimum passionis CHRISTI *speculum effectum erat in Virgine, nec non & perfecta mortis imago.*

Appareat in Sanctuario primum & primarium speculum Reginæ MARIAE.



Hîc, Vitam inſtaurans, Morti dat funera CHRISTVS.
58. *Anne igitur potuit Mors ſine morte mori ?*

EMBLEMATICA IMAGO LVIII.

B. MARIÆ CRVCIFIXO COMPATIENTIS EXPLICATA.

SANCTVARIVM crucis & patientiæ, ſecundùm Deum & hominem crucifixum, B. MARIAE matri eius compatienti & commorienti ſacrum eſto. Crucifixarum omnium feminarum prima MARIA patiens prodit, quæ compaſſa Filio ſuo, ceteras omnes præit, ſuaque compaſſione paſſiones omnium tranſcendit & complectitur. Crucifigitur in patientibus viris CHRISTVS, in feminis MARIA patitur. Apparet anteſignana Deipara in crucis formam manus & brachia componens, vt crucis loco eſſe teneram compaſſionem oſtendat, quæ non corpore, ſed corde charo pignori commoritur, proinde maternum pectus cruce ſignatum præſentat. Hanc ipſam Sanctuarij imaginem videtur contemplatus Bernardus Sermone de Verbis Apoc. cùm in hæc verba prorupit: *Ille corpore mori potuit, iſta commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit; fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.* Confirmat

Ioan. 19.

Regina crucifera Artifex compaſſionis.

Bernardus Simeonis vaticinio. Prædixerat olim ille,
Luc.2,15. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ex quo Doctor mellitus infert, *Tuam ergo pertranſiuit animam vis doloris, & plus quàm martyrem non immeritò prædicamus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus. An non plus quàm gladius fuit ſermo ille reuerà pertranſiens animam, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus: Mulier, ecce Filius tuus? O commutatio! Ioannes tibi pro* IESV *traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero.* Deus ipſe cum MARIA ſua loquitur apud Birgittam libro 1. cap.20. *Quando cor meum in cruce præ vehementia doloris rumpebatur, cor tuum ex hoc quaſi ferro acutiſſimo vulnerabatur, & libenter ſcindi permiſiſſes, ſi fuiſſet voluntas mea.*

Ioan. 19, 26.

Crux B. MARIÆ, Crux ſanctæ compaſſionis.

QVisquis compatitur CHRISTO, neceſſe eſt vt vnam cum illo eamdemque crucem ferat, & ſimilis MARIAE euadat. Euaſit Paulus, qui totus
Gal.2,16. Marianus dixit: CHRISTO *confixus ſum cruci.* Nec dubium, quin per compaſſionem Apoſtolus crucifixo eſſet affixus. Hic idem Chriſtianos omnes eſſe
Rom.8, 17. Marianos volens ſcribit: *Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem* CHRISTI, *ſi tamen compa-*

compatimur, vt conglorificemur. Habet myſterium ſuum vaticinium Simeonis. *Tuam ipſius animam,* inquit, *pertranſibit gladius.* Haud dubiè ſignificatū eſt gladium teneræ ac deuotæ compaſſionis ex anima MARIAE Virginis in alias etiam animas tranſiturum. Quamobrem Maria Magdalena lib. 7. Reuelat. S. Birgittæ cap. 15. dicit: *Pertranſibit cor meum nouus gladius compaſſionis.* Accedit quoque Bernardus totus ſpiritu Marianus, Serm. de Verbis Apoc. *Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animam pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra, licet ſaxea, licet ferrea pectora, ſola recordatio ſcindit?* Hic ſpiritus Marianus eſt, vt ſi quis illo tangatur, dicat præ compaſſione CHRISTI, ac Chriſtiani morientis: *Benedictio perituri in me veniat.* Accedat Ambroſius de Bono mortis cap. 8. *Si quem viderimus debilem, non deſeramus; ſi quem in extremis poſitum, non relinquamus. Occurrat & nobis dicere: Benedictio morituri in me veniat. Reſonent te poſtrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima ſecum vehat.*

Luc. 2, 15.

Excitatio laborantis.

Iob 29, 13.

Speculum Marianum Sanctuarij, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

HVmana infirmitas ex muliere promanauit, & ideò, cùm Iobus infirmaretur, cauſam miſeri ſtatus ſui explanauit. *Homo,* inquit, *natus de muliere,* Iob 14, 1.

breui viuens tempore. Hinc humana naſcitur ægritudo, vnde & homo naſcitur. CHRISTVS ipſe, cùm eſſet affixus cruci, memor fragilis natiuitatis ſuæ in ſpeculo Mariano, quod præ oculis habebat, ſuæ infirmitatis originem attentè ſpeculabatur, & exemplo ſuo declarabat, quid facto opus eſſet, cùm lecto affixus homo malè valeret, & haberet. *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.* Vertet & conuertet oculos ſuos ad patientem & compatientem MARIAM, vt memor ortus ſui ex muliere, infirmitatem ſuam æquo animo patiatur. Ad excitandum quoque in ſe affectum tolerantiæ, paſſionis & compaſſionis, ſpeculum hoc Marianum intuebatur S. Bonauentura in Officio de compaſſione, cùm diceret: *Propter doloris gladium, qui tranſiuit animam tuam, quando Filium tuum dilectiſſimum cernebas nudum, in cruce leuatum, clauis perforatum, ac per omnia laceratum plagis & verberibus, nec non & vulneribus, adiuua nos, vt cor noſtrum compaſſionis & compunctionis gladius perfodiat.* Hæc Bonauentura Virgini, quæ infirma & moriens morbum & mortem reddidit ſuauem, dicens Cantic. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Eccli. 38, 28.

Excitatio ægrotantis.

Extrema verba morientis.

Leua-



Speculum paßionis, et leuaminis pro columba gemente.

Leuamen Columbæ gementis in labore & morbo.

SEcundùm ſacram Euchariſtiam Regina glorioſa MARIA leuamen laborantis & ægrotantis eſto. *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens*, ingemiſcit & æger. Prouidit autem Deus afflictæ animæ inſtar columbæ gementis de ſacroſancta muliere, quæ & ſpeculum compaſſionis eſt. Cohærent ſibi ſpeculum compaſſionis & anima afflicta, MARIA ſcilicet & columba. Hanc referebat in labore & morbo

Inuocatio Reginæ Mariæ.

Eccli. 30, 27.

bo Hermannus cognomento *Contractus*, nobilissimi Comitis Sueui filius, qui cùm esset omnibus membris captus, & monachus factus, summis precibus MARIAM rogauit, vt sibi valetudinem impetraret. Rogata adfuit laboranti & ægrotanti, vt refert Platus lib.2. cap.52. & interrogauit infirmum, vtrum è duobus mallet, sanúsne fieri, sed vt erat rudis & indoctus permanere; an perseuerare in morbo & labore, & ornamento sacrarum scientiarum decorari. Elegit hoc vltimum, euasit mirum in modum sapiens, sed non minùs addictus Reginæ gloriosæ MARIAE, cuius opem in suis continuis laboribus & infirmitatibus implorabat, recitans *Salue Regina*, quam orationem cruciferis ægris recitandam pro solamine & leuamine in Ecclesia Dei reliquit. Hanc etiam gloriosus Rex Hungarorum Stephanus è viuis iam excessurus inuocauit, dicens: *Regina cælorum, mundi inclyta reparatrix, animam tuis manibus committo.* Adstitit Regina CHRISTO in lecto crucis infirmo, adstitit & morienti, & præbuit ibidem specimen, quanti leuaminis esset iis qui affixi lecto gaudent eius præsentia & assistentia, eius opera & ope fruuntur.

Appareat speculum amissæ prolis & infirmitatis THEOCLIA cum CALLIOPIO.

EM-



Non mihi, chara parens, dolet in cruce fundere vitam;
59. *Sed, tua quòd luctu saucio corda, dolet.*

Yyy

EMBLEMATICA IMAGO LIX.

THEOCLIÆ ET CALLIOPII CRVCIFIXI EXPLICATA.



ADERAT MARIA CHRISTO, aderat Mater Filio, & quidem iuxta crucem ſtabat, vt ſimul cum prole ſua paſſionem crucis ſubiret. Spectaculum non diſſimile in hac effigie exhibetur. S. CALLIOPIVS in Cilicia ſub Maximo Præfecto, poſt varios diuerſoſque cruciatus virgarum, neruorum, rotarum & ignium, inuerſo capite crucifixus eſt. Aderat eius mater, aderat tota pia & religioſa THEOCLIA, quæ & valdè obnixè rogauit, vt formâ inuerſâ chara proles cruci affigeretur. MARIA prolem ſuam rectam genuit, & rectam cælo reddidit. THEOCLIA ſuam ſobolem orientem fudit inuerſam, inuerſam cælo dedit, cælo remiſit. Conſonat dictis Sermone de Crucis laudibus D. Auguſtinus: *Tu ſemper rectus, tu ſemper excelſus; nos ſecundùm carnem filij hominis, qui principale ſuum demiſit in terram, cuius lapſus ſignificatur ſpecie generationis humanæ: ſic enim naſcimur, vt proni in terram videamur effundi.* Charæ prolis amiſſio, dura paren-

Metaph. Lipoman. Martyrol. Græci.

Sympathia Mariæ & Theocliæ Artificum tolerantiæ propter amissam prolem.

rentibus eſt. Crucem hanc ſacratiſſima Virgo tulit, ad cuius imitationem calamitatem eamdem ſuſtinuit deuota & pia THEOCLIA, cùm in ipſius præſentia, oculis & amplexibus amabilis proles in cælum præmiſſa eſt. Diſcant inde parentes pro CHRISTI obſequio ſuarum prolium pretioſam iacturam facere, patienter ferre, liberaliter offerre. Audiant, ſi placet, THEOCLIAM apud Metaphraſten loquentem cum filio ſuo CALLIOPIO. *Beata ego*, inquit, *& benedicte fructus ventris mei, quoniam vt Anna dicaui te ſacrum munus Domino* IESV CHRISTO; *vt Sara obtuli te Deo holocauſtum gratum & acceptum Domino ſacrificium.* Hæc THEOCLIA, & poſt hæc amplexata CALLIOPIVM, in eius amplexu ſpiritum ſuum Deo reddidit. Myſtica Theoclia erat Melania Marcelli Conſulis filia, quæ cùm, necdum humato marito, prolem ſuam amiſiſſet, dixit, vt refert Hieronymus in Epiſt.ad Paulam: *Magis expeditè tibi ſeruitura ſum, Domine, quia tanto me onere liberaſti.*

Crux THEOCLIÆ, Crux charæ prolis amiſſæ.

DImidium animæ charus amicus eſt, at vnica, grata & amabilis proles tota anima parentum eſt: cùm illa amittitur, ſuarum animarum cenſentur

tur & meritò iacturam feciſſe. Hinc dolor, hinc lacrymæ, quas in iunioris Tobiæ abſentia, longa & diuturna mora ſancti & chari parentes effuderunt. Quamuis vtrique parenti communis ſit iſte dolor, matri præſertim incumbit. Exemplo nobis ſit nobilis & antiqua matrona, quæ cùm precibus Eliſei prolem charam impetraſſet, ac tandem illa obiiſſet, domi ſe continere non potuit, quin Eliſeum adiret: *Cumque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & acceſſit Giezi, vt amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam; anima enim eius in amaritudine eſt.* Crux acerba & amara eſt præſertim matri, prolem vnicam amiſiſſe. Quapropter Dauid, cùm vim doloris concepti de morte Ionathæ vellet exprimere, dixit: *Doleo ſuper te frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam.* Res hæc difficilis eſt, maximas patientiæ vires requirit, quibus munita MARIA ſuam prolem obtulit Deo, quibus roborata THEOCLIA ſuam in ſuo CALLIOPIO reddidit animam. Reddidit quoque ſuam mater illa, quæ ſuo Melithoni dixit: *Fili, pauliſper ſuſtine; ecce CHRISTVS ad ianuam ſtat adiuuans te.* Et illa, quæ cùm Symphorianus ſuus traheretur pro CHRISTO ad necem, exclamauit: *Nate, nate, memento*

4.Reg.4, 27.

2.Reg.1, 26.

Excitatio laborantis.

mento æternæ vitæ, cælum suspice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.

Speculum THEOCLIÆ matris CALLIOPII, speculum infirmitatis & patientiæ.

CVm CHRISTVS patiens ageret in cruce infirmum, ad crucis & lecti pedes aderat MARIA Virgo, adest & THEOCLIA soboli, quæ iacentem & extremè laborantem verbis piis, salutaribus consiliis, & simul vberibus lacrymis teneræ compassionis prosequitur. Satis benè Iustinianus de Regim. Prælat. cap. 9. *Iis, qui corpore infirmantur nihil sic congruit, nihil sic animam eorum mulcet, quemadmodum si eorum verbis credulitas adhibeatur, illorumque infirmitatibus intelligant sibi compassionem exhiberi ex corde.* Corde compatitur THEOCLIA CALLIOPIO filio, qui in lecto crucis decumbens considerat matrem suam, & suæ conditionis memor, in speculo infirmitatis suæ se componit ad crucem patienter ferendam, cui addictus & adstrictus est. Quisquis æger est, *cor suum dabit in similitudinem picturæ.* Memor suæ originis, dum homo extremè laborat, excitet se ad portandam ægritudinem. Consideret se mulieris esse filium, natum quidem ex illa, non quidem vt diuturnam vitam agat, sed vt illam breuî absoluat.

Eccli. 38, 28.
Excitatio ægrotantis.

Nudus

Nudus naſcitur CALLIOPIVS, nudus moritur. Memor ſuæ natiuitatis, dum obit, prorumpit in illam vocem, in quam erumpat morti vicinus ægrotus. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* *Extrema verba morientis.* Iob 1,21.

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

VEre Mater miſericordiæ MARIA eſt, verè Theoclia, quæ miſericordiæ ſuæ ſpecimen exhibet erga ſingulos laborantes & ægrotantes. Hæc vnguento pietatis ſuæ vtitur, vt attritis multitudine ac grauitate morborum medeatur, & temperet dolores eorum, qui acerbè torquentur atque cruciantur. Aberat Mater miſericordiæ tunc temporis, cùm ploraret Ieremias, & doleret miſeram ſortem filiorum, quorum meminit cap. 2. Thren. *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Adeſt mater, quæ panem confirmantem cor humanum ſuppeditat & miniſtrat. *Comedite*, inquit, *panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Ergo ab illa poſtulandus panis eſt, & illa propterea inuocanda, *Salue Regina, Mater miſericordiæ*, quæ maternum implens officium, *Inuocatio Matris miſericordiæ.* *Viaticum.* Prou. 9,6.

cium, de cæleſti prouides pane, cuius fauore cor hominis laborantis & ægrotantis in labore & ægritudine ſua excitetur & confirmetur. Adeſt *Mater miſericordiæ* ægrotanti. Et quidem adfuit Sereniſſimo noſtro Alberto Belgij & Burgundiæ Principi: qui cùm eſſet valdè infirmus, in ſella geſtatoria portari ſe voluit ad templum Collegij noſtri, in quo expoſitum erat venerabile Sacramentum, & piam MARIAE imaginem, cui titulus eſt, *Mater miſericordiæ*, & cui valdè addictus erat, coluit, & adorauit. Regreſſus deinde ad Aulam non minùs animosè quàm religiosè, affixus lecto morbum, ſed non mortem eluſit. Filius Matris miſericordiæ Sereniſſimus Albertus obiit, obiit & eiuſdem Matris filia Regia, piiſſima Alberti vxor Iſabella Clara Eugenia, quæ pro vltima etiam ſtatione ad hoc noſtrum templum venit, & in eo ſacra patebat Euchariſtia, poſt cuius adorationem, & cultum eiuſdem imaginis *Matri miſericordiæ* dicatæ reuerſa in palatium, ſimilis ſuo Alberto in morbum incidit, & mulieris fortis inſtar in nouiſſimo die riſit. Prou. 31, 21.

Appareat ſpeculum ſplendidæ virginitatis & infirmitatis virgo FEBRONIA.



Vre, seca, vt pascas crudeli lumina visu:
60. *Vtq; ego cælesti perfruar, vre, seca.*

EMBLEMATICA IMAGO LX. S. FEBRONIÆ VIRG. CRVCIFIXÆ EXPLICATA.



IBAPOLI, quæ eſt ad fines Aſſyriorum, Diocletiano Imperatore virgo & martyr FEBRONIA Sileni Præſidis iuſſu tota nuda ſuper rogum, per brachia & pedes extenſa, virgis cæſa, ligno affixa, & ferreis pectinibus tota dilaniata triumphauit. Cùm ſomno æger opprimitur, ne vincatur, moleſti ſolent accedere excitatores, qui dum grauiter vexant & torquent, ſuis pœnis & tormentis iuuant ægrotum, ne ſomno capiatur, & ſuperetur. Ne morte caperetur aut vinceretur FEBRONIA, acceſſerunt varij carnifices ac tortores barbari, qui dum illam excarnificant, magis excitant, vt maiores vigilias agat, venientemque Sponſum excipiat. Sponſus virginis CHRISTVS in aracrucis torridus ſolemnem egit triumphum: canebat propterea Eccleſia:

Metaph. Lipoman. Galeſin. Martyrol.

Ad cœnam Agni prouidi,
Et ſtolis albis candidi,
Poſt tranſitum maris rubri,
CHRISTO *canamus principi.*

Cuius corpus ſanctiſſimum,
Jn arâ crucis torridum,
Cruore eius roſeo
Guſtando viuimus Deo.

Agnus in crucis ara torretur, torretur etiam agnella & virgo FEBRONIA. Diſcant hinc cruciferæ CHRISTI virgines amoris igne fulgere, & charitatis flamma accenſam lampadem portare. Diſcant, quod ad ipſas ſcribit Bernardus Epiſt. 42. *Quantalibet venuſtate ſui caſtitas eminere appareat, ſine charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, lampas non placet.* Placet virginitas Deo, quæ accenſam lampadem portat, & eius cuſtodiæ & conſeruationi ſtudet. Lampadem ſtudioſæ FEBRONIAE carnifices non extinguunt, ſed accendunt, flagellis, ſiue flabellis vtentes, dum flammis virginem tradunt, vt Reginam virginum referat, quæ iuxta crucem ſtabat, torquebatur, & ingenti amore flagrabat.

Sympathia Mariæ & Februoniæ Artificum ſplendida virginitatis.

Crux FEBRONIÆ, Crux ſtatus virginitatis.

INſignia virginitatis accenſæ lampades ſunt. Sancta & immaculata virginitas, lucida & ſplendida eſt, cui conuenit illud elogium: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Hæc ipſa inſignia præclara

Cant. 8, 6.

clara ſacrum Euangelium aſſignat prudentibus illis virginibus, quæ ab aliis inſipientibus diſcernuntur. Quapropter Ambroſius Serm.14. in Pſalm.118. prudenti virgini dicit: *Ideoque & tu habeto ſemper lucernam ardentem, vel lucentem facem: ſi enim neque lucerna neque lampas tua luceat, virgo ſtulta dicêris, nec introibis in thalamum tui ſuperioris, ſed remanebis in tenebris cæcitatis, quaſi qui oderis lucem, ne opera tua flagitioſa prodantur.* Tota in igne, tota in luce ſplendida FFBRONIAE virginitas eſt. Lampadem virginitatis in ſuo ſplendore tueri, res laborioſa eſt, & ſimilis martyrio FEBRONIAE, nec ſine magna patientia poteſt executioni mandari. Nouit ita eſſe Bernardus, qui Serm. de Aſſumptione concludit: *Qui ergo, protegente patientia, continenter viuunt, ipſi benè cum Apoſtolo proteſtantur, & dicunt: Quis nos ſeparabit à charitate* CHRISTI? *an tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Vide quàm ſolidus ſit continentium murus.*

Excitatio laborantis.

Rom.8, 35.

Speculum virginale FEBRONIÆ, ſpeculum infirmitatis & patientiæ.

CVm quis affigitur lecto, ardet febribus, acerbis doloribus pulſatur & verberatur; *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*, & in FEBRONIA quaſi

Eccli.38, 28.

certo & vero ſpeculo ſtatum ſuæ infirmitatis expreſſum patienter conſiderabit. Conſideret æger FEBRONIAM virginem ſibi adſtare, & ſpeculantem adhortari, quemadmodum Tract. Auguſtinus de Viſitat. infirm. Serm. 1. hortatus eſt: *Chare mi, ad modicum migraturus de mundo, tantam & tam ineffabilem benignitatem Dei tui ne ſpernas, flagellum eius libenter ſuſcipe. Flagellat in ſe quod neſcis, nec iniuſtè, iuſta enim ipſius iudicia.* Exprimit in ſe FEBRONIA, quod in mente & corde ægrotantis contendit imprimere. Qualis FEBRONIA, talis erat virgo Clara, quæ duos de triginta annos, vt Surius memorat, continenter diris morbis afflictata & flagellata eſt, nec tamen vnquam eſſe conqueſta traditur. Quin etiam in poſtrema infirmitate, quæ fuit tam moleſta & grauis, vt ſeptemdecim diebus ne buccellam quidem traiicere in ſtomachum potuerit, cùm eam Reginaldus Confeſſarius ſolaretur, & ad tolerantiam in diuturno morbi martyrio cohortaretur, reſpondit: *Ex quo Domini noſtri* IESV CHRISTI *gratiam per ſeruum eius Franciſcum cognoui, nulla mihi infirmitas dira viſa fuit, nulla pœna moleſta, nulla pœnitentia oneroſa.* Verè myſtica Febronia venerabilis Anna à IESV fuit, ſanctæ matris Tereſiæ digna proles, nota ſatis in Hiſpania, Gallia, & Belgio, morbis ita vexata, ita doloribus afflictata,

Excitatio ægrotantis.

Extrema verba morientis.

afflictata, vt crebrò diceret: *In securum Purgatorium vtinam me Deus deduceret!* Scripsit illa, & simul seipsam descripsit in Epistola ad Episcopum Cordubensem. *Nunc*, inquit, *extremos patior dolores, & miror posse me ita viuere. Nec stare, nec iacere licet, sed repo instar serpentis. Semper ardeo, & in media & rigida hieme tota comburor. Flagellata vndique sum, & vndique torqueor podraga, chiragra, hydrope, paralysi, quæ per totum pertinet corpus, nec linguæ parcit.* Hoc FEBRONIAE, hoc Annæ laborantis martyrium. Didicit ex iis, quæ passa est, Anna, *Aut mori, aut pati,* quemadmodum mater & virgo Teresia virginem quoque & venerabilem matrem Annam edocuit.

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

VIta humana similis FEBRONIAE est, dum acerbis morbis pulsatur, febribus vritur, & diris doloribus cruciatur. Hanc viuendi rationem apud Euam omnes mortales inuenimus. Apud MARIAM alia methodus viuendi est, quam quærimus, dum salutamus: *Salue Regina, Mater misericordiæ, vita.* Hæc quidem vita erat, quam pro Adalberto filio, glorioso posteà Martyre, cùm puer iam deploratus ex ardentibus febribus esset, parentes religiosi postularunt.

ſtularunt. Referente enim Surio menſe Aprili, vnanimiter orarunt: *Non nobis Domina, non nobis viuat puer iſte, ſed clericus in Dei matris honorem portet iugum tuum.* Conualuit puer, cui vita & anima ſemper Virgo MARIA fuit. Expendit hunc vitæ titulum in ſuis Meditationibus Bernardus æger & ſemper infirmus: *Nos miſeri tecum de cetero conſolemur, tecum amodò Domina habitemus, te mentis viſceribus amplectamur, quia tu es vita. Vita verò, quæ mortem ſuperbiæ humilis viciſti, & nobis vitam gratiæ impetraſti. O certè vita amabilis, vita deſiderabilis, vita delectabilis! O vita, quæ nutris* *Viaticum.* *tuos cæleſtibus alimentis!* Hæc alimenta Euchariſtica, hæc vitalia & immortalia ſunt pabula, quæ offert laboranti & ægrotanti Regina glorioſa, vt ſi viuere velit homo, qui acutis morbis tangitur & verberatur, ardet & vritur febribus, recurrat ad Euchari- Ioan. 6, 59. ſtiam, ex qua vitam æternam hauriat: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Appareat ſpeculum clauſæ virginitatis & infirmitatis BLANDINA.

EM-



Quid tibi cum toruo blanda est Blandina iuuenco?
61. *Fallor: blanditur cornibus innocuis.*

EMBLEMATICA IMAGO LXI.

S. BLANDINÆ VIRG. CRVCIFIXÆ EXPLICATA.

SANCTA BLANDINA virgo ſub Antonino in Galliis acerbos cruciatus pertulit: cumque pertrahi non poſſet ad vanum deorum cultum, poſt verbera & ignes retibus incluſa, & ligno crucis affixa, tauro obiicitur, qui ſacræ virgini appenſæ & irretitæ blanditur & ſimul ſubiicitur. Moris eſt apud laſciuos mundanos, laqueos ſtruere, vt dolis ac fraudibus incautas virgines capiant, ſed fruſtrà ante virgines oculatas, circumſpectas, & in ſublime eleuatas laſciua retia expanduntur. Non petitur à laſciuo tauro virginitas, quæ carnis omnes blanditias atque delicias repudiat. Habet itaque tendiculas ſuas mundus, quibus improuidas virgines irretiat, & irretitas venetur; habet & ſuas Deus, quibus virginitatem cuſtodiat & ſeruet. Cùm virgines Deus ad vitam ſolitariam, monaſticam & religioſam inuitat, ad crucem clauſuræ vocat, & ſimul ad retia, quibus intra domum vel etiam intra monaſterium continentur. Hæc enim retia omnium prima inuenit MARIA,

Euſeb. Anton. Niceph.

Sympathia Mariæ & Blandinæ Artificum clauſura virginalis.

cùm in ſacra Præſentatione Deo oblata intra Sacrarium Dei ſe condidit & concluſit. Hæc virginum Regina intra domum ſe concluſit, non in aditu, ſed in adytis & abditis domus Angelus eam inuenit, ſalutauit & honorauit. BLANDINA in cruce myſtica Maria eſt, quæ de cruce & cathedra virgines docet id, quod antè dixerat Cyprianus lib. de Singularitate Cleric. *Pudicitiæ retinaculis omnis obſcœnitas frænatur, & compedibus eius calces furenti libidini ſtatuuntur.*

Crux BLANDINÆ, Crux ſtatus virginitatis.

QValis eſſe myſtica Blandina debeat, ſcribit ad ſacras virgines Auguſtinus. *Dominica virgo nullis ſe virorum cuiuſlibet ætatis, ſiue grauiſſimarum mulierum præſentiæ, ſingulari habitaculo vel colloquio credat: & cùm ſola in tabernaculo conſiſtit, clauſis ſuper ſe ianuis ſedeat, nulliquè virorum pulſanti facilè ianuam ſuam pandat, ne fortè in ſuſpicionem turpiſſimam, aut in pudoris ſui naufragium cadat.* Caueat à tauro laſciuo, qui incluſam etiam & concluſam intra retia virginem adit & inuadit. Myſtica Blandina monialis eſt, cui competunt eius inſignia, crux & retia, crux illa quam patiebatur, retia quibus illa inſerebatur. Monialis crucem monaſticam patitur. Quid enim vita Religioſa eſt,

eſt, niſi laborioſa crux? Continetur intra retia, quibus illa à CHRISTO capitur, ſicut & capta eſt, cui libro Reuelat. Birgittæ 4. cap. 12. dicit B. MARIA: *Sicut paſtor cum faſciculo florum attrahit & allicit oues in domum, poſteà claudens diligenter domum, licet oues diſcurrant per ambitum, non tamen habebunt egreſſum, quia domus munita eſt parietibus, tectum altum, ianuæque clauſæ. Propter quod oues aſſueſcunt comedere fœnum de manu paſtoris: ſic etiam factum eſt tecum: illa enim quæ anteà videbantur impoſſibilia & difficilia, facta ſunt leuia, in tantùm, quòd te nihil iam delectat ſicut Deus.* Accedit & Baſilius libro de Vera virginit. *In cubili, ſi hoc ſabbatum celebres, integram te puriſſimamque cuſtodies; ſicque facilè, inquam, virginitatem, rem omnium pretioſiſſimam, ampliſſimumque patrimonium habitura es.* Accedit & Bernardus Serm. 47. in Cantica: *In horto virginitas, cui familiaris verecundia eſt, fugitans publici, latibulis gaudens, patiens diſciplinæ. Denique in horto flos clauditur, qui in campo exponitur, ſpargiturque in thalamo.*

Excitatio laborantis.

Speculum appenſum S. BLANDINÆ virginis, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

NOtanda S. Baſilij ſententia in Pſalm. 74. *Sicut animalia noxia, nos ærumnæ petere & inuadere*

contendunt noſtram patientiam exercentes. Et quidem morbus non abſimilis tauro eſt. Taurus quippe velox in curſu eſt, & morbus ita velociter currit, vt omnem anteuertat ſpem & opinionem benè valentis hominis, & præter ſpem & opinionem illum capiat & arripiat. Quòd ſi ferox taurus, dum inuadit, ſolet puluerem pedibus excitare, excitat etiam & morbus. Homo puluis & cinis eſt: quieſcit puluis, dum valet, dum morbus ingruit, puluis humanæ naturæ agitatur, & tunc temporis ſe cinerem homo facilè recognoſcit. Confirmat hoc ipſum Gregorius

Excitatio ægrotantis.

3. Parte Paſtoral. cap. 13. & ait: *Infirmitatis memoria reformatur, vt animus, qui extra ſe in elationem duceretur; cui ſit conditioni ſubditus, ex percuſſâ quam ſuſtinet carne memoretur.* Conditio quidem noſtra plena

Iob 14, 1.

miſeriis eſt. Vnde & Iobus ait: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.* Irretitus

Eccli. 38, 28.

ergo miſeriis, & impetitus à morbis, *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ,* in qua ſeipſum inſpiciat, & virtute patientiæ ſuæ morbum immitem & ferum, mitem & ſuauem reddat, ſicut BLANDINA manſuetum taurum reddidit. Huic virgini glorioſæ S. Clarus Abbas addictus erat, & compoſitus ad hoc ſpeculum patienter tulit lethalem infirmitatem, in qua immenſum exercitum candidi & niuei coloris ſuper cellam,

cellam, vbi iacebat, deſcendere contemplatus eſt. Quod cùm Clarus irreuerberatis oculis læto vultu inſpiceret, virgo beatiſſima BLANDINA conſolari eum cœpit, & vt tantum exercitum ſequeretur, exhortabatur, quem non multò pòſt ſecutus eſt. *Sequor, ſequor*, inquit. *Extrema verba morientis.*

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

CVm quis affigitur lecto, totus morbis intricatus, nec poteſt malis, quibus impetitur, extricari & expediri, habet cauſam vt amaro animo ſit; quem vt reddat dulcem ac ſuauem, recurrat ad eam, quæ non modò dulcis ac ſuauis eſt, ſed etiam ipſa ſuauitas ac dulcedo: conueniat illam, ac dicat: *Salue Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo.* Verè dulcedo eſt, de qua Maximus Homil. de Ramis palmarum: *Ipſam* MARIAM *manna dixerim, quia eſt ſubtilis, ſplendida, ſuauis, & virgo, quæ velut cælitus veniens, cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit*; ſecundùm Dauidicum teſtimonium, *Non erat in tribubus eorum infirmus*, quibus cæleſte manna concedebatur; & vbi MARIA eſt, *ſalus infirmorum* eſt. Verſat hoc ipſum verbum in ſuis Meditationibus Bernardus æger: *Verè dulcedo, quæ amaritudinem peccati* Pſal. 104, 37.

peccati expellis, impetrando gratiam quæ nobis gratiæ dul-
Viaticum. *corem acquirit.* Hæc dulcedo in fonte ſuo guſtatur, cùm percipitur Euchariſtia, ad cuius epulum in ſtatu laboris & morbi nos inuitat Dauid. *Guſtate*, inquit, *& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Hunc fontem ſuauitatis ac dulcedinis ægris MARIA parat. Quòd ſi laborantes illapſu fontium delectantur & recreantur, habent in Euchariſtia placida ac blanda fluenta gratiarum, quibus mulceantur & exhilarentur.

Pſal. 33, 9.

Appareat ſpeculum periclitantis virginitatis & infirmitatis EVLALIA.

EM-



Christi ſponſa vocor: tortorum pronuba turba
62. *Curua age virgineas cuſpide perde comas.*

EMBLEMATICA IMAGO LXII.

S. EVLALIÆ VIRG. CRVCIFIXÆ EXPLICATA.



HARA CHRISTI ſponſa EVLALIA, quæ Barcinone in Hiſpania, Diocletiano Imperatore, tredecim annos nata, forti conſtantique animo fidem virginitatis ſuæ ſartam tectamque conſeruauit, extenſa in equuleo, nodoſis fuſtibus cæſa, candenti oleo perfuſa, vngulis ferreis laniata, calcis aceruo viua obruta, ac tandem de mandato Daciani in ſuſpendium crucis acta, martyrium ſuum conſummauit. Tunc, quemadmodum canit Prudentius in ſuo Hymno, Martyrol. Eulog. in memoria Sanctorum.

Emicat inde columba repens
Martyris os niue candidior
Viſa relinquere, & aſtra ſequi,
Spiritus hic erat EVLALIAE
Lacteolus, celer, innocuus.

Inter elementa ignis, inter metalla fortiſſimum ferrum eſt. EVLALIA verò nec igni nec ferro cedit, vtrumque cedit EVLALIAE, quæ poſt partam de ferro & igne victoriam, in palma crucis triumphauit. Victi ſuccumbunt ferro, & ferro victoriam de-

bent qui ſunt ſuperiores in bello: EVLALIAE verò victoria, cùm ita ſuprema ſit, vires excedit humanas, & Deo tribuenda eſt. Donum Dei virginitas triumphatrix eſt. Crede Sapienti: *Sciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & idcircò adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Hæc eſt diuina Sapientia, quæ virginitatem donauit MARIAE, in cuius vterum & ipſa delapſa eſt: *Sicut pluuia in vellus deſcendiſti, vt ſaluum faceres genus humanum.* Habet cum laneo vellere virginitas conſonantiam. Lana gelu & æſtu vritur, fuſtigatur, oleo perfunditur, pectitur, texitur, ſuſpenditur, vt excolatur. Sic culta, ſic exculta glorioſæ EVLALIAE virginitas eſt.

Sap. 8, 21.

Sympathia Mariæ & Eulaliæ. Artificum cultura virginalis.

Crux EVLALIÆ, Crux ſtatus virginitatis.

FOrtis mulier, quam Salomon deſcribit & quærit cap. vlt. Prouerb. *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Guſtauit & vidit, quia bona eſt negotiatio eius.* Negotiatur in lanæ puræ cultura, quæ in candida virginitate deſudat, & circa eius cultum ita ſe gerit, quaſi lanam colat, & pectendo atque nendo circa illam laboret.

Bona

Bona hæc negotiatio eſt, quæ fortis mulieris requirit & exigit omnes vires, vt carnis cupiditatem exſtinguat. Succurrit Cyprianus de Honore pudicit. *Nulla maior eſt victoria, quàm ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hoſtem vicit fortior fuit, ſed altero: qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit. Qui inimicum proſtrauit, externum hoſtem percuſſit: qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperauit. Malum omne faciliùs vincitur quàm voluptas, quia illud quidquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt.* Magna victoria quæ Martyris triumpho non cedit, cùm & ipſa virginitas glorioſum martyrium ſit, teſtante hoc ipſum Ambroſio lib. 1. de Virginit. *Non ideò laudabilis virginitas, quia & in Martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres faciat.* Hæc virginitas dabat animos immaculato Dominico, de quo Theodoricus de Apoldia. Cùm iter faceret, ſciretque ſibi poſitas ab hæreticis inſidias, cantans & alacer occurrit hoſtibus. *An non,* inquiunt, *martyrium pertimeſcis? Quid faceres, ſi nos te ad mortem abripiamus?* Quibus ille, *Rogarem,* inquit, *ne mortem mihi celerem afferretis, ſed paulatim ſingula membra præſcinderetis.* Cupiebat ſimilis eſſe EVLALIAE, qui lilia pro inſignibus habet.

Excitatio laborantis.

Speculum appenſum virginis EVLALIÆ, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

CVm infirmus doloribus angitur, cùm diſcerpitur & quaſi vnguibus dilaniatur, è crucis tripode ſecum loqui crucifixam EVLALIAM putet: CHRISTI ſponſa vocor, meus ſponſus vir dolorum eſt, & per cruciatus ad eius nuptias acceſſus datur. Si mecum velis admitti, neceſſe eſt vt in ſpeculo mei martyrij te inſpicias, & mecum lecto tui doloris affixus, flammas febrium & dolorum acerbitatem patienter ſubeas & ſuperes. Benè monet EVLALIA: Sic itur ad aſtra, ſic ad nuptias Agni aditus patet, & datur. Ad hoc ſpeculum EVLALIAE inſpexit ſe & compoſuit ſe Leocadia martyr & virgo, quam Dacianus poſt glorioſum EVLALIAE martyrium veniens Toletum, in carcerem tetrum detruſit. Cùm Leocadia in carcere detineretur, reuoluit animo equuleos, fuſtes, vngulas, flammas, & ignes, & tandem crucis ſuſpendium quod EVLALIA paſſa fuerat, & in hac ſpeculatione fuit compaſſione ita tacta, vt formata cruce in lapide, & ſimul adorata, inſtar EVLALIAE animam exhalarit. Non fudit Leocadia ſanguinem, & tamen martyr euaſit, quoniam

Excitatio ægrotantis.

niam ſe totam ad exemplum & ſpeculum EVLALIAE martyris adaptauit & compoſuit. Nec dubitandum eſt, infirmum hominem poſſe per tolerantiam dolorum & morborum coronam martyrij ſibi comparare. Teſtatur hoc ipſum Chryſoſtomus Homil.3. in Epiſt. ad Theſſalonic. *Quid enim, dic quæſo, cùm ardens febris, nempe cauſon, te intus vexat & vrit, & aliorum ſuadentium excutis incantationem, an non es redimitus coronâ martyrij?* Qualis EVLALIA, talis & Leocadia, talis & anima quæ in lecto detinetur, febribus ardet, & doloribus diſrumpitur. Diſrumpebatur Fulgentius Ruſpenſis, & ſolùm petebat: *Domine, da mihi hîc patientiam, & poſteà indulgentiam.* *Extrema verba morientis.*

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

SCinditur aratro terra, & inde ſpes incipit affulgere futuri fetus ac prouentus. Caro noſtra terra eſt, & quidem illa ſilueſtris tunc colitur, cùm morbis acutiſſimis ſcinditur & ſecatur. Ne cultus & cultura terræ noſtræ infructuoſa ſit, accedat etiam firma & certa ſpes, quam ſecum affert & importat illa, quæ Mater ſanctæ ſpei eſt, & quam ſalutare in hæc verba mos in Eccleſia eſt: *Salue Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue.* Spes

ſumma noſtra eſt, de qua Anſelmus libro de Excellentia virginis cap.6. inquit: *Velocior eſt nonnumquam ſalus inuocato nomine* MARIAE, *quàm inuocato nomine* IESV *vnici Filij Dei, & id quidem non ideò fit, quòd ipſa maior ſit & potentior (nec enim ipſe magnus & potens per eam, ſed illa per ipſum,* &c.) *ſed quia Filius eſt iudex omnium, & diſcernit merita ſingulorum. Inuocato autem nomine Matris, & ſi merita inuocantis non mereantur vt exaudiatur, merita tamen Matris merentur vt exaudiatur.* Hæc *ſpes omnium finium terræ, & in mari longè* ſecundùm Deum eſt. Hanc firmam & ſtabilem ſpem ſalutat Bernardus & ipſe infirmus in Meditationibus ſuis, & concludit: *Ex quo eſt cor meum tuo dulcore ſic inebriatum, guberna illud cum tuo, & in ſanguine Agni conſerua, & in latere Filij tui colloca.* Cor Marianum gladius pertranſiit, & CHRISTI latus mucrone diro lanceæ perforatum eſt, & vtrique ſimilis EVLALIA, & EVLALIAE conformis euadit virtute Euchariſtiæ caro, quæ acutis morbis ac doloribus afflictatur & exercetur, cùm Euchariſtia memoria viua ſit eius, qui clauis, ſpinis & lancea ſciſſus in cruce eſt.

Pſal.64,6. *Viaticum.*

Appareat ſpeculum Angelicæ virginitatis & infirmitatis IVLIA.

EM-



Clœlia ceſset eques animos iactare viriles:
63. *Iulia ſi certet, illa pedeſtris erit.*

EMBLEMATICA IMAGO LXIII.

S. IVLIÆ VIRGINIS CRVCIFIXÆ EXPLICATA.

CVM Vandali Carthaginem per tyrannidem occupaſſent, IVLIA virgo ad Corſicam inſulam deducta eſt. Nautas cum IVLIA venientes Felix tribunus negare CHRISTVM coëgit; coëgit & IVLIAM, quæ tamen fida ac fidelis perſtitit: quam ob cauſam alapis cæditur, crinibus laniatur, vulneribus afficitur, & tandem cruci affigitur. Nautæ circa fidem naufragauerunt: at IVLIA nullum paſſa eſt fidei naufragium; nauem ſuam in tuto poſuit, & portum cepit. Fortis mulieris typus nauis eſt. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum.* Nemo eſt qui neſciat & infitias eat, in laboribus & periculis nauem ſemper verſari. Nauis ortum ſuum à terra habet, ſi materiam eius conſideres: in aliud elementum tranſlata, fit peregrina in mari, & in mari ſemper verſatur, ſemper peregrinatur, vndis quatitur, fluctibus quaſſatur, ventis agitatur, tempeſtatibus obruitur, impingit in Syrtes, ſcopulis inhæret, naufragium etiam in portu ſæpè patitur. Fortis mulier IVLIA, cu-

Martyrol. Vſuard. Petrus Natalis.

Prou. 31, 14.

ius typus nauis eſt, quam ſecum in imagine præfert, & oſtendit multis periculis expoſitam virginitatem virtute ſanctæ Crucis immunem fuiſſe, & euaſiſſe.

Sympathia Mariæ & Iuliæ Artificum illæſæ virginitatis.

Regina cunctarum Virginum MARIA eſt, quæ, dum CHRISTVS pateretur, iuxta crucem ipſa ſtetit, vt ſanctam virginitatem ſub vmbra crucis cuſtodiret, ac cuſtodiendam oſtenderet. Illa, illa *facta eſt, quaſi nauis inſtitoris*, ad cuius exemplum nauem ſuam IVLIA compoſuit atque portauit, maiori quidem miraculo, quàm eſt illud apud D. Auguſtinum lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 16. *Nauim, qua ſimulacrum Martis vehebatur, multis hominum boumq́ue conatibus immobilem redditam, vna muliercula zonâ alligatam ad ſuæ pudicitiæ teſtimonium mouit & traxit.*

Prou. 31, 14.

Crux IVLIÆ virginis, Crux ſtatus virginitatis.

QVamuis antiqua Suſanna viro ſuo coniuncta foret, ita ſe ſanctè & caſtè geſſit, vt eius nomen virginitatem ſonaret. Lilium ſonat glorioſus titulus & appellatio Suſannæ, & lilium typus virgi-

Cant. 2, 2. nitatis eſt, ac proinde ſcriptum legimus: *Sicut lilium*

Cant. 2, 1. *inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* & rurſus: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Quanti laboris ſit, virginitatis nomen periclitari, vel ipſa Suſanna teſtis eſt,

quæ

quæ cùm à laſciuis ſenibus vim & violentiam in pomario pateretur, ingemuit & exclamauit : *Anguſtiæ ſunt mihi vndique.* Dan.13,1. Et quidem, cùm vetus ac ſenex homo ſingulis virginibus adſit, ad lapſum vrgeat, & ad ruinam impellat, ſemper IVLIA, ſemper Suſanna, ſemper lilium virginitatis vim patitur, ac ſemper neceſſe eſt clamare & orare : *Domine vim patior, reſponde pro me.* Quapropter in illo libro quem ad ſacras Virgines dedit Auguſtinus ſcribit : *Dominica virgo, ob extinguendas libidines, vel omnes laſciuiæ flammas, ieiuniis & abſtinentiæ debet operam dare, orationibus diu noctuque inſiſtere, ſi cupit & laqueos diaboli inſidiantis euadere, & ad promiſſa virginitatis præmia peruenire.*

Excitatio laborantis.

Iſai.38,14.

Speculum appenſum virginis IVLIÆ, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

NE deſpondeat æger animum, proponat ſibi virginem IVLIAM è cruce ſua loquentem: Bono animo eſto æger, per exilium ad patriam, per maria ego ad portum veni, & tu ſimiliter venies. Pœna exilij infirmitas eſt, quam meditatio & contemplatio patriæ cæleſtis leuem & facilem reddit. Maris æſtus morbus eſt, certa portus expectatio excitat nauigantem, animat laborantem. Poſt mole-

ſtam nauigationem gratior portus eſt, & poſt laborioſum exilium iucundior redditur patria. Benè Gregorius 3. Parte Paſtor. cap. 13. *Dicendum eſt ægris, vt ſi cæleſtem patriam ſuam eſſe credunt, neceſſariò in hac labores velut in aliena patiantur.* Morbos quidem ac labores in patria aliena patiebatur S. Catharina Senenſis, mortique iam vicina, ſicut eius Hiſtoria narrat, cùm videret Fratres de ſuâ infirmitate morteque nimis triſtes ac ſollicitos, inſtar alterius IVLIAE erupit in illam vocem: *Non debetis, filij chariſſimi, de meo tranſitu contriſtari, imò potiùs congaudere mecum: ſed congratulamini mihi, quia dimitto locum pœnarum, & vado ad requieſcendum in mari pacifico Deo æterno.* Mare pacificum Deitatis, & Trinitatis myſterium, quod erat in deſiderio venerabili Annæ de S. Bartholomæo, & in eo requieuit ipſo die ſanctiſſimæ Trinitatis, cui addictiſſima erat. Eo die feliciter nuper obiit chara matris Tereſiæ filia, quæ & claret miraculis. Claret ſancta parens vna & altera prole, vna & altera Anna, Anna de IESV, & Anna de S. Bartholomæo, non ſecùs atque olim Eſther *aſſumpſit duas famulas, & ſuper vnam quidem innitebatur, quaſi præ deliciis & nimia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens; altera autem famularum ſequebatur dominam, defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans.* In vlnis & brachiis Annæ de S. Bar-

Excitatio ægrotantis.

Extrema verba morientis.

Eſther 15, 5.

S. Bartholomæo, nimia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens S. Tereſia, obiit, ſequebatur Matrem mater Anna de IESV, ſacrum Ordinem glorioſè in terris ſuſtentans. Glorioſa trias, Tereſia, & vtraque Anna quieſcens in pelago diuiniſſimæ Trinitatis. Non itur ad illud mare pacificum, niſi per ſæuum pelagus, quod IVLIA virgo tranſiuit. Sæuum laborum & ſimul morborum pelagus tranare priùs debemus, vt ad illud tranquillum & ſerenum Diuinitatis mare perueniamus. CHRISTVS ipſe de ſe dicit: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Pſal.68,3. Emerſit tamen cruce ſua, rate vectus & inuectus in ſecuriſſimum portum, & ſimul in mare pacificum, vbi nullus eſt morbi æſtus, nullus afflictionis fluctus, nulla mortis tempeſtas, nullum ſubmerſionis periculum.

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

NAuigamus omnes dum viuimus; & dum ægrotamus, in ſcopulos maris incidimus, & quidem redacti in tantum vitæ diſcrimen nauigantium more, clamemus, & MARIAE opem pariter imploremus, dicamuſque: *Ad te clamamus exules filij Euæ.* Adiungit ſe Bernardus morbo afflictus clamantibus,

tibus, & in has voces prorumpit: *Clamamus ad te, quæ leuas nos à fæcibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, lactas paruulos esurientes. Clamamus. Quare non clamaremus, Domina? qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis vndique circumdamur. Clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi.* Resonat in terra echo, & missos ad se clamores remittit & reiicit: in mari echo non est, & susceptas in se voces admittit, nec remittit. Cùm in morbis & laboribus repellit mundus clamores, recurramus ad MARIAM, vbi repulsa non est, vocem edamus in mari, & cum Ecclesia dicamus: *Ad te clamamus*. Hæc vox laborantium & ægrotantium, hic clamor incidentium in scopulos est, vt tantis exempti periculis, humanæ vitæ nauigationem iam cœptam prosequantur, & in tuto ac securo portu nauem suam collocent & constituant: nauem, inquam, suam de terra in cælum
Viaticum. panem cælestem portantem, quem extremè laborantes ægrotantesque acceperunt, nauigarunt, atque cælestem portum tenuerunt.

Appareat speculum excultæ virginitatis & infirmitatis BENEDICTA.

EM-



Este procul thalami; procul hinc absiste Dione:
64. *Crux mihi Amyclæo charior illa toro.*

EMBLEMATICA IMAGO LXIV.
S. BENEDICTÆ VIRG. CRVCIFIXÆ EXPLICATA.

SANCTA BENEDICTA virgo in agro Sessonico virginitatem suam illustri crucis martyrio decorauit. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam nota est apud Deum & homines.* Hæc species & pulchritudo in BENEDICTA virgine splendet, quæ tota pura & munda in ara crucis comparet. Nota virgo Deo, nota hominibus, quam non obscurat nec obumbrat labes vlla, nec vlla labis suspicio. Symbolum virginitatis lilium est, quod in se candorem habet, & odorem suauem emittit. Consonantiam habet cum lilio, quæ candida in cruce apparet, & simul BENEDICTA est, quæ benè apud omnes audit, de qua dicunt benè omnes, benè loquuntur. Quanti pendenda sit bona virginitatis opinio, vel ex hoc intelligi potest, quod ait Ambrosius lib. de Instit. virg. cap. 6. *Maluit Dominus omnes de sua generatione, quàm de matris pudore dubitare.* Verè Iuditha Maria, de qua scriptum esse legimus: *Erat autem eleganti aspectu nimis. Et erat*

Martyrol. Maurolin. Abbat. Mossan.

Sympathia Mariæ & Benedictæ

Artificum laudabilis virginitatis.

Iudith 8,7.

hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. Non solùm hoc, sed & illam omnes pariter benedicebant, cui nomine omnium dixerat olim Ozias:

Iudith 13, 23. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creauit cælum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.*

Crux BENEDICTÆ virginis, Crux status virginitatis.

Eccli. 41, 15. PRæscribitur viro nobili, vt curam habeat de bono nomine. Quid nobilius, quid splendidius virtute virginitatis, quæ soror est Angelorum, & homines in classem cælestium spirituum transfert. Satis rectè Nazianzenus in laudem Basilij dicit: *Eximia res est virginitas & cælibatus, atque in Angelorum naturæ singularis ordine debet censeri.* Accedit & Cassianus lib. 6. Institut. Monastic. *Nulla virtute tam propè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conuersationis æquantur, quàm merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent, secundùm Apostolum, municipatum in cælis, quem deposita corruptela carnali habituros Sanctos promittitur in futurum, hîc*

Excitatio laborantis.

iam

iam in carne fragili poſſidentes. Quid nobilius, quid illuſtrius virginum & Angelorum Reginâ? Hæc tanti nomen ſuum fecit, vt in gratiarum actionem pro illo modulata in montanis ſit: *Magnificat anima mea* Luc. 1, 47. *Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Ditauit MARIAM Deus virginitate, ditauit donis, donauit nomine. Nomen virginis donum Dei eſt, & idcircò adſcribitur Deo & diuino eius nomini: inquit enim, *& ſanctum nomen eius.* CHRISTVS in cruce patiens ſibi nomen acquiſiuit, acquiſiuit & MARIA. *Cùm* Cant. 1, 12. *eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Cùm Rex in lecto crucis accumberet, nardus Mariana ſimul bonæ famæ iucundum miſit odorem. Quæ ergo Mariana es, *curam habe de bono nomine.* Eccli. 41, 15. Vbi cura, crux ibi appareat neceſſe eſt: & quidem ſine cruce virginitas tuta non eſt, cruce inſignita virgo ſecura, & ſimul illa ore omnium BENEDICTA proclamatur, & applauſibus excipitur.

Speculum appenſum virginis BENEDICTÆ, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

VOcatur ad ſpeculum æger, & monetur vt in ſpeculo appenſo formam humanæ nuditatis inſpiciat, & dicat: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* (Iob 1,21.) Reuertitur in terram illam, quæ ſpinas & tribulos generat. Et quidem terra noſtra mortalis, cùm primæ ſubiaceat maledictioni, ſpinas & tribulos gignit, infirmitates ſcilicet & morbos, qui hominem ægrotantem pungunt. vnde & infirmus Dauid: *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* (Pſal. 31,4.) Nouit patientiæ virtus in flores tribulos, in roſas conuertere ſpinas. Conuertit & illa, quæ cùm eſſet languida & patiens, aſſiſtentibus ſibi dixit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* (Cant. 2,5.) Languebat in cruce CHRISTVS, & ita languebat, vt ſpinis & tribulis pungeretur ſimul & coronaretur, nihilominùs eius humanitas ait, *Lectulus noſter floridus.* (Cant. 1,16.) Hic lectus, hic thorus BENEDICTAE ſponſæ eſt, & eius animæ, quæ cum CHRISTO laborat & infirmatur, & virtute ſuæ patientiæ ardentes febres quaſi roſas & flores cenſet, (*Excitatio ægrotantis.*) memor ſancti martyris Tiburtij, qui pauimentum canden-

candentibus ſtratum carbonibus nudis pedibus calcauit, & cùm ſe ſigno ſanctæ Crucis muniuiſſet, per prunas nudis greſſibus inceſſit. Dum incederet, conuerſus ad Tyrannum ait: *Diſce ex hoc ſolùm eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt: prunæ enim mihi flores videntur.* Magnum aſſiſtentis diuinitatis argumentum eſt, cùm prunæ vertuntur in flores, & febres ardentes rubeas commutantur in roſas, quas fert omni tempore, etiam brumali, patientia.

Extrema verba morientis.

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

HÆc laborantis & ægrotantis conſolatio eſt, vt prorumpat in alta aliquando ſuſpiria, interdum ſub onere, quam patitur, infirmitatis, diræ ac duræ mortis furto ſpoliandus, latrocinioque denudandus gemat, vel etiam fleat. Prouidit autem Deus laborantibus & ægrotantibus de glorioſa cæli Regina, quæ ſuſpiria, gemitus & fletus miſerorum excipiat. vnde & miſeri dicunt: *Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle.* Benè in ſuis Meditationibus Bernardus æger: *Suſpiramus de tam bonæ Matris abſentia, venire ad te Domina cupientes. Suſpiramus ad te, videre Filium tuum affectantes.* Rogat: *Quis ergo ad te, Domina, non ſuſpirabit? Amore ſuſpiramus*

ramus etiam, & dolore. Vndique nos angustiæ premunt. Vbi MARIA abest, adest gemitus. *Vbi non est mulier, ingemiscit egens & æger*, teste cap. 30. Ecclesiastico. Cùm autem dixerit ipse cap. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt*, conueniet sacra columba MARIAE, si gemat in morbo & labore columba, & flens & gemens adiungat se Ecclesiæ, & dicat: *Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle.* Hæc vox afflictorum, qui solatium suspirantes, gementes & flentes quærunt apud eam; quæ primam expulit maledictionem, & eius loco benedictionem salutarem attulit, & contulit benedictum illum panem, ex quo vita nostra æterna pendet.

Viaticum.

Appareat speculum virilis virginitatis & infirmitatis WILGEPHORTIS.

E M.



Purpureum quæ barba decus violauerat oris,
65. *Hęc tibi non fracti pectoris omen erat.*

EMBLEMATICA IMAGO LXV.

S. VVILGEPHORTIS VIRGINIS CRVCIFIXÆ EXPLICATA.



ANCTA WILGEPHORTIS virgo, Regis Portugalliæ filia, pro defensione Fidei & pudicitiæ decertans, à CHRISTO crucifixo & simul deformato postulauit, vt seipsam deformaret, ne ad humanas nuptias expeteretur. Pro voto ac desiderio suo res accidit: tota barbata comparuit, & in CHRISTVM deformatum totam seipsam transtulit & transformauit. Filia Regis erat, quæ cultum non quærebat externum. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Quid simile refert Gregorius lib. 4. Dialogor. cap. 13. Gothorum namque temporibus *Galla huius vrbis nobilissima puella, Symmachi Consulis ac Patritij filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in vnius anni spatio est eius morte viduata. Quam dum, feruente mundi copia, ad iterandum thalamum & opes & ætas vocaret, elegit magis spiritalibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad gaudia æterna peruenitur, quàm carnalibus nuptiis subiici, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu*

Molan. ad Vsuard. Martyrol.

Psal. 44, 14.

tendunt. Huic autem cùm valdè ignea conſperſio corporis ineſſet, cœperunt Medici dicere, quia niſi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbas eſſet habitura, quod ita quoque factum eſt. Concludit Gregorius : *Sancta mulier nihil exteriùs deformitatis timuit, quæ interiùs ſponſi cæleſtis ſpeciem amauit ; nec verita eſt, ſi hoc in illa fœdaretur, quod à cæleſti ſponſo in ea non amaretur.* Non eſt viduitas, & multò minùs non eſt virginitas vera, quæ externam ſpeciem, quæ externum curat ornatum. Rationem reddit Cyprianus lib. de Bono pudicit. *Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat Domino, coniungit* CHRISTO, *beata ipſa, & beatos efficiens apud quos habitare dignatur, quam numquam accuſare poſſunt, nec qui eam habuit, nec qui eam non habuit, venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum illam multò magis mirantur, quàm illam expugnare non poſſunt.* Et quidem mirabile eſt, quòd cùm B. MARIA adeſſet CHRISTI paſſioni, & ſumma hoſtilitas foret in eius crucifixum Filium, inter hoſtiles incurſus iuxta crucem firmiter viriliterque conſiſteret, hoſtibus ipſis venerabilis & admirabilis. Qui WILGEPHORTEM videt, corde & animo viraginem MARIAM videt : imò & CHRISTVM ipſum, qui in vtraque erat, in vtraque latebat. Non ſolùm Chriſtiano Paulo licet dicere de ſe, *Viuo ego, iam*

Sympathia Mariæ & VVilgephortis Artificum virilis virginitatis.

Gal. 2, 20.

iam non ego, viuit in me CHRISTVS. Sanctorum ac Sanctarum singulis affirmare fas est; *Viuit in me* CHRISTVS. CHRISTVS igitur, quem in animæ suæ sacrario WILGEPHORTIS occultauerat, foras in cruce per amorem virginitatis emisit, & simul ostendit, virginitatem esse debere virilem. Huc pertinet quod ait Bernardus de Modo benè viuendi, Serm.9. *Animus in corporis gestu apparet: gestus corporis signum est mentis: gestu corporis animus proditur.*

Crux VVILGEPHORTIS virginis, Crux status virginitatis.

FEminæ cultrices curiosæ sunt vanæ suæ pulchritudinis: quam si natura negauerit, vel donatam iam abstulerit, extremum esse laborem arbitrantur. *Mulierem fortem quis inueniet*, quæ tam forti animo sit, vt formam pulchritudinis suæ parui faciat & contemnat? Fortis virgo non est, cui propria species placuerit: nec refert illa in se sponsum virginitatis, qui cùm speciosus forma præ filiis hominum esset, seipsum in passione sua deformauit. Hæc mulier vana est, & quidem de illarum numero, quæ curantes speciem suam, non attendunt crucifixum, sicut lib.6.Reuelat. S.Birgittæ cap.52. Virgo Dei Mater aduertit. *Verè tales mulieres*, inquit, *non considerant*

Prou.3, 10.

 fa-

faciem eius, quando ſtetit viuus & mortuus in cruce ſanguineus & pallidus de pœnis, nec curant de opprobriis, quæ ipſe audiuit, nec de morte contemptibili quam elegit.

Excitatio laborantis. Fortis virgo quæ vſurpat verba Auguſtini lib.4. Confeſſ. cap.34. *Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam; teneat eam Deus qui fecit hæc bona, ſed ipſe eſt bonum meum, non hæc.* Fortis virginitas, quæ totas viriles Agnetem & Agatham reddidit, quarum Eccleſiaſticum Officium quaſi de viro Martyre legitur &

Pſal.1,1. cantatur. *Beatus vir, qui non abiit in conſilium impiorum.* Diſplicuit vtraque mundo, placuit Deo, qui pudicitiam diligit, ſed talem, qualem de Singularitate Clericor. Cyprianus deſcribit: *Pudicitia ſemper ornatur ſolo pudore; benè tunc conſcia de pulchritudine, ſi improbis diſplicet.*

Speculum appenſum virginis VVILGEPHORTIS, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

CÆleſtes nos eſſe cupit & optat Paulus Apoſtolus, qui cùm eſſet ipſe cæleſtis, accepit iſtud

2.Cor.12, 9. oraculum, *Virtus in infirmitate perficitur.* Et quidem ritu cæleſti, quando laborat & ægrotat homo, cum

2.Cor.12, 10. eodem Apoſtolo dicit: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.*

Oſtendat

Oſtendat ſe virum æger, & in carne ſua infirma animos viriles gerat. Fateatur ipſe de ſe, quod de ſe faſſus eſt CHRISTVS: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Caro infirma ſpiritum non debilitabat, robuſtus potiùs ſpiritus carnem debilem excitabat. Hoc ipſum accidere ſolet ægro, cui verè dicere licet: *Viuo ego, iam non ego, viuit in me* CHRISTVS. Rectè Ambroſius in Pſalm.37. *Noli ergo timere carnis infirmitatem, quia ſanctus, cùm infirmatur, potentior eſt.* Potentior ſanè, robuſtior & virilior in lecto crucis WILGEPHORTIS viſa eſt, & quiſquis eam imitari lecto affixus cupit, *cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.* Dabat & aptabat cor ſuum in ſimilitudinem præſentis imaginis ſancta virgo Eliſabetha, quæ inter morbos & dolores acutiſſimos tota virago, Wilgephortis myſtica apparuit, ſicut eius hiſtoria tradit. Hæc virgo & ſimul virago ſorores è lectulo doloris ſic affata eſt: *Nolite mirari, chariſſimæ, ſuper infirmitatibus meis, ſicut homines imperiti; neque diffidatis gratiæ Dei in me, propter caſtigationes eius quas ſuſtineo, & ſæpè ſuſtinui in medio veſtri. Conſcientia mea bona eſt apud Dominum, & certiſſimè agnoſco, quòd per ea quæ patior, præparat & ornat coronam meam Dominus in regno ſuo.* Hanc coronam in cruce & per crucem WILGEPHORTIS ſibi promeruit, & eamdem affixa lecto

Excitatio agrotantis.

Matth.26, 41.

Gal.2,20.

Eccli.38, 28.

Extrema verba morientis.

lecto virilis Elisabetha in doloribus & morbis merebatur.

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

VIs in oculis Reginæ gloriosæ est, ad quos recurrit & recurrere docet Ecclesia ægros, cùm ait: *Eia aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Recurrit Bernardus æger, & in Meditationibus inquit: *Cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam?* Præfert in vultu & oculis gloriosa Regina, quanta virgo & quanta virago sit, & habet hanc vim, vt animas in carne infirma degentes, robustas ac viriles efficiat, reddatque per omnia similes WILGEPHORTI, quæ
2.Cor.12, 9. dum in cruce laborat, vsurpat vocem Apostoli, *Cùm infirmor, tunc potens sum;* & addit, *Virtus in infirmi-*
Viaticum. *tate perficitur.* Hæc virtus Eucharistiæ, & simul MARIAE est, vt cor humanum confirmet, & pectus infirmum reddat omnino virile.

Appareat speculum consensus virginalis & infirmitatis MARTHA & MARIA.

EM-



Concordes animas, quibus vnum eſt viuere Chriſtus,
66. *Quid mirum eſt vno claudere fine dies?*

EMBLEMATICA IMAGO LXVI.

SS. MARTHÆ ET MARIÆ CRVCIFIXARVM EXPLICATA.

COMPARENT MARTHA & MARIA, ambæ sorores, ambæ virgines, ambæ Spiritus sancti sponsæ, quæ pro defensione Fidei & virginitatis suæ constantes & vnanimes mortem crucis subierunt. Satis benè Augustinus Serm. de Laudibus Crucis exclamat: *Grande & profundum mysterium Crucis, & ineffabile atque inseparabile vinculum charitatis.* Mira res est, quòd sorores illæ duæ, MARTHA nimirum & MARIA, in ipsa præsentia CHRISTI dissenserint inter se, cùm querula MARTHA dicat, *Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.* Necdum CHRISTVS exaltatus in cruce fuerat, cuius virtute vinculum puritatis, nexusque charitatis inter sorores duas intercessurus erat. Iam ergo virgines inter se MARTHA & MARIA, intercedente passione, conuenerunt, quarum vna pax est, vna crux virginitatis & pudicitiæ. Vbi vna virginitas, & vna pudicitia est, deesse animorum & vo-

Menolog.

Luc. 10, 40.

voluntatum consensus nequit. Fauet Cyprianus de Bono pudicit. *Pudicitia,* inquit, *est honor corporum, ornamentum morum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput.* Regina virginum MARIA secum & in se MARTHAM & MARIAM complexa est, in cuius honorem & gloriam, cùm in cælum assumitur, MARTHAE & MARIAE Euangelium legitur & cantatur, & simul ostenditur, sorores duas, aliàs inter se dissidentes, in vna eademque virginitate conuenire facilè posse. Conuenerunt inter se MARTHA simul & MARIA, quarum idem animus est, eadem passio, quæ verè illas germanas sorores fecit. Cùm CHRISTVS crucifixus est, adfuit MARIA, MARTHA defuit: iam verò crucifixo CHRISTO, duæ sorores MARTHA & MARIA infixæ & affixæ cruci assistunt.

Sympathia Mariæ & sororum virginum Artificum vnionis virginalis.

Crux MARTHÆ & MARIÆ, Crux status virginitatis.

CHRISTVS, qui MARTHAM & MARIAM olim composuit in Euangelio, suggessit S. Birgittæ lib. 6. cap. 65. quid facto opus esset, vt in vnam eamdemque personam MARTHA & MARIA conuenirent. *Qui perfecta desiderat esse Maria, debet priùs esse Martha laborando corporaliter; & scire debet priùs resistere*

Excitatio laborantis.

ſiſtere deſideriis carnis, & tentationibus diaboli obuiare, & poſteà poteſt cum deliberatione aſcendere ad gradum MARIAE. *Qui enim non eſt probatus & tentatus, & qui non vicerit motus carnis ſuæ, quomodo poteſt iugiter cæleſtibus inhærere?* Hoc ipſum myſterium indicat propoſita imago, in qua cruci affixa MARIA quieſcit, MARTHA verò in crucem aſſumpta aſcendit, vt MARIAE gradum & quietem attingere queat. Quàm bonum & quàm iucundum, habitare ſorores in vnum! *Virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* (1.Cor.7, 34.) Ad hoc vt ſancta corpore ſit, laborat, & deſideriis carnis reluctatur; & vt ſit ſancta ſimul ſpiritu, cæleſtibus continuò inhæret. Cùm reluctatur, MARTHA crucifigitur. *Qui ſunt* CHRISTI, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* (Gal.5,24.) Cùm autem adhæret cæleſtibus virgo, confixa eſt inſtar Apoſtoli, qui dicit: CHRISTO *confixus ſum cruci.* (Gal.2,18.) Conſenſus virginalis MARTHAE & MARIAE planè conſiſtit in eo, vt virgo carnem ſuam crucifigat, & ſpiritum ſuum CHRISTO affigat, quieſcat, & glorietur in conſortio eius qui dicit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI. (Gal.6,14.)

Speculum appenſum virginum MARIÆ & MARTHÆ, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

RESpondent ſibi virginalia ſpecula appenſa MARIAE ſcilicet & MARTHAE, in quibus corporis & animæ effigies exprimuntur. Caro & anima germanæ ſorores ſunt: carnem MARTHA, MARIA animam repræſentat. MARTHA ſollicita eſt, nec quieſcit; MARIA verò curis omnibus renuntians, ad pedes CHRISTI confugiens, ſecura quiete fruitur. Hæc in omnibus ſeruanda forma, vt ſi caro ſollicitata morbis neſciat ſeruare quietem, illam quærat apud CHRISTVM anima, inuentam teneat. Et quidem cùm MARIA Dei mater è viuis abiit, in eius infirmitate eluxerunt MARIA & MARTHA, vt in lecto laboraret, & in CHRISTO requieſceret, ac proinde in Aſſumptionis honorem ſacrum Euangelium MARIAE & MARTHAE recitatur. Felix æger, cui aſſiſtunt MARTHA & MARIA, dicuntque Seruatori: *Ecce quem amas infirmatur*. Præualeat infirmæ carni fortis & potens anima, præualeat MARTHAE MARIA. Tunc præualet, cùm etiam ſanctis operibus, quæ ſanus & incolumis æger præſtare poterat, infirmitatem, quam ex diuina voluntate

Ioan. 11, 3.

Excitatio ægrotantis.

luntate patitur, anteponit. Præſtat, ſi Deo placet, in lecto ægrum otiari, quàm ſanum extra lectum negotiari. Vnum certè eſt neceſſarium, diuinum exequi beneplacitum. Et quidem infirmus Iobus, teſtante D. Chryſoſtomo, magis Deo gratus extitit, cùm plenus vlceribus otiaretur, quàm cùm ſanus & diues eleëmoſynis elargiendis ſtuderet. Ea propter venerabilis Pater Auila Sacerdoti in lecto iacenti ſcripſit: *Ne quæſo reſpicias ad id quod faceres ſi ſanus eſſes, ſed cogita potiùs quàm placiturus ſis Deo, ſi in morbo tuo cum voluntate Dei te conformes. Et ſi purè, vt equidem reor, Dei voluntatem quæras, quid amplius tibi confert, ſanum eſſe quàm ægrum, cùm eius voluntas omne noſtrum ſit bonum?* Vbi omne bonum eſt, ibi regnum, ibi requies noſtra eſt, & idcircò cùm oramus, *Adueniat regnum tuum*, conſequenter ſupplicamus, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra:* ex qua quidem voluntate totum bonum noſtrum pendet. vnde & B. Martinus iam iam obiturus dixit, *Fiat voluntas tua.*

Matth. 6. 10.

Extrema verba morientis.

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

SOrores duæ, MARTHA videlicet & MARIA, quæ cum fratre ſuo Lazaro laborabant, cupientes CHRISTVM videre, vt eius veneranda præſentia omnis

Ioan.11,3. omnis morbus fugaretur, ſcripſerunt, *Ecce quem amas infirmatur.* Et quidem dum miſer homo laborat, & malè habet, ductus eodem ſpiritu quo ſorores regebantur, confugit ad eam quæ *ſalus infirmorum* eſt, & poſtulat: IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Refert Bonauentura in Vita S. Franciſci, quòd cùm mulier grauiſſimis partus doloribus vexaretur, ex eius conſilio recitauit Antiphonam, *Salue Regina.* Cùm illam deuotè enuntiaret, pulchellum infantem enixa eſt, & ſimul recreata ad hanc vocem, IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Exclamat hoc loco Bernardus: *O venter mirabilis, qui potuit capere Saluatorem! ô venter laudabilis, qui potuit recipere Redemptorem!* Hunc eumdem recipit, qui decumbit, &
Viaticum. Viaticum ſumit, quique, accepto ſacro Viatico, cogi-
Ioan.11,3. tat adeſſe virginem, ac dicere CHRISTO ſuo: *Ecce quem amas infirmatur.* Reſpondeat & ipſe cum eodem D. Bernardo: *Fructus tuus, Domina. Hunc* IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, vt videndo ipſum habeamus.*

Appareat ſpeculum virginalis integritatis & infirmitatis TARBVLA cum virginibus.

EM-



Malo mihi tortor violet quàm membra Cytheris:
67. *Integra ſum ſecto corpore ſponſa Dei.*

EMBLEMATICA IMAGO LXVII.

SS. TARBVLÆ ET SOCIARVM CRVCIFIXARVM EXPLICATA.



TARBVLA gloriosa virgo, soror Simeonis Episcopi, & cum illa ancillæ duæ, in Persia sub Sapore Rege pro seruanda castitate, & simul fide, dissectæ serris per medium, crucibus affixæ sunt. Solemnis & celebris virginitatis lex, quam promulgauit Apostolus, vt mulier innupta & virgo penitus indiuisa sit, totam se Deo integram tradat, & seruet. Quamuis dentatis serris virgines diuidantur, integræ tamen manent, quoniam integritas virginalis nulla externa vi destrui, nulla violentia secari potest, si virgo tenax propositi persistat ac perseueret. Magnum miraculum Eucharistiæ, quæ in specie externa Hostiæ patitur diuisionem, CHRISTVS tamen sub panis & vini formis integer conseruatur.

Metaph. Nicephor. Vsuard.

1. Cor. 7, 32.

A sumente non concisus,
Non confractus, non diuisus,
Integer accipitur.

Proles ac germina sunt venerabilis Sacramenti Virgi-

Zachar. 9. 17. gines immaculatæ. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* TARBVLA & ſociæ cùm virgines CHRISTI ſint, & ſe hoſtiam offerant Deo, ſecari poſſunt exteriùs, earum integritas nulla potentia, nulla violentia concidi poteſt: referunt quippe Eu-

Sympathia Mariæ & virginum Artificum integritatis virginalis. chariſtiam, cuius proles ac ſoboles ſunt. Regina Virginum Mater tota Euchariſtica eſt, quæ virgo & coniugata fuit: ita coniugata, vt eſſet illa diuiſa; ita virgo, vt corpore & ſpiritu integra, & penitus indiuiſa foret.

Crux TARBVLÆ & ſociarum, Crux ſtatus virginitatis.

PAtitur inſidias virginitas, patitur manus violentas, quæ labefactare & deſtruere eius integritatem conantur. Hæc dura puritatis oppreſſio, ſerrarum martyrio non eſt abſimilis, & quidem ita grauis & moleſta, vt CHRISTVS lib. 1. Reuelat. ſanctæ Birgittæ cap. 6. dixerit: *Sicut non eſt mors vlla morte ſerræ amarior, ſic non eſt ſupplicium, quo non participes fiant, & ſecabuntur per medium à diabolo, & diui-*

Excitatio laborantis. *dentur à me.* Vera & perfecta virginitas ſerris oppugnatur, non expugnatur; ſi virgo firma ac fida perſiſtat, & à Deo non diuidatur. Non minuitur violentis

lentis ſerris virginitas, ſed potiùs augetur. Huc attinet virginale illud reſponſum, quod Lucia Præfecto Paſchaſio dedit: *Si inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Sola voluntate virginis virginitas, & eius integritas amitti poteſt. Ergo benè monet Auguſtinus Serm.6. de Natiuitate Domini: *Gratias agat Virgo, quia tantam felicitatem integritate portat. Teneat fortiter, ne perdat rem irrecuperabilem, ne in vno momento delectationis amittat gratiam mentis & corporis, non contrahat turpitudinem animæ per pulchritudinem formæ corruptæ, non illam concupiſcentia vincat.*

Speculum TARBVLÆ & ſociarum virginum, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

QVid aliud mors eſt, quàm diuiſio corporis & animæ? Mors inſtar ſerræ in morbo hominem ſecat, & in duas partes diſtribuit, vnde cùm ille laborat, ſub ſerra eſt, & cùm iam vitam abſoluit, totus iam diuiſus eſt; ſub ſerra mortalis es, cùm infirmaris, ſcinderis, & doloribus ſecaris, cauere maximè debes, ne patientia minuatur, ſed integra conſeruetur. Ad hanc patientiam ſeruandam, & eius integritatem, habeat ægrotus præ oculis ſpe-

culum TARBVLAE & ſociarum, quæ dum ſerrantur & diuiduntur,

Non murmur reſonat, non querimonia;
Sed corde impauido mens benè conſcia
Conſeruat patientiam.

Cùm ſerra lignum partitur, queritur quodammodò & murmurat, virgines verò ſerratæ nec murmurant, nec expoſtulant; poſtulantque ab ægrotante, vt præſtet id quod monent exemplo ſuo, & Sermone de Viſit. infirmorum ſuggerit Auguſtinus, dum ait: *Excitatio ægrotantis.* *Noſtris acquieſce conſiliis, & quandoquidem murmurando duo mala ſuſtines, pacificus eſto, & grauamen corporale fac tibi antidotum ſpirituale.* Et quidem ſerra nos monet, ne contra vitæ ac mortis Deum inſurgamus, Iſai. 10, 15. cùm dixerit Iſaias: *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur?* Conſideret mortalis homo, adaptari ſe, vt cæleſti fabricæ inſeratur, quæ ex viuis tam lapidibus quàm lignis conſtruitur. Lapides malleo & regula diſponuntur, & myſtica ligna iam ſecuri, iam ſerra, quam diuina manus mouet ac trahit, virtute tolerantiæ dolantur & poliuntur. Serra ſe in artificem non erigit, nec etiam lignum quod ſcinditur & ſecatur: nec æger extollat nec ſe efferat in Deum, humilem potiùs ſe reddat, & Deo cedat. Cedit, qui viuens

viuens & moriens totum ſe diuinæ prouidentiæ committit, & dicit cum moriente iam Ambroſio: *Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus.* *Extrema verba morientis.*

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

HÆc pietas MARIAE eſt, hæc ſumma eius clementia, vt iis qui laborant & ægrotant, adſit & aſſiſtat, cùm eius auxilium & ſubſidium deprecantur, & exclamant: *O clemens! ô pia!* Virgo clemens & pia, ſacra MARIA eſt, cuius pietas & clementia ſine læſione partitur & diſtribuitur, perfecta ſemper & integra perſeuerat. Qualis Mariana virginitas, talis pietas, talis benignitas eſt. Quibus clemens, quibus pia? Reſpondet in Meditationibus Bernardus: *O clemens indigentibus, pia exorantibus! O clemens pœnitentibus, pia proficientibus! O clemens liberando, pia lárgiendo! O clemens conſolando, pia blandiendo!* Hæc dos, hæc prærogatiua pietatis ac clementiæ Marianæ, vt ad omnes & per omnes miſeros & afflictos pertineat, & tamen illa, poſtquam diuiſa fuerit, integra perſeueret. Dicat ergo infirmus, qui doloribus ſcinditur & diſrumpitur, more TARBVLAE atque ſociarum: Hîc ſcinde & rumpe, CHRISTE ſancte, dummodò ſua pietate & clementia Mater aſſiſtat,

Viaticum. aſſiſtat, adſit & ſacra Euchariſtia, in qua non confractus, non diuiſus, integer acciperis. Quòd ſi mortalis homo ſacrum accipiens Viaticum totus mutatur, totus in CHRISTVM conuertitur, in morte ita diuiditur, vt totus & integer cælo & Deo deſtinetur.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ virginalis, corona & laureola.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

FIgura glorioſæ Crucis apud virgines crucifixas & cruciferas eſſe deprehenditur, deprehenduntur quoque corona, diadema, laurus, & palma in ſignum præclaræ victoriæ & gloriæ. Corona gloriæ, quæ ſita eſt in clara ſummi Dei contemplatione, donatis iam beatitudine communis omnino eſt: ornamentum aureum laureolæ ſolùm Doctoribus, Virginibus & Martyribus ſpecialiter conceditur. Triplex ornatus laureolæ tribus viribus animæ apprimè reſpondet, vt ex multorum opinione Theologorum refert S. Thomas in 4. diſtinct. 49. quæſt. 5. art. 5. *Quidam*, inquit, *diſtinguunt tres aureolas ſecundùm tres vires animæ, & dicunt, tres aureolas dependere potiſſimè ex trium virium animæ actibus. Potiſſimus enim actus rationalis eſt, veritatem fidei etiam in aliis diffundere, & huic actui debetur Doctorum aureola. Iraſcibilis verò actus potiſſimus eſt, etiam mortem propter* CHRISTVM *ſuperare,*

rare, & huic actui debetur aureola martyrum. Concupiſcibilis autem actus potiſſimus eſt, à delectabilibus maximis penitus abſtinere, & huic debetur aureola virginum. Quamuis Regina glorioſa virginum crucifixarum & cruciferarum palmam omnibus prætulerit. Ait deinde ſanctus Thomas: *Quidam dicunt, quòd beata Virgo pro virginitatis præmio non habet aureolam, ſi aureola propriè accipiatur ſecundùm quod reſpicit pugnam, tamen habet aliquid maius aureola propter perfectiſſimum propoſitum virginitatis ſeruandæ. Alij verò dicunt, quòd aureolam etiam ſub propria ratione aureolæ habet excellentiſſimam; quamuis enim pugnam non ſenſerit, pugnam tamen carnis aliquam habuit, ſed ex vehementia virtutis adeò habuit carnem ſubditam, quòd eiuſmodi pugna ei inſenſibilis erat. Sed iſtud non videtur conuenienter dici, quia cùm Virgo credatur omnino immunis fuiſſe à fomitis inclinatione, propter eius ſanctificationem perfectam, non eſt pium, ponere, aliquam pugnam à carne fuiſſe in ea, cùm talis pugna non ſit niſi ex tali inclinatione; nec tentatio, quæ eſt à carne, ſine peccato eſſe non poſſit. Vnde dicendum eſt, quòd aureolam propriè habet, vt in hoc aliis Eccleſiæ membris conformetur, in quibus virginitas inuenitur; & quamuis non habuerit pugnam per tentationem quæ eſt à carne, habuit tamen pugnam quæ eſt ab hoſte, qui nec ipſum Chriſtum reueritus eſt, vt patet Matth. 4.*

Tam crucifixis quàm cruciferis virginibus dictum est illud oraculum : *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Accedit hoc loco Richardus : *Exiguum & breue eſt, quod pati poteſtis ; immenſum, quod per hoc expectatis. Momentaneum & leue tribulationis noſtræ ; æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Cogitate æternum, & leuiter feretis momentaneum. Cogitate pondus (id eſt, magnitudinem gloriæ) & leuis fit tribulatio, quam comitatur talis remuneratio. Dum patimini, coronam intueamini : tunc enim vobis fit diadema, quo coronabimini in die ſolemnitatis quæ de vobis erit, cùm de corpore egrediemini, vel deſponſationis illius, cùm de nuptiis Eccleſiæ militantis tranſibitis ad nuptias Eccleſiæ triumphantis.* Cùm tranſiret ad has nuptias, clamabat Agnes : *Benedico te, Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis. Ecce iam quod credidi video, quod ſperaui iam teneo, quod concupiui, complector. Te confiteor labiis & corde : te totis viſceribus concupiſco. Ecce ad te venio viuum & verum Deum.*

Cant.2,11. — 2.Cor.4,17. — *Laureola victoriæ.* — *Extrema verba morientis.*

Appareat ſpeculum ſtatus coniugalis & infirmitatis TIMOTHEVS & MAVRA.

EM-



Vos cælo voluit socialem ducere vitam,
68. *Qui crucis ad thalamum fœdera iunxit Hymen.*

EMBLEMATICA IMAGO LXVIII.

SS. TIMOTHEI ET MAVRÆ CRVCIFIXORVM EXPLICATA.

TIMOTHEVS & MAVRA coniuges charissimi apud Thebaïdem Ægypti, sub Decio Imperatore ab Ariano præfecto crucis supplicio afficiuntur. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Coniunguntur matrimonio TIMOTHEVS & sua MAVRA, cum quibus crucifixus CHRISTVS est, & quibus crucifixis assistit. Pertinet huc, quod CHRISTVS ipse lib. 1. Reuelat. cap. 6. coniugatæ Birgittæ declarauit: *Ego sum vnus Deus, trinus in personis, vnus in substantia cum Patre & Spiritu sancto. Sicut enim impossibile est separari Patrem à Filio, & Spiritum sanctum ab vtroque; & sicuti impossibile est separari calorem ab igne: sic impossibile est tales coniuges spirituales à me separari, quin sim tertius cum eis. Semel autem corpus meum laceratum est in passione, & mortuum, sed numquam lacerabitur, nec morietur. Ita & ipsi numquam morientur à me, qui mihi fide recta & voluntate perfecta incorporantur. Nam vbicumque stant, sedent, vel ambulant,*

Martyrol. Marulus.

Matth. 18. 20.

ego ſum ſemper tertius cum eis. CHRISTVS igitur crucifixus TIMOTHEO & MAVRAE tertius adiungitur, vt ſocius & adiutor in martyrio ſacris coniugibus veniat. Septem Sacramenta ortum ſuum in Cruce habuerunt. Coniugium è ſeptem Sacramentis vnum, crucem, iugum, & onus affert vtrique coniugi commune, & ab vtroque portandum. Nec quidem matrimonium ipſum, quod cælebratum eſt inter Deiparam & Ioſephum, liberum à cruce fuit, nec vllus labor in eo, qui non eſſet communis vtrique, cùm ſub eodem iugo laborioſum onus traherent.

Sympathia Mariæ & coniugis Timothei Artificum tolerantiæ coniugalis.

Crux TIMOTHEI & MAVRÆ, Crux ſtatus coniugalis.

MAtrimonium Chriſtianorum quaſi præludium quoddam martyrij eſt. Quid enim aliud myſterium coniugale eſt, quàm laborioſum teſtimonium matrimonij, quod inter CHRISTVM & Eccleſiam celebratum eſt, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in* CHRISTO *& in Eccleſia.* Magnum iſtud Sacramentum non voluptatibus carnis, ſed intenſis crucis doloribus conſummatum eſt, vt nouerint Chriſtiani coniuges, matrimonij ſui ſtatum non delicioſum eſſe, ſed laborioſum, cùm ſcriptum ſit de coniugatis: *Tribulationem carnis habebunt huiuſ-*

Epheſ. 5, 32.
Excitatio laborantis.
1. Cor. 7, 20.

huiusmodi : nimirum, *aperientes sibi per coniugij copulam dolorum officinam*, vt agens de Vera virginit. explicat. Basilius. Qui crucifixus est, corporis sui liberam facultatem non habet, nec quidem coniux. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* 1.Cor.7,4. Quod seruitutis iugum expendens Chrysostomus libro de Virginit. scribit: *Paulus proprij etiam corporis iure adempto, omnem ipsius principatum dat vxori, cuius imperio magis subiectum esse virum, quàm puerum emptum pecunia: seruo enim si quando comparata pecunia pretium, quanti emptus est, Domino persoluere potuerit, plerumque libertatem recuperare licet; at vir quamuis omnium difficillimam seruitutem tamen perferre necesse habet, quippe qui nullam potest inire viam, qua solutus eiusmodi dominatu liberetur.*

Speculum appensum coniugum TIMOTHEI & MAVRÆ, speculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

MVtuo coniugio caro & spiritus copulantur, & dum viuit homo, coniugium hoc perseuerat. Nullum sine labore & sine onere connubium est, cùm scribat Apostolus: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* 1.Cor.7, 28. Quàm sit laboriosus carnis & spiritus

ritus nexus, adhuc valentes & incolumes experimur; ſed tunc maximè ſentimus, cùm morbis tangimur & afflictamur. Tunc temporis multi ſunt, qui deſiderant quàm maximè à vinculo matrimonij liberari. Nec peccat mortalis homo, cùm libertatem affectat, & vt illam conſequatur, iacens in lecto ſuſpirat. Apoſtolus ipſe qui ſcripſit, *Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem*; idem ipſe vehementer optabat *diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO. Ergo cùm ægri laborant, & gemunt ſub onere moleſti laborioſique coniugij, moneri & ſimul excitari debent teſtimonio illo Scripturæ: *Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Commendat hoc ipſum Gregorius 3.Parte Paſtor. cap.13. Liberabit hominem Deus ab infirmitatibus & morbis, cùm caro prædita virtute reſurget: interim dum vitam mortalem agit, laboret neceſſe eſt, cùm lib.10. Homiliarum Homil.38. dixerit Auguſtinus: *Ægritudo perpetua eſt in iſta fragilitate carnis.* Perpetuum eſt debilis noſtræ carnis & ſpiritus vinculum, perpetua infirmitas & ægritudo, quæ longam exigit tolerantiam atque patientiam: monentque propterea TIMOTHEVS & MAVRA ægrum: Homo de humanis parentibus ortus, natus es ad laborem & infirmitatem ferendam, & tunc depones vtrumque, cùm animam

[Margin notes: 1.Cor.7, 27. — Phil.1,23. — Pſal.33, 20. — *Excitatio ægrotantis.*]

nimam depoſueris, interim onera ſuſtine matrimonij, quod inter carnem & ſpiritum intercedit; ita tamen ſuſtine, vt libertatem affectes, & dicas moriens cum moriente Simeone: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Luc.2,29. *Extrema verba morientis.*

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

CVm ſatis laborioſa, grauia & amara ſint onera matrimonij, prouidit Deus de Virgine coniugata, cuius ea virtus eſt, vt coniuges, qui tribulationem carnis patiuntur, eius inuocatione ſolatium & leuamen ſibi acquirant. Acquirunt ſibi, dum laborantes exclamant: *O dulcis Virgo* MARIA! Exclamant verò, dum vita ſuperſtes eſt, & dum illa deficit, cuius defectu matrimonium omnino ceſſat. Ad hanc formam cùm maneat coniugium carnis ſpirituſque, inuocanda MARIA eſt, vt mortalitatis noſtræ onera faciliùs ſuſtineamus: tunc verò maximè oratio hæc & exclamatio, *O dulcis Virgo* MARIA, neceſſaria eſt, cùm imminet mors, cuius amaritudo Mariana dulcedine tollitur. Exclamat homo mortalis: *O mors, quàm amara eſt memoria tua!* ſed non Eccli.41,1. ille, qui dum moritur, confugit ad Matrem Dei, & exclamare nouit, *O dulcis Virgo* MARIA! non il-

le, qui dulcedine ſacræ Euchariſtiæ delinitus addit, *Viaticum.* *O ſacrum conuiuium!* Felix iter humanæ mortalitatis, quod deſinit in hunc finem. Hic finis itineris diui Bernardi, qui miſſus ab Apoſtolica ſede Spiram, & deductus ad primariam ædem Deiparæ, in ipſo aditu templi, cùm *Salue Regina* cantaretur, tribus in locis procubuit in genua, cecinit in primo, *O clemens*, in altero, *ô pia*, & in tertio clara voce, *ô dulcis Virgo* MARIA. Hodie viſuntur in eodem templo tres laminæ æneæ, in quibus ſuo ordine inſcripta ſunt verba, quo illa glorioſus Bernardus cecinit. Felix, qui ſolutus carnis nexibus, ſuæ mortalitatis iter ita concludit & abſoluit.

Glorioſum opus Artis Crucis & patientiæ coniugalis, corona & diadema.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

AD coronam & diadema virginum cruciferarum tendunt ac pergunt cruciferæ coniugatæ, ſed à longè, ſimiles Euangelicis illis feminis, quæ Regem crucifixum & Reginam contemplabantur, vt annotat Matthæus cap.27. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ ſunt* IESVM *à Galilæa miniſtrantes ei.*

Quanta ſit coniugatorum crux, optimè declarant Patres, conferentes ſtatum virginitatis cum ſeruitute

ſeruitute coniugali. Audiendus vnus Baſilius: *Virgo earum perpetuas ærumnas miſerabitur, quæ temporalibus his moleſtiſque voluptatibus addictæ ſunt. Nempe enim eius, quæ nupſit multiplices (vt ſic dixerim) quas illa in dies patitur, è regione conſiderans, ſibi ipſi profectò propoſitoq́ue ſuo gratulabitur. Nam quæ mortali connubio coniuncta eſt ad ſuam ipſius curam, viri quoque altera adiecta, geminam in vna anima ex coniuncto ſibi corpore ſollicitudinem neceſſariò ſuſtinet. Nec iam vnius tantùm corporis laborat gratia, ſed in vna (vt dixi) anima, & ad ſuum & ad viri corpus curandū iugiter intenta diuiditur.*

Hæc diuiſio in cauſa eſt, vt feminæ coniugatæ diſſitæ adſtent & aſſiſtant Crucifixo, quæ ſi velint in ſtatu ſuo coniugali ad coronam adſpirare, & propiùs ad diadema martyrij & caſtitatis accedere, opus eſt, vt viuant ita ſanctè, & ita caſtè, quaſi maritatæ non ſint. Hoc voluit & monuit Apoſtolus CHRISTI Paulus, dicens: *Tempus breue eſt, reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes ſint*, vt ſcilicet non magnopere rei vxoriæ afficiantur, vt animum, mentem atque amorem magis in Domino quàm vxoribus defigant. Ad quem locum pulchrè Commentarij, qui S.Hieronymi nomine inſcribuntur: *Tempus vitæ noſtræ modicum aſſerit, vt doceat voluptatem quæ citò finitur, non magnopere appetendam, ſed*

Diadema coniugij.

1.Cor.7. 29.

magis concupiſcendum eſſe æternum præmium caſtitatis. Idem alibi lib.1. aduerſus Iouinianum ait: *Inter cetera mundi opera, & nuptiæ præteribunt; neque enim erunt poſt reſurrectionem coniugia. Si autem mors finis eſt nuptiarum, cur neceſſitatem non in voluntatem vertimus? & quod inuitis extorquendum eſt, cur non ſpe præmiorum offerimus Deo?* Rectè igitur monet, vt tamquam non habentes vxores vxorati vitam ſuam diſponant & componant: componant, inquam, ad coronam, diſponant ad diadema, quod virginitati ac viduitati ſtatutum in regno cælorum per ſacrum martyrium eſt. Quòd ſi coniugium etiam eſt inter humanam carnem & ſpiritum, cùm ita ſpiritus viuat, & è carne decidat, quaſi in carne non ſit, martyrium agit & celebrat, & extrema Agathæ virginis verba in obitu vſurpet: *Tu ergo Domine exaudi me in hac hora, & dignare me relinquere hunc mundum, & peruenire ad diuitem & magnam miſericordiam.*

Extrema verba morientis.

Appareat ſpeculum viduitatis dilatæ fruitionis & infirmitatis MAGDALENA cum prole & ſociis.

EM-



Christiadas, tortor, conuellere stirpe laboras,
69. *Fæmineo cùm sit robore victa manus?*

EMBLEMATICA IMAGO LXIX.

MAGDALENÆ VIDVÆ, FILII, ET SOCIARVM CRVCIFIXARVM EXPLICATA.

IN Iaponia pro defensione Fidei Christianæ, quam didicerunt ab Apostolo Orientis D. Francisco Xauerio, MAGDALENA vidua, & LVDOVICVS filiolus octennis, IOANNA & AGNES feminæ coniugatæ, sub Canucungio Tungi Rege, & Cacuzeimone Præfecto crucibus alligantur, mutuò se ad patientiam cohortantes, tanto CHRISTI amore ac desiderio feruentes, vt cùm ferrum in vulnera quasi hebesceret, diros carnifices ad necem sibi ocyùs inferendam incitarent. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* Ecce iam inuentæ fortes mulieres sunt in vltimis terrarum finibus. Vna MAGDALENA alterius Magdalenæ æmula, quæ CHRISTO crucifixo adhæsit, & sacram eius crucem amplexata est. Attulit secum & simul obtulit filium, vt, qui iam in ortu fuerat ventris fœtus, crucis fructus in martyrio foret. Altera IOANNA est, in qua resplendet Ioannes

Ex relat. Episcopi Iapon. Lud.

Prou. 31, 11.

nes

nes dilectus & charus ille, qui recubuit ſupra pectus IESV, & crucifixo adfuit. Tertia AGNES, in qua virilis Agnetis ſpiritus viuit, & Agnum ſuum torridum in ara Crucis quærit & inuenit. Fortes omnes mulieres, etſi virgines non ſint. Cane ſingulis:

Fortem virili pectore
Laudemus omnes feminam,
Quæ ſanctitatis gloria
Vbique fulget inclyta.
Rex CHRISTE *virtus fortium,*
Qui magna ſolus efficis,
Huius precatu quæſumus,
Audi benignus ſupplices.

Sympathia Mariæ & Magdalenæ viduæ & ſociarum Artificum cæleſtis deſiderij. Omnes quidem quatuor martyres dignæ proles ſunt beatiſſimæ viduæ MARIAE, cuius ardentia deſideria Deum videndi, & eius aſpectu fruendi, viuis flammis & ignibus aſſimilantur. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Conceperant ignes & flammas, quæ mori pro CHRISTO, & CHRISTO frui quantocyùs deſiderabant. (Cant. 8, 6.)

Crux MAGDALENÆ & ſociarum, Crux viduitatis & dilatæ fruitionis Dei.

CRux viduitatis per abſentiam ſui conſortis affligit & cruciat; crux eſt moleſta & grauis amanti-

mantibus ſponſum CHRISTVM, priuatio eius aſpe-
ctus, & fruitionis dilatio. Hinc illud Dauidis Regis:
Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! Hinc il- Pſal.119.5.
lud Pauli: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpo-* Rom.7.24.
re mortis huius? Quiſquis deſiderij huius ardentem
ignem in ſacrario pectoris condit, continere ſe ne-
quit, quò minùs erumpat in ſimiles illas voces.
Erumpebat S.Ignatius, Societatis noſtræ Patriarcha,
cùm faſtidiens terram, & cælum affectans dice-
ret: *Quàm ſordet terra, cùm cælum aſpicio!* Erumpebat
Ignatius Martyr, cùm Epiſtola ad Romanos ſcribe-
ret: *Utinam fruar beſtiis quæ mihi ſunt præparatæ, quas
& opto mihi veloces eſſe ad interitum & ad ſupplicia, &
allici ad comedendum me, ne, ſicut & aliorum Martyrum,
non audeant corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint,
ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer. Ignoſcite mihi,
filioli, quid mihi prodeſt ego ſcio. Nunc incipio* CHRISTI
eſſe diſcipulus, nihil de iis quæ videntur deſiderans, vt
IESVM CHRISTVM *inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, con-* Excitatio laborantis.
*fractio oſſium, membrorum diuiſio, & tota tormenta dia-
boli in me veniant, tantùm* CHRISTO *fruar.* Hæc in-
firmitas amoris eſt, qua laborabat ſponſa, cùm di-
ceret: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore* Cant.2,5.
langueo. Accedit Bernardus Serm.51. in Cantica: *Cùm
præſtò eſt quod amatur, viget amor, languet cùm abeſt.*

Quod non eſt aliud quàm tædium quoddam impatientis deſiderij, quo neceſſe eſt affici mentem vehementer amantis, abſente quem amat, dum totus in expectatione quantamlibet feſtinationem reputat tarditatem.

Speculum MAGDALENÆ, FILIOLI & SOCIARVM, ſpeculum humanæ infirmitatis & patientiæ.

SPeculum naturæ humanæ, quæ currit ac tranſit, labilis aqua eſt decurrens ac fluens, vnde & ſapiens mulier dixerat olim Dauidi: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur.* Si quis ſe reſpiciat in aqua, inuerſum ſe deprehendet, & ſuiipſius antipodem ſe inueniet. Et quidem MAGDALENA, FILIOLVS, IOANNA, & AGNES apud Antipodes in Iaponia glorioſum martyrium ſubierunt, in quibus, cùm ſint antipodes, inuerſa natura noſtra conſideranda eſt. Ante peccatum commiſſum rectus homo erat, & fixus in ſuo ſtatu perſeuerabat, poſt ſcelus iam patratum ſtationem ſuam mutauit, & formam ſuæ naturæ omnino inuertit. Qui ſtabat, decidit; & qui ſurſum aſcendebat, deorſum in terram deſcendit. Magnum hoc ænigma eſt, cuius meminit Eccleſiaſtes: *Solummodò hoc inueni, quòd fecerat Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. Quis talis*

2.Reg.14, 14.

Eccle.7, 30.

lis vt ſapiens eſt? & quis cognouit ſolutionem verbi? Videmus nunc in ſpeculo hoc ænigma, quem rectum Deus hominem condiderat, vt in cælum aſſumeretur, cernimus à ſtatu ſuo deturbatum & inuerſum deorſum vergere, & in terram, de qua formatus eſt, redire, & in ea ſepeliri. Qualis ortus, talis & obitus. Inuerſus oritur homo, inuerſus obit. Solus CHRISTVS, ſicut rectus in morte extitit, ſic etiam rectus in natiuitate ſua effuſus eſt, vt Sermone de Laude Crucis Auguſtinus in hæc verba eidem Regi glorioſo faſſus eſt: *Tu ſemper rectus, tu ſemper excelſus, tu ſemper altus: nos ſecundùm carnem filij hominis, qui principale ſuum demiſit in terram, cuius lapſus ſignificatur ſpecie generationis humanæ: ſic enim naſcimur, vt proni in terram videamur effundi.* Hæc laus, hæc virtus crucis eſt, vt quos voluptas peccati intortos reddidit, labor & dolor infirmitatum & morborum rectos faciat & reſtituat cælo, quemadmodum in tanta Sanctorum multitudine crucifixorum cultores ſanctæ Crucis & patientiæ ſpeculati fuimus. *Ideoque & nos* (cruciferis Paulus & ipſe crucifer ait) *tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem* IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem,*

Excitatio ægrotantis.

Heb. 11, 1.

confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: & obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseuerate. Tamquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Propter quod, remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Sanatur æger, cùm in pristinum valetudinis gradum restituitur; & idem ipse curatur, cùm in antiquum

antiquum rectitudinis ſtatum reuocatur. Tunc ſanus eſt, cùm rectus eſt. *Rectus es,* inquit Auguſtinus in Pſalm.44. *quando in omnibus bonis quæ facis, Deus tibi placet, & in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non diſplicet.* Hic crucifer eſt, qui rectà in cælum tendit, qualis Martinus erat, qui rogatus vt pronus conquieſceret, *Sinite me,* inquit, *cælum potiùs quàm terram aſpicere, vt ſuo iam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* **Extrema verba morientis.**

Leuamen columbæ gementis in labore & morbo.

Salue Regina, Mater miſericordiæ; vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue. Ad te clamamus exules filij Euæ, ad te ſuſpiramus gementes, & flentes, in hac lacrymarum valle. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte. Et IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo* MARIA! *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix, Vt digni efficiamur promiſſionibus* CHRISTI. Magna laborantibus, magna ægrotantibus facta promiſſa ſunt à CHRISTO Rege glorioſo, qui inuitans ad crucem dicit: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Hic ipſe Rex patientibus ait: *In patientia veſtra poſſidete animas* Luc.9,23. Luc.21,19.

mas vestras. Quos inuitat ad crucem & patientiam, allicit & attrahit amanter ad mysticam refectionem, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Hæc mystica refectio sacra Communio est, in qua seipsum oppignorauit CHRISTVS, vt qui auctor gratiæ est in Eucharistia Viaticum sacrum capientibus, futurus sit auctor & ipse gloriæ iis, qui recta cum conscientia sanctam Synaxin acceperint, vnde & meritò clamat & exclamat Ecclesia: *O sacrum conuiuium, in quo* CHRISTVS *sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Hoc pignus dignè communicantibus exhibetur, qui & digni sunt cælestibus promissionibus, & vtrumque hoc rogamus, cùm dicimus gloriosæ Reginæ cælorum, *Ora pro nobis sancta Dei genitrix, vt digni efficiamur promissionibus* CHRISTI. Benè Bernardus in deprecatione ad gloriosam Reginam ait: *Tollatur hæc crassa nebula ab oculis, vt reuelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus diuini luminis absorbeamur: & Domini spiritu, ac Deo nostro in vinculis charitatis adstricti, vnum cum ipso efficiamur. Præstet & hoc nobis tuo interuentu, ô* MARIA, *Filius tuus* IESVS CHRISTVS, *Deus & Dominus noster, cui laus & gloria & gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.*

Matth. 11, 28.

Viaticum.

Glorio-

Gloriosum opus Artis Crucis & patientiæ vidualis, corona & diadema.

ADspirant ad coronam & diadema sacri & gloriosi martyrij cum virginibus cruciferis viduæ cruciferæ, quarum status satis laboriosus est, & tantam ferè virtutem exposcit, quantam exigit professionis conditio virginalis, vt lib.1.de Vid. cap.1. definit Ambrosius: *Et propemodùm non inferioris virtutis est, eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire. In vtroque fortes, vt eas & coniugij non pœniteat, cui fidem seruent, & coniugalia oblectamenta non alligent, ne videantur infirmæ, quæ sibi adesse non possunt. In hac ipsa tamen virtute præmia sunt reposita libertatis.* Tunc incipit martyrium viduæ, cùm chari sibi coniugis iacturam facit. Et quidem Ecclesia tunc temporis martyr extitit, cùm vir eius IESVS CHRISTVS lecto crucis affixus interiit: tunc *facta est quasi vidua Domina gentium,* ad cuius formam mulier priuata viro martyr efficitur.

Honor alit artem benè viuendi & moriendi.

Thren.1. 1.

Nec minus martyrium Reginæ & viduæ MARIAE, charam sibi amittere prolem. Hoc quidem martyrium passa est beata Felicitas, & illa quidem iam vidua martyr non semel, sed septies, quia septem pignora amisit, vel potiùs in cælum præmisit.

In

In eius elogium Serm.110. de Diuersis asserit Augustinus: *Parum est fuisse spectatricem, mirati sumus hortatricem. Fecundior virtutibus quàm fetibus, videns certantes, in quibus omnibus & ipsa certabat, & in omnibus vincentibus ipsa vincebat.* Huic gloriosæ victoriæ decernuntur corona & diadema, cuius viduæ triumphatrices participes efficiuntur. Tales sunt, quæ in se decorem virtutis induunt, vt gratæ suo Deo præsententur. *Erubescat,* ait Hieronymus Epist.23. *mulier Christiana, si naturæ cogit decorem, si carnis curam facit ad concupiscentiam, in qua qui sunt, secundùm Apostolum, Deo placere non possunt. Vidua nostra* (Blesilla) *antè morosiùs ornabatur, & die tota quid sibi deesset quærebat ad speculum; nunc loquitur confidenter: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam, quasi à Domini spiritu.* Hic spiritus crucifixos & cruciferos, crucifixas & cruciferas in formam Crucifixi Regis ac cruciferæ Reginæ, in cruce & lecto pingit æternitati, & *amodò dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.*

Diadema viduitatis.

Rom.8,8.

Extrema verba morientis.

2.Cor.3, 18.

Apoc.14, 13.

Appareat S. GVDILIA, speculum in quo arcanum mortis mysterium conspicitur.

EM-



Tyndaridi Zeuxis, Veneri decus addit Apelles;
70. *Ornat tortoris te quoq; dextra Deo.*

EMBLEMATICA IMAGO LXX.

S. GVDILIÆ CRVCIFIXÆ EXPLICATA.

SANCTA GVDILIA cùm plurimos verbo & exemplo fide Chriſtiana imbuiſſet, iuſſu Saporis Regis variis tentata ſuppliciis, cruci affixa, capite decaluata, ſagittis confoſſa, ac denique flammis cremata, in cælum migrauit. Non tam humanæ vitæ, quàm mortis funeſtæ GVDILIA præfert imaginem, quam adhuc in lecto Gregorius impreſſam in ſe recognoſcebat, cùm ſcriberet ad Ruſtitianam Patritiam, & diceret: *Me ita amaritudo animi, & aſſidua exacerbatio, atque podagræ moleſtia afficit, vt corpus meum tamquam in ſepulchro ſiccatum ſit, vnde fit, vt iam rarò de lecto ſurgere valeam.* Præceſſit glorioſus Rex in monte Caluariæ GVDILIAM, & ſtatum morientium non lumine Solis aut Lunæ, ſed tenebris potiùs obſcuris deſcripſit, ac ſimul repræſentauit in primis Matri: *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, vt quantum caliginis mors ſecum haberet & afferret, indicaret. Indicarat Rex Dauid, qui Pſalmum vndecimum *Pro occultis filij*, ſiue, vt alij transferunt, *pro morte filij* inſcripſit

Sympathia Christi, Mariæ & Gudiliæ.

Luc. 23, 44.

ac deſignauit. Occulta mors Dei Filij eſt, &, vt ait Ephræm, de vita & morte vniuſcuiuſque agens, *magnum & occultum eſt mortis arcanum, & nullus enarrare illud poteſt.* Quid ſic? *Veniet enim repentè vna hora, & cuncta ceſſabunt, parua febris, & cunctæ vanitates in nihilum recident; vna nox profunda, & tenebroſa atque ærumnoſa. Multis ſanè tunc opus erit ductoribus, ô homo, multis adiutoribus, multis orationibus, multiſque ſociis in hora ſeparationis animæ à corpore. Magnus tunc erit timor ac tremor, magnum myſterium.* Magnum mortis arcanum, quod cùm ingreſſus fuiſſet quidam ſenex, & rogaretur quid vidiſſet, narrauit plorans: *Audiui vocem illic lugubrem ſine ceſſatione dicentem, Væ mihi, væ mihi. ſic & nos dicere debemus.* Magnum arcanum GVDILIAE, magnum mortis ac ſepulturæ myſterium, de quo paulò pòſt addit Ephræm: *Adſpicite, atque myſterij & ſecreti huius ne obliuiſcamini. Fixis oculis intuemini, & de iſta maximè hora eſtote ſolliciti. Quid enim eſt homo? nihil. Quid homo? vermis. Quid homo? cinis ac puluis. Quid homo? ſomnium. Quid homo? vmbra. Ecce iam tranſiuit, ecce aſcendit, ecce præteriit, ecce ceſſauit, ecce requieuit, & defunctus eſt.*

Crux

Crux accenſa & inflammata GVDILIÆ, Crux ſplendida mortis iuſtorum.

RES obſcura, res tenebroſa mors, cuius obſcuritas & caligo diſſoluitur & euaneſcit ad adſpectum rutilantis Crucis CHRISTI. Clamat cum Eccleſia GVDILIA: *Fulget Crucis myſterium.* exclamet: O crux ſplendidior cunctis aſtris! Sol ipſe cùm oritur & occumbit, cùm gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, curſum ſuum perficit & conſummat in crucis formam, vt adſtruit Bonauentura cap.1. Eccleſ. Crucis æmulus Sol eſt, & ab ea luminum ſplendore atque fulgore longè ſuperatur. Cruciferis lecto affixis Crux CHRISTI in morte reſplendet, cuius ductu viam cæleſtem norunt, & iter ſuum proſperè faciunt & conficiunt. Fecit & confecit, ſicut tradit Seraphica Hiſtor. S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus filius Caroli II. Regis Siciliæ, qui accepto ſacro Viatico, iam moriturus totus illuſtratus, totus illuminatus ait: *Ego morior, & gaudeo quaſi terram videns, venturuſque in portum ex longa nauigatione huius vaſti & vndoſi maris, quod mihi diu in votis fuit: & optatum mihi expoſituro hoc graue onus, quod humeri mei ferre recuſant. Occupationes illæ me nimiùm diſtinent & decipiunt, vt mecum eſſe nequeam, nec pro*

meo arbitrio Deo & mihi vacare. Vero verius est, Episcopalem dignitatem non tam grandis esse nomen honoris quàm oneris. In portu, cùm appulero, onus exponam. Respicienſque deinde ad crucem & crucifixum, quem præ oculis habebat, ſubiungit: *Adoramus te,* CHRISTE, *& benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum.* Quæ verba ſæpiùs iterata fuerunt extrema morientis. S.Eleazarus Comes, eodem auctore, conſtitutus in extremis, cùm in eius animæ commendatione Sacerdos diceret, *Per ſanctam Crucem & passionem tuam libera eum Domine,* eumdem verſiculum repetiuit, & addidit: *Hæc eſt ſpes mea, in ea volo mori;* & mortuus eſt. Legimus in Hiſtoria S. Iuonis Presbyteri, quomodo tota nocte, antequam moreretur, apertis oculis, & in Crucis imaginem defixis, tacitus iacuerit, & obierit, vt & ſplendida CHRISTI Cruce illuſtratus & irradiatus dicere cum D. Laurentio potuerit: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* Legimus quoque in Vita S. Didaci Confeſſoris, contemplantem ac venerantem ſanctam Crucem exceſſiſſe, dum recitaret: *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera. Quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum & Dominum.* Ioannes Aragonum Rex, vt lib. 8. Lucius Marinæus refert, dum myſteriis Eccleſiaſticis intentus eſſet, derepentè

Extrema verba morientis.

Extrema verba morientis.

Extrema verba morientis.

tè capitur ita morbo, vt mortuus cenſeretur. Aperuit deinde oculos, & omnes qui aderant adſpiciens, exclamauit: *O vanas hominum cogitationes! ô miſeros homines, qui ad Principatus adſpirant, diuitias, opes & honores affectant! O felicem pauperum conditionem, qui panem comedunt cum ſudore, qui viuunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? labores ſcilicet magnos, & multa corporis & animæ pericula ſubiui. O me miſerum & infelicem! qui tam ſerò mundum fallacem cognoſco: qui vitam vixiſſem multò meliorem, ſi non Rex, ſed agricultor fuiſſem. Conuerſus autem ad imaginem Crucifixi, defixis in cælum oculis, O Rex glorioſe, inquit, ô pientiſſime Redemptor: parce mihi indigniſſimo filio tuo, miſerere mei clementiſſime* IESV, *& à peccatis meis auerte faciem tuam: non meis meritis, Domine, quæ nulla ſunt, ſed illa tua ineffabili pietate & infinita miſericordia motus, qua homines à morte per Crucem tuam liberaſti.* Poſt hæc cæleſti libertate donatus, è viuis exceſſit Rex ad Regem illum glorioſum, qui in loco aperto, in montis Caluariæ arbore ſpectandum ſe mortalibus præbuit, vt, tanto propoſito exemplari, viuere dediſcerent, diſcerent mori. Cùm S. Wolphangus Præſul ſimilis eſſet mortuis, & accedentes ad lectum à miniſtris prohiberentur, ait: *Aperite*

Extrema verba morientis.

Extrema verba morientis.

oſtia,

ostia, nec quemquam ingredi volentem excludite. Nos enim mortales homines non nisi malefactis erubescere debemus. Mortis autem debitum necessariò soluendum nobis est. Itaque cùm etiam CHRISTVS *ipse, qui nihil morti debuit, pænè nudus in Cruce mori non erubuerit pro humani generis salute, adspiciat quisque in morte nostra quid reformare quid cauere debeat in sua. Deus verò pius & bonus misereri dignetur & mei miseri peccatoris nunc mortem obeuntis, & omnium id cum timore & humilitate adspectantium.*

Hic finis artis benè viuendi & moriendi, quam coluit & colendam docuit in monte Caluariæ CHRISTVS, cuius extrema verba excepit alumna eius Patientia. *Vbi Deus, ibidem & alumna eius Patientia*, asserit Tertullianus: & quidem suprema CHRISTI morientis oracula excipiet in Appendice sacri Sanctuarij.

AMBROSIVS lib. de Bono mortis, cap. 8.

Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima secum vehat.

SACRI SANCTVARII APPENDIX

DE

SEPTEM EXTREMIS VERBIS CHRISTI MORIENTIS, ORACVLIS E CRVCE EDITIS, IN GRATIAM EXTREME LABORANTIVM ET MORIENTIVM.

Finem loquendi pariter omnes audiamus.
Ecclesiastæ 12.





Secundum mensuram regulæ Patientiæ
Septem verba Christi morientis.

EXTREMA verba, quæ languentes & morientes locuti ſunt viri ſancti in omnibus & ſingulis imaginibus Sanctuarij, oracula ſunt languentibus ac morientibus; ſeptem autem verba, quæ affixus crucis lecto Rex glorioſus pronuntiauit, ſacratiora ſunt oracula, quæ perfecta ac coronata Patientia ſacra Deo ex ore Crucifixi excipit, & excipere in extremis homines patientes docet. Septem ſunt verba *ſecundùm menſuram regulæ*, cuius vel ipſa figura ſeptenarium nume- 2. Cor. 10, 13.

rum efficit. Cultor ergo Sanctuarij extremè laborans & moriens, ſi cupit morti CHRISTI conformari & configurari, monendus eſt, & monetur in hac effigie Patientiæ, vt ſeptem oracula CHRISTI morientis ſibi dicta & data conſideret, vt *quæ deſunt paſſionibus* CHRISTI, in corpore ſuo perficiat: *Patientia* quippe coronata *opus perfectum habebit*, poſtquam deficientis Solis iuſtitiæ ſeptem radiis tacta fuerit & illuminata.

Coloſ. 1, 24.
Iacob. 1, 4.

ORACVLVM I.

Regis glorioſi languentis & morientis.

Lucæ 23, 34.

Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.

Diſpoſitio pro mortis conflictu remiſsio iniuriarum.

OPtimum oraculum eſt, cùm quis laborat & ægrotat extremè, componere cum aliis hoſtibus, vt liber & expeditus cum dira morte decertet. Rex, qui non minùs neceſſarium, quàm hoſtem potentem habet, prouocatus ac laceſſitus, ſi poteſt, pacem cum aliis tractat, & agit vt omnes ſuas exerat vires in eum, cuius congreſſum & prælium detrectare minimè licet. Hoſtis non minùs neceſſarius quàm

quàm potens mors eſt : neceſſarius quidem, quia *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*; potens verò, quo- Heb.9,27.
niam æquo pulſat pede, ac ſimul deiicit pauperum tabernas, Regumque turres. Cum tali hoſte componere voluerunt perditæ vitæ homines apud Iſaiam, ſed fruſtrà. *Propter hoc audite verbum Domini* Iſai.28,14.
viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Jeruſalem. Dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Fœdus abſque dubio fictum; proinde aſſerit Deus: Iſai.28,18.
Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit: flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem. Satius illis fuiſſet ſi non cum morte, vtpote neceſſario hoſte, ſed cum aduerſariis ſuis pacis fœdus iniiſſent. Fecit hoc CHRISTVS, qui veniam pro crucifigentibus ſe precatus eſt, & morti inimicæ dixit: *Ero mors tua ô mors.* Et Oſeæ 13,14.
quidem *mors & vita duello conflixere mirando*, mirabilemque victoriam de morte Rex glorioſus ſibi & nobis comparauit.

Hæc glorioſa victoria non gratis datur, ſed emitur iniuriarum remiſſione, quemadmodum duæ feminæ veteri Dauidi vaticinatæ ſunt. Vaticinata eſt

 Abi-

Abigail, quòd, si Dauid vindictam non sumeret de Nabal, futurus esset in numero Heroum, qui partam de morte victoriam agerent & celebrarent. Hoc
1.Reg.25, 28. est illud vaticinium: *Faciens faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu prœliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium.* Idem ipsum promisit Regi mulier illa Thecuana, cuius opera vsus est Ioab, vt inductus ab ea Dauid parceret Absaloni, & eum ab exilio reuocaret. Sapienter satis
2.Reg.14, 13. ait: *Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum? Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Omnes itaque, ô Rex, morimur: & cùm tantum ac tam validum hostem habeamus, vt illum superemus, & numero triumphatorum adscribamur, de sumenda vltione cogitare minimè debemus, sed potiùs de agenda compositione cum iis qui nobis inuisi sunt propter iniurias & contumelias, quas nobis immeritis intulerunt. Edoctus iis vaticiniis faustam ac beatam promeruit sibi Rex mortem, quam omnino infaustam & miserandam se meriturum ingenuè fatebatur, si

vindi-

vindicaret iniurias: *Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me. Nequando rapiat, vt leo, animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat. Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis: ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Bonam ſibi mortem optabat & poſtulabat, & ne gratis illam haberet, iniuriarum illatarum ſibi condonationem præſentabat. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* & hoc pretio emendam & acquirendam CHRISTVS in cruce oſtendit, & illam vterque Apoſtolus Iacobus & Primicerius Martyrum Stephanus feliciter morientes poſteà mercati ſunt.

Pſal.7,2.

Pſal.115, 15.

Hæc vis, hæc virtus huius Dominici oraculi, quod peſſimus ſeruus non excepit, nec pro ſe accepit, & propterea traditus eſt tortoribus, vt in morbo & morte eum grauiter premerent & torquerent. Remiſerat ei Deus decem millium talentorum debitum, & poſt remiſſionem, *egreſſus ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam*

Matth.18, 28.

tiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narrauerunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me: nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoaduſque redderet vniuerſum debitum. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Cæleſtis Pater tortoribus tradet inimicum & vltorem, id eſt, doloribus acerbiſſimis morborum mortis & inferorum, qui acceptas iniurias minimè condonauerit. Monendus igitur æger, vt ſi velit languere cum CHRISTO & mori, more CHRISTI clamantis è lecto crucis, *Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt,* ex corde iniurias remittens pro inimicis preces & ſupplicationes offerat.

Luc. 23, 34.

ORA-

ORACVLVM II.

Regis gloriosi languentis & morientis.

Lucæ 23, 43.

Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.

BOnus latro crucis lecto affixus erat, & cùm doloribus magis peccatorum quàm tormentorum premeretur, languentem & pro se morientem CHRISTVM rogat, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Respondit roganti CHRISTVS: *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.* Magnum hoc oraculum est, non solùm crucifixo latroni, sed etiam ægrotis destinatum ac dedicatum, in quo satis elucescit, quàm largus & promptus sit CHRISTVS Dominus, vt benefaciat iis qui eius implorant opem, cùm in extremis versantur. Acquiescit in hunc locum Ambrosius: *Plus Deus tribuit quàm rogatur. Ille rogabat, vt memor sui esset Dominus cùm venisset in regnum suum; Dominus autem ait, Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Vita enim est esse cum* CHRISTO, *quia vbi* CHRISTVS, *ibi regnum.* Accedit Augustinus agens de tertia Feria Paschatis:

Confessio & oratio.

Luc. 23, 42.

Latro attendens merita ſua, non dixit, Memento mei, vt liberes me hodie; ſed, cùm veneris in regnum tuum, tunc memor mei eſto, ſi mihi tormenta debentur vel quouſque veneris in regnum tuum. Et ille: Non te differo, tantæ fidei hodie reddo quod debeo. Torquebatur itaque reus, vt proferret veritatem, qua ſemel prolata non agit pius Deus de punitione delinquentis, ſed de præmio paradiſi debito confitenti. Non procedit more iudicis, qui torquet vt extorqueat veritatem, fatentemque reum plectit, cùm Deus fatentem bonum latronem abſoluerit, & regno ſuo donauerit. Nouerit æger, cùm in lectulo doloris decumbit, expoſitum ſe torturæ, vt veritatem loquatur. Quòd ſi Deus reum confitentem habuerit, ſciat non de ipſius damnatione, ſed potiùs de abſolutione & remuneratione tractari. Nouerat conditionem Dei Ezechias Rex & æger: qui cùm eſſet lecto affixus, declarauit veritatem, declarandam & exponendam
Iſai. 38, 19. cunctis ægris prædicauit. *Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam. Domine ſaluum me fac, & Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.* Poſtquam veritatem aperuit, ait rex: *Domine ſaluum me fac*; ait latro, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* ait CHRISTVS: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

radiso. Non distulit CHRISTVS præmium, complens ipse quod in Prouerbiis præscripserat, *Ne dicas amico tuo, Vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Prou. 3, 28.

Proximum morti & iudicio Dei ægrotum confessorem professoremque veritatis Sermone de Passione Domini alloquitur in hæc verba Iustinianus: *Prædonis huius Sancti, ô Catholicæ veritatis professor, imitare exemplum, antequam venias ad iudicium. Corde pendenti Domino assiste humiliter, fideliter pete, illumque deuotè alloquere, & dic, Memento mei non tantùm vt veniam in regnum tuum, verùm etiam vt doloribus compatiar tuis, tuæque communicem passioni. Incongruum est nempe, vt te patiente & languente, te moriente, ego à cruciatibus illæsus efficiar, potissimè cùm sim tui causa mœroris. Ego enim sum qui deliqui.*

Excitat ad eamdem confessionem animam ægrotantem, & pænè iam deploratam Augustinus Sermone in Parasceue: *Quemadmodum Medicum tunc maximè admiramur, cùm viderimus eum difficiles hominum valetudines, mortisque pericula medendi arte curantem; ita & CHRISTVM admirari iustum est, quando insanabilia vulnera corporibus & mentibus curat, quando publicanum & meretricem ad tantam sanitatem perducit, vt etiam cælo dignos ostendat. Et quid tali dignum quiete ege-*

 rat

rat latro, vt post crucem, quam meruerat, repentè paradiso dignus iudicaretur? Vis breuiter dicam virtutem fidei eius? Quando Petrus negauit deorsum, tunc ille confessus est sursum. Quantum conueniat ægrotis in præfata boni Latronis meditatione & confessione versari, auctor est ipse Augustinus, qui agens de infirmorum visitatione, dicit: *Latronis illius in Euangelio quare nobis tam venerabiliter recensita confessio est? Quibus eleëmosynis, quibúsve operibus, vel orationibus respondisti mi* IESV *benignissime quasi iureiurando, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, nisi fidei suæ orationíque breuissimæ, Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum? Dico itaque omnibus, dico tandem confitentibus, dico confessis & consulentibus, ne confessi desperent, ne Sacerdotes post mortem aliquos ligent: imò cum suo* IESV *dicant, Soluite eum, & sinite abire.* Ioan. 11, 45.

Habeat Deus confitentem reum, & ægrum simul orantem cum Ephræm Sermone Ascet. de Vita monastic. *Ostende in me indignum peccatorem, Domine, ineffabiles diuinæ clementiæ tuæ diuitias: meque latronis illius fac consortem ac socium, qui per vnum verbum iucunda paradisi virentia consecutus est, idque obtinuit quod perfectis quibusque repromissum est: ita deprecor, benignissime ac misericordissime Domine, qui solus absque peccato es, immaculatus & incontaminatus, ineffabilem super me*

me tuam benignitatem ac misericordiam effunde, & præsta, vt omnes diligentes te, hæredes regni tui efficiamur, tuamque gloriam contemplantes, bonitatem tuam semper adoremus, dicamusque cum iucunditate vno pariter ore cuncti, qui immensam atque ineffabilem illam tuam promeruimus cernere pulchritudinem: Gloria Patri qui creauit nos, Gloria Filio qui saluauit nos, Gloria Spiritui sancto qui renouauit nos.

Monendus est æger, qui peccatis suis oneratus de impetranda venia desperat, vt memor sit boni Latronis, cuius pœnitentia sera non fuit, quia vera. in cuius rei confirmationem affert exemplum Cæsarius lib. 11. Miles quidam sceleratissimus ab inimicis suis captus est & occisus. Qui cùm moreretur, verba eius extrema fuerunt, *Domine miserere mei.* In eius morte obsessus liberatus est, ad quem posteà rediit: & cùm solito atrociùs eum vexaret, rogatus & coactus respondere, quare sic crudeliter ageret, responsum dedit: Multi congregati sumus in morte illius militis, sed quia nihil obtinuimus, ampliùs in hoc modico vasculo me vindico. Requisitus de causa subiecit. Tria tantùm, heu! verba moriens protulit, propter quæ potestatem nostram euasit. Concludit Cæsarius: *Ecce huic prædoni ob inuocationem diuini nominis sicut latroni in cruce tormentum ver-*

ſum eſt in martyrium. Annuit Cæſario Apollonius ibidem: *In hoc exemplo ſatis conſidero, quòd pœnitentia vera numquam ſit ſera.*

ORACVLVM III.

Regis glorioſi languentis & morientis.

Matth.27,46. Marc.15,34.

Pſal.21,1. ***Eli, Eli, lamma ſabacthani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?***

Conflictus. HOc oraculum aſſecuti minimè ſunt, qui, cùm languidus affixus cruci in has voces protupiſſet, clamarunt ipſi, *Eliam vocat iſte, ſine, videamus, an veniat Elias liberans eum.* Et quidem vt languens, & iam moriens percipiatur, dum loquitur tantum myſterium, attentione opus eſt, quam, dum loqueretur CHRISTVS, pro ſe vel ab ipſo Deo Patre humiliter poſtulabat, cùm ait, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Recitat CHRISTVS verba Pſalmi 21. quæ ſic transfert ac refert S. Baſilius: *Deus Deus meus, attende mihi, quare dereliquiſti me?* Explicat ille: *Cùm ligno crucis affixus eſſet Dominus, hac vſus eſt voce dialecto Hebræa. Dicit autem iſta Dominus* CHRISTVS *tamquam primitiæ humanæ naturæ pro*

Matth.27,47.

tota

tota natura. Portans ergo CHRISTVS totius naturæ languores ſimul & dolores dixit Patri : *Deus Deus meus attende mihi* , qui primitias non gaudiorum, ſed mœrorum ac dolorum tibi offero. *Vt quid dereliquiſti me ?* dereliquiſti me extrema tormenta pati , & inſtar currentis aquæ vitam meam diffluere, *ſicut aqua effuſus ſum.* Legimus apud Birgittam lib.4. Pſal.21. 15.
cap.7. mirabile fuiſſe ſpectaculum in CHRISTO languente , cùm præfata verba protulit , *Poſtquam dixit , Deus Deus meus , vt quid dereliquiſti me ? tunc color mortis acceſſit , cùm cor prope ſciſſionem eſſet , totum corpus eius contremuit , & tunc barba eius ſuper pectus eius cecidit.*

Solet æger in lecto doloris iacens in eum redu i ſtatum , vt ſimilis ſit deſcendentibus in lacum , totus deſolatus & afflictus , deſertus & derelictus quodammodò à Deo ipſo ; tunc meminerit CHRISTI Domini clamantis è cruce pro ſe : *Deus meus, Deus meus , vt quid dereliquiſti me ?* Similis erat tunc morientibus CHRISTVS æger, & tenerum eius cor non ſolùm pro paſſione quam ſubibat , ſed etiam præ compaſſione qua tangebatur in eos qui ſimilia tolerarent, propè ſcindebatur & diſrumpebatur. Cùm eas mortis anguſtias patiatur miſer infirmus , patientem & compatientem ſimul ſibi conſideret piiſ-
ſimum

ſimum crucifixum, vt & in eius conſortio extremas afflictiones ac deſolationes ſubire & tolerare queat.

Solet æger in laborioſo hoc ſtatu conſtitutus, licet animoſus ſit, & benè de ſua ſalute fidat, trepidare, & totis artubus contremiſcere. Memor crucifixi ſit, cuius totum corpus contremuit, cùm clamauit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Et quidem S. Ephræm, dum pium ſuum conderet teſtamentum, ageretque iam animam, mirum in modum pauebat & dicebat: *Quid igitur? plorémne? at non eſt qui attendat? Clamémne? at vbi eſt qui me exaudiat? Hei mihi? ab increpatione iudicij expectatio mihi grauis.* Hic ipſe prænotauerat de morte vniuſcuiuſque agens, magnum & occultum eſſe mortis arcanum prorſus inenarrabile & formidabile. *Horrenda & formidabilia ſunt,* Ephræm loquitur, *quæ tunc anima ſubibit: ſed nemo noſtrûm ea nouit niſi ſolùm qui illic permearunt, niſi ſoli qui illuc præceſſerunt, niſi ſoli qui ibi periculum eorum fecerunt. Non vides apud fratres morientes, animamque agentes, quibus aſſidemus, quàm terribilia tunc eis accidere cernantur? quo pacto corripiantur, quomodo perturbentur? & quo pacto ſuſpirent? non aſpicis eos ſudoribus frigidos, & amarulentos inſtar meſſorum in agro: quomodo oculos huc illucque retorqueant, quomodo alij dentibus ſtrideant, quomodo torpeſcant & expaueſcant,*

uescant, tumultuarieque agant: & quo pacto multi etiam capillos suos euellant, quo pacto ex lecto exiliant, fugere volentes licet nequeant; videntque ea quæ numquam prius viderunt, & audiunt à potestatibus quæ numquam antea audierunt, & patiuntur quæ numquam aliàs passi sunt; quærentes qui eos redimat, & nemo est qui liberet; requirentes socios, & nemo est qui ipsos comitetur; requirentes aduocatos & patronos, & nemo qui ausit. Quos aspicientes, tunc contremiscimus & plangimus, tenentesque eorum manus salutamus atque complectimur, lacrymis irrigantes. Sudorem vultus detergimus, & oculos eorum siccamus: linguam æstuantem aqua madefacimus & refrigeramus. Aurem nostram ori eorum admouemus, vt tenues saltem atque subtiles eorum voces exaudiamus. Deinde interrogamus, dicentes: Quomodo teipsum nunc sentis? Noli timere: benignus est Deus.

Noli, inquam, timere: benignus est Deus, qui similia passus in cruce illud edidit oraculum, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* tunc ipse timuit & pauit, & *tunc barba eius super pectus eius cecidit.* Virilis barba, signum virtutis est. Cecidit virtus humana, & extulit se diuina vis. *Virtus in infirmitate perficitur.* Vnde & infirmus CHRISTVS cùm Psalm.21. clamasset, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* non multò pòst subiungit, *Qui time-* 2.Cor.12, 9.

tis Dominum, laudate eum; vniuersum semen Jacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israël, quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me. Ergo qui sic constitutus est, dicat Deo: Potésne, Deus meus, spernere vocem clamantis, & confugientis ad te? Nónne tu ille, qui dixisti: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione?*

Psal. 90, 15.

ORACVLVM IV.

Regis gloriosi languentis & morientis.

Ioan. 19, 26.

Cùm vidisset ergo IESVS *matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.*

Subsidium B. Mariæ.

CHRISTVS in summis doloribus erat, & vt ostenderet quàm parum esset de suarum grauitate pœnarum anxius & sollicitus, de negotiis aliis agebat. Summum hoc negotium erat, vt matris, & eius quem diligebat, discipuli curam haberet. Auctor est Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 34. *Prouidit matri,*

tri, quaſi parum de magnitudine doloris curaret. Nam etſi acriter patiebatur, erat tamen impaſſibilis. Non curabat acerbos dolores Filius, curabat piiſſima mater, quæ iuxta lectulum ægrotantis tota ſollicita & anxia præſtò erat, & ad omne languentis obſequium parata ſtabat. Accedit Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 23. *Stabat & mater cum ſtudio pietatis, quæ ſua pericula poſthaberet. Stabat ante crucem, & piis ſpectabat oculis Filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem. Aut fortaſſe, quia cognouerat per Filij mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat ſe & ſua morte publico muneri aliquid addituram. Sed* IESVS *non egebat adiutore ad omnium redemptionem, quia dixit: Factus* Pſal. 87, 6. *ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. Suſcepit quidem matris affectum, ſed non quæſiuit hominis auxilium.* Quod offerebat auxilium tranſtulit in Ioannem CHRISTVS, cùm ait, *Mulier, ecce filius tuus.* Tua ope & opera ego non egeo, eget Ioannes infirmus, quem ego ſub tua cura atque tutela conſtituo, vt maternè cum illo agas. Dicitque deinde Ioanni, *Ecce mater tua*, quæ in laboribus & infirmitatibus Ioan. 19, 27. tuis præſtò erit & aſſiſtet, impendetque ſuum auxilium & ſubſidium. *Accepit eam diſcipulus in ſua*, & priori matri ſuæ renuntiauit. Fons & origo morborum & dolorum, & ſimul mortis, eſt parens huma-

Iob 14, 1. na. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.* Prouidit pius Deus de muliere Ioanni, quæ est salus infirmorum, & refugium morientium.

De MARIA communi matre ægrotantium & migrantium prouidit CHRISTVS Ioanni, qui non ex martyrio sibi inflicto à Domitiano, sed posteà obiit ex naturæ infirmitate. Et quidem Ioannes Apostolus non solùm priuatam, sed etiam publicam personam agebat, vt vnusquisque languentium & morientium loco matris sacram MARIAM quærat, habeat, & colat. Verè mater infirmorum est, quæ & illorum curam habet. Vnde apud Cæsarium lib. 7. cap. 8. cùm essent duo sibi addicti pauperes in Xenodochio ægrotantes, dixit Administratori: *Bone pater, vide vt diligentia ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt.* Verè mater infirmorum est, quæ & visitat ægros suos, quemadmodum cap. 13. idem Cæsarius testatur. Intempesta enim nocte visa in monasterio est *lectos infirmorum perlustrans, & dormientibus benedicens.* Verè mater infirmorum est, & simul salus eorum. Nobilis vir Otto, sicut cap. 23. commemorat idem Cæsarius, duplici laborabat infirmitate, febre videli-

cet

cet & fiſtula: & cùm eò deueniſſet, vt exhalaret iam animam, ecce beata Virgo MARIA, quam inuocauerat, aſſociata Filio adfuit, & interpellans pro ægroto, *Fili*, inquit, *da mihi puerum iſtum.* Qui reſpondit: *Tuus ſit.* Ad quod verbum mox cœpit ægrotus iam ſemimortuus reſpirare atque confortari, & ſibi de ſalute gratulari. Verè mater infirmorum eſt, quæ infirmis iam deploratis iniungit remedia ſalutis, nec horret eorum ſcabiem & ſquallorem. Teſtis mihi ſit apud eumdem auctorem cap.15. Adam Sacerdos & monachus, qui ab infantia ſua ſcabioſo capite laborabat, nec poterat vlla medela ſanari. Hic totus erat obſequio Mariano mancipatus: nec Virgo defuit, quæ aliquando in Sacello ſuo apparens ſquallido ægro, *Bone puer*, ait, *quare non adhibetur cura capiti tuo?* Reſpondente verò Ottone, *Domina, ſatis circa me laborauerunt amici tui, ſed nihil profecerunt;* ſubiunxit illa: *Noſti quæ ſim?* Cui cùm diceret, *Non, domina;* reſpondit: *Ego ſum mater* CHRISTI, *& Domina huius Oratorij, quia mei memoriam ſolitus es habere, ego tibi curam adhibeo. Recipe fructus ligni fuſilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput tribus vicibus ante Miſſam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſtatimque curaberis.* & adiecit: *Ad me accede Adam.* quod & fecit. Flectenti coram ſe genua ait: *Ab hac hora vſ-*

que ad diem mortis tuæ non dolebis capite. Veritatem dictorum posteà probauit euentus. Nouit & ipsa non solùm iniungere medicinas, sed adiungere & applicare remedia, quemadmodum eodem lib. cap.49. recensetur. Cùm feruens in obsequio Virginis virgo sanctimonialis, dum genua flecteret, tibiam læsisset ac vulnerasset, visa est in somnis adstare B. MARIA pyxidem vnguenti portans in manu sua, immissisque digitis accepto vnguento perungere vulneratam tibiam, quam & sanauit, tanta suauissimi odoris relicta fragrantia, vt & ipsa mirabilis esset, & miraculum patratum euulgaret.

Verè mater emigrantium Virgo MARIA est, quæ vel in ipso mortis agone redire facit morientes. Confirmat hoc ipsum Cæsarius lib.7. cap.41. & quidem exemplo Religiosi morientis, qui in ipso mortis articulo ridere cœpit. & rogatus quid ita faceret, respondit: *Cur non rideam? ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet.* Addit Auctor: *Videtur mihi in isto versiculus Poëtæ impletus, Incipe parue puer risu cognoscere matrem. Puer erat purus, paruus & mansuetus. Haud dubiè, quin beata Virgo morienti maternos exhibuerit gestus, quia non risum sed timorem vultus excitat seuerus.* Hæc magnanima mulier est,
Prou.31, 25. cui conuenit illud elogium, *Ridebit in die nouissimo,*

&

& eodem mortis die docet ridere filios, quorum vnus religiosus ille miles erat, de quo cap.57. eiusdem libri. Hic enim cùm in extremo mortis certamine mira lætitiæ & exultationis cordis & animæ signa dedisset, examinatus, lætus totus & alacer ait: *Quare non gaudeam? ecce Domina nostra sancta* MARIA *hîc præsens est, & hæc mihi dixit: Nunc, quia reliquisti vxorem, & filios, & omnia tua propter honorem Filij mei, periculis te exponens, ego benè & plenè retribuam tibi. quin statim exclamauit: En video cælum apertum, & in eo sedem mihi præparatam, ad quam celeriùs sum ascensurus.* Mox oleo inunctus, sacroque Viatico munitus, animam suam deposuit apud MARIAM.

Maria mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Benè Bernardus Serm.2. de Nuptiis: MARIA *si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ: quoniam misericors est, & Mater misericordiæ.*

ORA-

ORACVLVM V.

Regis glorioſi languentis & morientis.

Ioan. 19, 28.

Poſteà ſciens IESVS *quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.*

Sitis immortalitatis.

ARgumentum ſummi doloris erat haud dubiè illa ſitis ardentiſſima, quam languidus CHRISTVS patiebatur, vt aduertit Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 35. *Sanctiſſima caro* CHRISTI *naturale quid patitur: multis enim ac variis doloribus exſiccata, ſiti torquetur. Multum enim poſſunt dolores ad commouendam ſitim: innatum enim calorem exagitantes, vel quod in profunditate humidum eſt, & igneis ardoribus dolentis viſcera vrunt.* Totus ſitibundus ægrotus, meminerit ſitientis CHRISTI, qui pro ſalute noſtra ſitim acerbiſſimam ſubire dignatus eſt. Quòd ſi iucundus potus negetur afflicto ægro, & amaræ potiones miniſtrentur, in eum ſtatum deuenit, vt ſimilis fiat CHRISTO, cui perfidi miniſtri pro grato & iucundo potu acetum amarum & acerbum attulerunt. Similis CHRISTO Bernardus, qui cùm eſſet deploratus,

tus, dira ſiti vexabatur, & ſi parum in potu ſumendo exceſſiſſet, mirum in modum angebatur. Teſtatur in Epiſtola poſtrema, quam dictante ipſo, ſcribi voluit ad Arnoldum Bonæ vallis Abbatem. *Defectus ſtomachi, ferè totum quod patior eſt. Frequenter & in die & in nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore. Hoc parum quod dignatur admittere, non ſine graui moleſtia ſumit: ſed timet grauiorem, ſi ſe vacuum omnino dimiſerit. Quòd ſi pluſculum quid interdum admittere acquieſcat, id grauiſſimum.*

Sitiebat CHRISTVS non tam bibere, quàm iam viuere immortalem corporis vitam: appetebat reſurrectionem, vt lib.10. in Luc. cap.33. interpretatur Ambroſius, apud quem vitæ mortalis ſymbolum acetum eſt. Erat itaque humana vita inſtar vini generoſi, antequam vitiaretur & corrumperetur, poſt vitioſam corruptionem in acetum amariſſimum verſa eſt. Tunc maximè apparet, cùm æger vitam abſoluit, & acetum mortalitatis exhaurit. Hic ſtatus Ezechiæ Regis cùm diceret: *Recogitabo tibi annos* Iſai.38. 15.
meos in amaritudine animæ meæ. & rurſus: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Cùm factus eſt Deus homo, vitam amaritudine plenam cepit, in cuius rei teſtimonium acetum, non vinum, æger in cruce ſumpſit, vt idem Ambroſius notat. *Acetum itaque bibitur,*

bitur, vinum cum felle non bibitur: non quia fel, sed quia admixtæ vino amaritudines recusantur. Nam vtique amaritudines vitæ nostræ pro corporis conditione suscepit. Cùm ergo extremè laborans infirmus corde, & animo amaro est, vt tædeat iam ipsum viuere, acrimoniam aceti percipit; & more CHRISTI vinum cum felle mixtum recusat, amat purum & nitidum, suaue atque iucundum vinum resurrectionis, cuius *sinceritati*, sicut concludit Ambrosius, *non debuit amaritudo misceri, vt ostenderetur sine amaritudine futura immortalitas resurgentium.* Nec quidem humanam vitam pertæsus, sitiebat resurrectionem CHRISTVS affixus cruci, quandoquidem, si Patri cælesti placuisset, adhuc duriora subire paratus erat. Audiamus Laurentium Iustinianum Sermone de Passione Domini: *Numquid sitit satietas? Sitítne, qui sitientium ardoribus refrigerium præstat? An vitæ fons sitire valet? Potest, inquam, quia vult. sitit vtique pereuntium salutem, animarumque diuinum sitit honorem, inebriatus amaritudine adhuc duriora sustinere desiderat. In spiritu sitit charitatis flamma succensus, sitit etiam, vt verus homo passibilis mortalisque.* Quisquis ergo grauiter in lecto laborat, ita appetat immortalitatem, vt, si placeat Deo, acerbiora adhuc tormenta nec renuat nec recuset. Nec renuebat, nec refugiebat Martinus,
cùm

cùm iam moriturus diceret: *Non recuso laborem.* Sequatur interim per omnia sitientem, qui dicit de se: *Cucurri in siti.* Dicat cum D. Augustino lib. Meditat. Psal.61,5. cap.37. *Rex potentissime trahe me sursum ad te. Curram post te in odorem vnguentorũ tuorum. Curram, & non deficiam, te trahente, & me currente. Trahe os sitientis animæ in æterna fluenta æternæ satietatis, imò trahe me ad te fontem viuum, vt pro captu meo bibam, vnde semper viuam.*

ORACVLVM VI.

Regis gloriosi languentis & morientis.

Ioan. 19, 30.

Cùm ergo accepisset IESVS *acetum dixit: Consummatum est.*

SVmma fellis & aceti amaritudine opus redemptionis nostræ languens in cruce CHRISTVS perfecit & consummauit, vt scirent mortales omnes, non gaudiis & voluptatibus, sed angoribus & doloribus pensum humanæ vitæ absoluendum. Hic finis filiorum Dei, quem Filius Dei CHRISTVS habuit, & in quo filij adulterorum ab ipso omnino discrepant. *Filij adulterorum*, Sapiens ait, *in consummatione non erunt.* Huc pertinet, quod scribit Aposto- Sap.3,16.

Finis amarus.

lus cap.12. ad Hebræos. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseuerate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis.* Ergo monendus æger, vt si legitimus Dei filius, & non adulterinus esse velit, perseueret vsque ad mortem in passionibus & dolo-
Prou. 3, 11. ribus, cui Deus ipse dicit: *Fili noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris.*

Dixit Medicus salutis nostræ, *Consummatum est,* vt ostenderet, curationem infirmæ naturæ nostræ omnino esse perfectam. Qualis propterea debeat esse homo cum CHRISTO, qui est auctor salutis suæ, monuit omnem hominem Ecclesiasticus cap.38. *Honora Medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nónne à ligno indulcata est aqua amara?* Nónne à ligno sanctæ Crucis acetum ipsum versum & conuersum est in liquorem suauissimum? Fatetur citatus Ambrosius: *Benè ad consummanda omnia, & corruptio sinceritatis hauritur, vt omnia cruci, quæ vitiata erant,*

erant, figerentur. Concludit tandem: *Ergo acetum bibitur, hoc est, vitium corruptæ per Adam immortalitatis aboletur in calamo, vt de corpore absolueretur humano.* Hic ipse cælestis Medicus, in cuius elogium addit deinde Ecclesiasticus: *Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera eius.* Deus in mirabilibus suis honoratur, cùm æger sacrum accipit Viaticum, in quo *memoriam fecit mirabi-* Psal. 110, 4.
lium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Tunc agit vnguentarium ad mitigandum temperandumque dolorem, cùm vtitur extrema Vnctione, in qua pigmenta suauitatis & sanitatis continentur, quemadmodum cap. 5. scribit Iacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Post hæc quid aliud sperare debebamus, nisi quod diceret Ecclesiasticus cum CHRISTO, *Consummatum est?* & tamen ait, *Et non consummabuntur opera eius.*

Dei perfecta sunt opera, & donec viuat infirmus,

aderit ſemper Medicus, aderit CHRISTVS, cuius præſentiam recolentes dicimus in animæ commendatione: *Liberet te à cruciatu* CHRISTVS, *qui pro te crucifixus eſt. Liberet te ab æterna morte* CHRISTVS, *qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te* CHRISTVS *Filius Dei viui intra paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oues ſuas verus ille paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſoluat, atque ad dexteram ſuam in electorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in ſæcula ſæculorum. Amen.*

ORACVLVM VII.

Regis glorioſi languentis & morientis.

Lucæ 23, 46.

Et clamans voce magna IESVS *ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.*

Commendatio animæ.

FOrma obitus CHRISTI, forma eſt exitus noſtri. Commendat CHRISTVS ſpiritum ſuum diuino Patri, &, vt ait Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 33.

benè

benè commendatur ſpiritus qui ſeruatur. Quod enim commendatur, vtique non amittitur. Hoc dicto tradidit ſpiritum. Et benè tradidit, quia non inuitus amiſit. Denique Matthæus ait, Emiſit ſpiritum. Quod enim emittitur, voluntarium eſt; quod amittitur, neceſſarium. Matth.27, 50. Dignus animarum locus manus eſt Dei: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Sap.3,1. Commendetur ergo ſpiritus in manibus Patris ſummi, in cuius manibus ſeruandus eſt. Qui ſic traditur, non amittitur, ſed emittitur, & à Patre diuino recipitur. Summum hoc oraculum eſt, in CHRISTO, & cum CHRISTO mori. *Beati mortui qui in Domino moriuntur; opera enim illorum ſequuntur illos.* Apoc.14, 13. Pulchra animæ commendatio, quæ non illa ſola, ſed operibus etiam Chriſtianis comitata & aſſociata comparet, ſicut & 1. Petri cap.4. præcipitur: *Jtaque & hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis.* CHRISTVS priùs opus ſuum conſummauit, dein ſpiritum ſuum offert & tradit æterno Patri.

Communem morientium cauſam agit hoc loco CHRISTVS, quandoquidem non ſolùm ſpiritum ſuum, ſed etiam animas piè obeuntium Chriſtianorum Patri ſuo commendat. Sic expendit Iuſtinianus deTriumphali agone CHRISTI cap.20. extrema

hæc

hæc verba : *Spiritum vtique meum in manus tuas commendo, non tantùm quem gero vt homo, ſed quem vt mediator & redemptor acquiſiui mihi. Meum planè dixerim membra mea, Eccleſiam meam ; ſponſam, quam patiendo pro illa meam facio. Hunc ſpiritum meum nuncupo, quia adhærendo mihi vnus ſpiritus fit, & corpus vnum.* Qui adhæret CHRISTO, & vnus ſpiritus cum eo eſt, ratum habens quod CHRISTVS in cruce fecit, ſpiritum ſuum in manus Patris commendet. *Credere namque debemus*, vt ait Cyrillus lib.12. in Ioannem cap.35. *cùm à corporibus ſanctorum animæ abierint, tamquam in manu chariſſimi Patris commendari : nec vt peccatorum animæ ad immenſi cruciatus locum, id eſt, ad inferos deferri, itinere hoc nobis à* CHRISTO *primùm præparato, ſed in manus potiùs Patris euolare. Tradidit enim animam ſuam manibus Genitoris, vt ab illa, & per illam, facto initio, certam huius rei ſpem habeamus, firmiter credentes in manibus Dei nos poſt mortem futuros, vitamque multò meliorem, ac perpetuò cum* CHRISTO *victuros: ideò*
Phil.1,23. *enim Paulus deſiderauit diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO.

Hæc ſola conſideratio quanti referat, vt excitetur homo in extremo illo conflictu, quo exhalare ſpiritum debeat, ſatis conſtat ex iis quæ de fratre ſuo Gerardo memorat S.Bernardus Serm.26. ſuper Cantica: *Accitus ſum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte*

morte hominem, & insultantem morti, Vbi est mors victo- 1.Cor.15.
ria tua? vbi est mors stimulus tuus? Iam canendo moritur 59.
homo, & moriendo cantat. Canebat itaque Gerardus: *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* & prosecutus est Psalmum, donec ad illa verba veniret: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Tunc temporis accessit ad Gerardum Bernardus. *Cùm ergo,* inquit, *superuenissem, & extrema iam Psalmi, me audiente, clara voce complesset, suspiciens in cælum ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. & repetens eumdem sermonem, ac frequenter ingeminans ait: Pater, Pater, conuersus ad me, exhilarata quidem facie, quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum esse? quanta hominum gloria, Dei filios esse & heredes? nam si filij, & heredes.*

Hæc de Cruce, hæc de Patientia, hæc de Oraculis gloriosi Regis Crucifixorum & Cruciferorum, quorum apparent imagines in Sanctuario Cruci & Patientiæ sacro, quæ variis picturis exhibetur & exprimitur. *Sic omnis faber & architectus, qui noctem tamquā* Eccli.38.
diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assidui- 28.
tas eius variat picturam, cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Congruit hoc loco, quod asserit Apollonius apud Cæsarium lib. de Diuersis visionib. cap. 23. *Puto quòd sculptores & pictores sacrarum imaginum aliquod speciale præmium ex hoc*

percipiant. Cui Cæsarius: *De hoc dubitare non debes, si tamen magis sit deuotio quàm auaritia mercedis in causa.* Confirmat exemplo. *Monachus quidam ante paucos annos mortuus est. erat autem pictor bonus, & Ordini nostro tam deuotus, vt gratis, expensis tantùm receptis, in diuersis domibus ad diuersa altaria miri decoris crucifixos depingeret: nam omnes crucifixos ipse pænè fecit, nullas à nobis requirens expensas. Volens suo effigiatori ostendere summus ille Crucifixus, ad cuius imaginem omnes facti sumus, quàm sibi labor ille sanctissimus placeret, in Parasceue, die scilicet in qua passio specialiter repræsentatur, illum non sine multorum admiratione de hoc mundo assumere dignatus est. quasi diceret Dominus: Quia circa meam passionem mente & corpore deuotè semper laborasti, de illa cogitando, illamque per picturas aliis exhibendo; ecce in die meæ passionis te de labore ad requiem assumo, in qua iam non mentaliter, vel per picturas, sed facie ad faciem me contempleris.*

S. Bonauentura in Hymno S. Crucis:

Totum sit, quod ego dixi,
Ad honorem Crucifixi,
Ad laudem & gloriam;
Vt meorum peccatorum
Gloriosus Rex cælorum
Mihi donet veniam. Amen.

INDEX

INDEX ARGVMENTORVM SACRI SANCTVARII.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

Com-

M

N



SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

FERDINANDI II. *Diuina fauente clementia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti Diplomate cautum est; nequis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum suorum hereditariorum fines, Societatis* IESV *Patrum Opera citra consensum eorumdem Patrum & Auctorum desuper obtentorum imprimere, vel recudere, aut alibi recusa inferre aut vendere præsumat. Qui secùs faxit, præter Librorum omnium confiscationem, viginti marcharum auri puri pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet ex Diplomate dato Viennæ die* IV. *Augusti*, M. DC. XXVI.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad mandatum Sac. Maiestatis proprium,

Hermanus à Questenbergh.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

CVm sacrum Sanctuarium Crucis & Patientiæ Crucifixorum & Cruciferorum, Emblematicis Imaginibus laborantium & ægrotantium ornatum, Auctore R. P. Petro Biuero Societatis nostræ Theologo, & Serenissimorum Belgij Principum Concionatore, tres Societatis nostræ Theologi, quibus id commissum fuit, lustrauerint, & in lucem edi posse probauerint, pro potestate mihi facta ab admodum R.P.N. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali, concedo vt typis diuulgetur; & iuxta Priuilegium Cæsareum Societati nostræ concessum, soli Balthasari Moreto idem imprimere ac recudere liceat. In cuius rei fidem hasce manu meâ subscripsi, & officij mei sigillo munitas dedi Bruxellis v. *Decembris*, M. DC. XXXIII.

Guilielmus de VVael.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis* ſacrum Sanctuarium Crucis & Patientiæ Crucifixorum & Cruciferorum, Emblematicis Imaginibus laborantium & ægrotantium ornatum, Auctore R. P. Petro Biuero Matritenſi Societatis IESV Theologo, & Sereniſſimorum Belgij Principum Concionatore, *præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſeptennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XVI. *Septembris,* M. DC. XXXII.

Signat.

Steenhuyſe.

APPROBATIO CENSORIS.

SAcrum Sanctuarium Crucis & Patientiæ Crucifixorum & Cruciferorum, Auctore R. P. Petro Biuero Societatis IESV *Theologo, non minùs ſacrorum Patrum teſtimoniis quàm imaginibus ornatum eſt, ad conſolationem laborantium & ægrotantium; ac proinde prælo ac luce digniſſimum eſſe iudico.*

Gaſpar Eſtrix Canonicus & Plebanus
Antuerp. ac Librorum Cenſor.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIV.


LABORE ET CONSTANTIA.

